


EDAD
CIÓN



BOUVIER

TEOLOGÍA

BX1751

B6

1856

v. 2

c. 1

1856



1080046425

672-6742



INSTITUTIONES

THEOLOGICÆ

AD USUM SEMINARIORUM.

TOMUS II.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

INSTITUTIONES
THEOLOGICÆ

AD USUM SEMINARIORUM,

AUCTORE J.-B. BOUVIER,
EPISCOPO CENOMANENSI.

NONA EDITIO, JUXTA ANIMADVERSIONES
A NONNULLIS THEOLOGIS ROMANIS PROPOSITAS EMENDATA.

TOMUS SECUNDUS.

DE FIDE. — DE TRINITATE. — DE INCARNATIONE.
DE GRATIA. — DE SACRAMENTIS IN GENERE. —
DE BAPTISMO — DE CONFIRMATIONE.



110561

M.G

PARISIIS,

APUD MÈQUIGNON JUNIOREM,


NUNC

J. LEROUX ET JOUBY, SUCCESSORES,

FACULTATIS THEOLOGICÆ BIBLIOPOLAS,
Via Majorum Augustinianorum, 7.

M DCCC LVI.

37890



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

DE L'IMPRIMERIE DE BEAU, A SAINT-GERMAIN-EN-LAYE.

INSTITUTIONES THEOLOGICÆ

AD USUM SEMINARIORUM.

TRACTATUS DE FIDE.

Vox *fides* in variis acceptionibus sumitur apud auctores sacros et ecclesiasticos; scilicet : 1° pro fidelitate in promissis, ut Rom. III, 3 : *Numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit? Absit*; 2° pro ipsis promissis, ut in I Tim. V, 12, de quibusdam viduis dicitur : *Primam fidem irritam fecerunt*; 3° pro ipsa conscientia vel intima persuasione, ut Rom. XIV, 23 : *Omne quod non est ex fide, peccatum est*; 4° pro fiducia, ut apud Jacob. I, 6 : *Postulet autem in fide, nihil hæsitans*; 5° pro ipso fidei objecto, ut in Symbolo S. Athan. : «Hæc est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.»

Communius per fidem intelligitur *assensus intellectus propter alterius auctoritatem* : si propter hominis vel hominum auctoritatem, fides est humana; si propter Dei auctoritatem, est fides divina, de qua sola in hoc Tractatu dicendum est.

Fides, sic spectata, considerari potest ut actus vel ut virtus : ut actus, est assensus supernaturalis quo veritates a Deo revelatæ firmiter creduntur propter auctoritatem revelantis; ut virtus, est habitus supernaturaliter infusus, nos ad eliciendos actus fidei inclinans.

De fide sub priori respectu considerata hic præcipue agemus, de virtute fidei alibi tractaturi.



FONDO BIBLIOTECA PÚBLICA
DEL ESTADO DE NUEVO LEÓN

Veritas definitionis a nobis allatæ ex dicendis patebit.

Fides dividitur in actualem et habituales, in explicitam et implicitam, in internam et externam, in formatam seu vivam, et informem seu mortuam.

Fides *actualis*, quæ forsitan rectius diceretur *positiva*, est actus, et fides *habitualis* est virtus fidei, de quibus modo sumus locuti; igitur non de fidē habituali, sed de fide actuali hic dicturi sumus.

Fides *explicita* ea est qua assentimur articulo fidei in se et juxta proprios terminos cognito; *implicita* vero ea est qua creduntur veritates revelatæ, non in se propriis terminis cognitæ, sed in alia generali contentæ: v. g., qui expresse credit Deum trinum, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, habet fidem explicitam Trinitatis; qui vero in Christum Deum et hominem, eo ipso implicite credit in duplicem ejus voluntatem, etiamsi eam ignoret.

Fides dicitur *interna*, si assensus mente conceptus exterius non prodeat; secus est *externa*.

Fides *formata* seu *viva* ea est quæ cum charitate habituali conjungitur, quia charitas est forma cæterarum virtutum: fides *informis* seu *mortua* est illa, e contra, quæ in subjecto charitate habituali destituta reperitur.

His notatis, præsentem Tractatum in sex dividemus capita: primum erit de fidei natura; secundum de ejus objecto; tertium de ejus motivo; quartum de ejus regulis; quintum de ejus proprietatibus, et sextum de ejus subjecto.

CAPUT PRIMUM.

DE NATURA FIDEI.

Lutherani et Calvinistæ necessitatem fidei nobiscum agnoscentes, in assignanda vera ejus notione valde nobis et sibi invicem dissentiant: communius tamen, post antesignanos suos, duas admittunt opiniones quæ in doctrina catholica conciliari nequeunt. Dicunt enim

1^o fidem non esse assensum quo veritates revelatæ firmiter creduntur, sed fiduciam qua certo credimus nos promissionum Dei et justitiæ participes fieri; 2^o fidem per se justificare, ac proinde nullam esse fidem divinam charitate perfecta destitutam. Hos errores per duas sequentes propositiones breviter refellemus. Vide *Moeller, Symbolique*, t. I, p. 55.

PROPOSITIO PRIMA.

Fides christiana, in Scripturis commendata et ad salutem necessaria, non est fiducia in divinas promissiones, ad sensum Calvinistarum.

Prob. Scriptura sacra, Patrum testimoniis, et ratione.

1^o *Scriptura sacra.* In multis locis fides ad justificationem requisita exhibetur ut actus intellectus, quo credimus dogmata, non vero quo credimus nos justificari, v. g., apud Joan. III, 6: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat*; Marc. XVI, 15: *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ; qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, etc.*

In aliis fides a spe seu fiducia distinguitur, v. g., I Cor. XIII, 13: *Nunc autem manent fides, spes et charitas, tria hæc*; I Petr. I, 21: *Qui suscitavit eum a mortuis et dedit ei gloriam, ut fides vestra et spes esset in Deo.* Ergo 1^o.

2^o *Innumeris testimoniis Patrum*, qui fidem collocant in actu intellectus quo creduntur dogmata, spem vero in actu voluntatis quo sperantur res promissæ. Sit in exemplum S. Aug. in Ench. cap. 1: *« Quid sperari potest quod non creditur? Porro aliquid etiam quod non speratur, credi potest. Quis namque fidelium penas non credit impiorum? non sperat tamen. »* Ergo 2^o.

3^o *Ratione.* Fiducia ad voluntatem pertinet: voluntas autem exerceri non potest circa objectum sibi incognitum: ergo necesse est ut prius illuminetur intellectus per manifestationem veritatis supernaturalis eique adhesionem. Fiducia igitur supponit fidem et non est fides.

Præterea nullus credere potest de fide se esse justificatum et prædestinatum, quia hoc singulare factum nulli revelatur: unde in Lutheranorum et Calvinistarum systemate fides impossibilis esset. Ergo 3º, etc.; aliunde, etc. Ergo.

Notandum spem existere non posse sine fide, et sæpe, tum in Scriptura, tum in sanctis Patribus, cum fide uniri: verum inde concludi non potest actus fidei et spei non esse distinctos.

PROPOSITIO SECUNDA.

Datur fides informis seu sine charitate perfecta.

Prob. Propositio est de fide, constat Scriptura sacra, testimoniis Patrum, et ratione.

1º *Est de fide ut pote definita in concilio Trid. sess. 6, can. 28:* « Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul et fidem semper amitti, aut fidem quæ remanet non esse veram fidem, licet non sit viva; aut eum qui fidem sine charitate habet non esse christianum; ana- thema sit. » Ergo 1º.

2º *Constat Scriptura sacra. I Cor. XIII, 2:* *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Jacob. II, 14:* *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Nihil clarius desiderari potest. Ergo 2º.*

3º *Testimoniis Patrum.* Aliorum teneat locum S. Aug. in Ps. XXXI Enarrat. 2: « Si fides sine dilectione sit, sine opere erit. Ne autem multa cogites de opere fidei, adde illi spem et dilectionem. » Ergo 3º.

4º *Ratione.* Fides divina, ex dictis in propositione præcedenti, est assensus intellectus veritatibus a Deo revelatis; charitas vero est voluntatis actus quo amatur Deus per revelationem cognitus: atqui possumus credere Deum esse, et verum revelare, et tamen eum non perfecte diligere, sicut frequenter credimus hominem verum loqui, et eum non idéo diligimus. Ergo, etc.

Fide: igitur divina est fundamentum charitatis, ac

proinde charitas proprie dicta esse non potest sine fide: at fides esse potest sine charitate, sicut fundamentum sine ædificio, quamvis ædificium esse non possit sine fundamento: ergo 4º, etc.; aliunde, etc. Ergo.

Dices: Rom. x, 10, legitur: *Corde creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem.* Ergo fides separari non potest a justitia seu a charitate perfecta.

R. Nego conseq. Ex his enim verbis sequitur quidem fidem necessariam esse ad justitiam et confessionem fidei ad salutem; minime vero omnes qui credunt esse justos, et omnes qui fidem profitentur esse salvandos. Ergo, etc.

Notandum autem hic non agi de fide humana, motivis naturalibus innixa, quam protestantes affirmant separari posse a vera charitate, sed de fide divina. Sola enim fides divina in textibus allatis exprimitur.

Quinam præcise characteres fidem constituent supernaturalem determinare non intendimus: requiritur motivum supernaturale et insuper divinæ gratiæ influxus. Non ultra proficere audent.

CAPUT SECUNDUM.

DE OBJECTO FIDEI.

Objectum fidei est illud circa quod versatur fides, seu id quod creditur. Ex definitione autem a nobis allata et ab omnibus æquivalenter admissa, solæ res revelatæ fide credendæ sunt: solæ igitur sunt objectum fidei. Deus est objectum primum, Deus et quæcumque res revelatæ sunt objectum adæquatum.

Quidam arbitrantur res *revelabiles* ad objectum fidei pertinere, et alii negant: verum simplex æquivocatio inter eos esse videtur. Veritas nondum revelata actu credi non potest; sed, si reveletur, credenda erit. Igitur dici potest objectum fidei possibile vel remotissimum; non vero actuale et proximum, nec etiam remotum, quo nomine intelliguntur veritates reipsa revelatæ, sed non sufficienter cognitæ ut revelatæ.

Tria hic separatim examinanda sunt : 1^o an propositio explicite revelari debeat, ut ad fidem pertineat ; 2^o an objectum fidei creverit, et 3^o quid sentiendum sit de symbolis fidei.

ARTICULUS PRIMUS.

AN PROPOSITIO EXPLICITATE REVELARI DEBEAT, UT AD FIDEM PERTINEAT.

Revelatio potest esse explicita vel implicita : est explicita, si propriis vel synonymis terminis in deposito revelationis contineatur ; v. g. : Tres sunt personæ in Deo ; Verbum caro factum est ; Christus pro nobis mortuus est. Est autem implicita, quando non propriis aut synonymis terminis, sed æquivalentibus exprimitur ; v. g. : In Christo unica est persona ; Duæ sunt naturæ ; Duæ sunt voluntates. Propositiones implicite revelatæ ex propositionibus explicite revelatis ope ratiocinii deducuntur, sive ex duabus præmissis revelatis, sive ex una præmissa revelata et ex altera præmissa non revelata, et ideo vocantur conclusiones theologice.

PROPOSITIO PRIMA.

Conclusiones ex duabus præmissis revelatis legitime deductæ pertinent ad fidem.

Prob. Propositio in propositione revelata formaliter contenta ad objectum fidei pertinet : at conclusio ex duabus præmissis revelatis legitime deducta, in propositione revelata formaliter continetur : in hoc quippe natura syllogismi sita est, ut una præmissarum conclusionem in se contineat, et altera eam esse contentam manifestet. Ergo. Hinc in sequentibus syllogismis a P. Antoine in exemplum allatis, conclusio est de fide : Omnes Apostoli repleti sunt Spiritu sancto : atqui S. Matthæus erat apostolus : ergo repletus est Spiritu sancto. e us est bonus : atqui Christus est Deus : ergo est bonus.

PROPOSITIO SECUNDA.

Conclusiones ex majore universali revelata et minore non revelata legitime deductæ, ad fidem pertinent.

Prob. Ut jam diximus, propositio in propositione revelata formaliter contenta implicite revelata est et ad fidem pertinet : atqui conclusio ex propositione generali revelata et minore non revelata legitime deducta, in propositione revelata formaliter continetur ; in propositione enim generali continetur, et minor non revelata declarat eam esse contentam. Ergo.

Sed requiritur ut minor sit absolute certa et omne errandi periculum excludat : alioquin firmissimus præberi non posset assensus ad fidem requisitus. Unde si minor esset tantum moraliter certa, conclusio ad objectum fidei non pertineret, et propositio ei adversa non esset hæretica, sed erronea.

Hinc in sequenti syllogismo conclusio est de fide : Vera Christi Ecclesia debet esse una, sancta, catholica et Apostolica, et sola has notas habere potest : atqui Ecclesia Romana est una, sancta, catholica et Apostolica : ergo, etc., quia minor est certissima.

Sed in hoc altero : Infans legitime baptizatus et ante usum rationis decessens, est sanctus : atqui Petrus ante usum rationis mortuus, legitime fuit baptizatus : ergo, etc., conclusio ad fidem non pertinet, quia moraliter tantum certum est Petrum legitime fuisse baptizatum, nisi ad summum respectu baptizantis, aut nisi tot adfuerint testes ut absolute certum sit nihil essenziale fuisse omissum. Idem dicendum est de hostia consecrata in particulari, quæ tamen sincere adoranda est, quia adoratio est actus prudentia directus, non vero actus fidei. Idem de validitate ordinationis talis sacerdotis, etc.

Nunc difficultas est an conclusio deducta ex majore universali omnino certa, sed non revelata, et ex minore revelata, ad fidem pertineat, v. g., in isto syllogismo : Omnis homo habet operationem humanam : atqui Christus verus est homo : ergo Christus habet operationem

humanam. Sensus est an ista propositio, Christus habet operationem humanam, fide divina credi debeat.

Circa hanc quæstionem valde scinduntur theologi; multi enim arbitrantur dictam propositionem esse de fide divina, et his præsertim nituntur argumentis: 1° Ea propositio est de fide quæ in mente Dei fuit revelata et vi testimonii ejus creditur: atqui talis est conclusio de qua hic agitur; necessariam enim habet connexionem cum propositione revelata; Deus propositionem revelando, hanc connexionem ignorare non potuit; eam igitur implicite revelavit: ergo homines talem conclusionem certo agnoscunt, eam vi testimonii Dei credunt. Ergo. 2° Sæpe Ecclesia definiit tanquam de fide propositiones hujus generis, v. g., sequentes: In Christo duæ sunt operationes, una divina et altera humana; Omnia et singula peccata mortalia in confessione jure divino sunt declaranda, quia, ex principio generali, judicium ferri non potest nisi causa instruat, et aliunde revelatum est sacramentum pœnitentiæ per modum judicii administrandum esse. Ergo. Sic Melchior Canus, *Vasquez*, *P. Antoine*, *Simonet* et cum illis alii non pauci.

Alii vero multi negant prædictas conclusiones esse objectum fidei divinæ, et sequentibus maxime fulciuntur rationibus: 1° Illa propositio non est de fide divina, quæ non creditur testimonio divino: atqui conclusio ex majore generali non revelata et minore revelata deducta, testimonio Dei non creditur, sed legitimitate argumenti et vi illationis: ergo. 2° Si propositiones sic implicite tantum revelatæ essent de fide, fere omnes propositiones theologicae dici possent de fide, cum theologi plerasque assertiones suas ex Scripturis vel traditione deducere soleant: atqui hoc esset absurdum: ergo. 3° Illa propositio non est de fide cujus contradictoria non est hæretica: atqui contradictoria conclusionis ex majore naturali et minore revelata deductæ, haberi non potest ut hæretica; qui enim propositionem generalem non revelatam aut veritatem illationis ex illa negaret, aliquid revelatum non negaret, ac proinde hæreticus non

esset: ergo. Ita *Suarez*, de *Lugo*, *Lherminier* et alii communius atque probabilius, ut nobis videtur.

Ad argumenta patronorum alterius sententiæ respondent 1° conclusionem de qua quæstio agitur, non contineri formaliter in propositione revelata, sed tantum cum illa connexionem habere, ex illa vi ratiocinii erui; ergo; 2° quoad exempla allata, dici posse conclusionem non vi tantum ratiocinii innotescere, sed ex aliis Scripturæ locis, vel ex traditione, aut Ecclesiam illam non proponere tanquam objectum fidei divinæ, sed fidei ecclesiasticæ, juxta sensum a nobis assignatum in *Tractatu de Ecclesia*, ubi de factis dogmaticis; aut denique illam non fieri objectum fidei divinæ, nisi post definitionem Ecclesiæ. Ergo.

Hæc controversia solutu difficillima firmitati fidei nullo modo nocet; si enim Ecclesia expresse aliquando definiat conclusionem implicite tantum revelatam ad fidem divinam pertinere, aut propositionem quæ ex majore naturali eruitur esse de fide divina, id statim credendum erit, quia Ecclesia de veritate doctrinæ infallibiliter judicat: si solummodo definiat, ut sæpe jam fecit, talem vel talem propositionem quæ ex majore non revelata et minore revelata deducitur, esse de fide, an sit de fide divina aut de fide ecclesiastica non pronuntians, sufficit ut unusquisque eam simpliciter credat tanquam de fide in genere; nec requiritur ut circa naturam objecti in se spectati pronuntiet.

ARTICULUS SECUNDUS.

AN OBJECTUM FIDEI CREVERIT DEGURSU TEMPORUM.

Objectum fidei crescere potest simpliciter, vel secundum quid: crescit simpliciter, si Deus aliquid novi revelet; crescit vero secundum quid, si revelatio jam facta, per auctoritatem infallibilem explicetur, vel ad singularia objecta applicetur, vel controversa certificetur.

Notandum quod, sicut duplex est revelatio, duplex etiam detur fides, ut supra diximus, una explicita, qua

reduntur veritates secundum se notæ, v. g., *Pater, et Filius, et Spiritus sanctus*; et fides implicita, qua creduntur veritates non in se notæ, sed in aliis in quibus continentur, quamvis ignoretur quid sint, quomodo includantur et quo motivo educi possint. Sic qui credit Christum, credit duplicem ejus naturam, duplicem voluntatem, etc.; qui profitetur se credere quidquid docet Ecclesia, implicite credit omnia fidei dogmata.

Nunc duplex instituitur quæstio, an scilicet 1º fidei objectum ab Adamo usque ad Christum et Apostolos creverit, et 2º an ab Apostolis usque ad nos creverit.

§ I. — An objectum fidei ab Adamo usque ad Christum et Apostolos creverit.

Omnes fatentur illud crevisse secundum quid; multa enim ministerio Patriarcharum, Prophetarum, Christi et Apostolorum manifestata sunt, quæ antea non credebantur, saltem explicite.

Multi inter veteres, ut Scotus, Hugo a S. Victore, Durandus, Magister Sententiarum, S. Th. 2 2, quæst. 1, art. 7, S. Bonaventura et postea Suarez, card. de Lugo, Billuart, etc., docuerunt objectum fidei in se spectatum decursu temporum non crevisse, sed tantum novas explicationes in diversis temporibus habuisse, atque omnia dogmata successive publicata aut definita, in duobus principiis generalibus implicite contenta fuisse, nempe in fide Dei et in fide divinæ Providentiæ circa salutem hominum: in fide Dei ea continentur quæ ad Deum et beatitudinem nostram spectant, et in fide divinæ Providentiæ reperiuntur ea omnia quæ ad generis humani salutem fiunt a Deo. Rationes quibus nituntur, sunt: 1º quia fides semper fuit principium et fundamentum justitiæ ac sanctitatis: ergo semper eadem esse debuit saltem quoad substantiam. 2º Salus nunquam obtineri potuit, nisi per fidem in Messiam venturum aut adventum. Ergo. 3º S. Aug. tract. 45 in Joan., ait: *Tempora variata sunt, non fides*: attamen varia esset fides si objectum ejus decursu temporum cresceret. Ergo.

Plures vero recentiores, ut P. Antoine, Lherminier, Simonet, Theologia Pictaviensis, dicunt objectum fidei ab Adamo ad Christum et Apostolos inclusive simpliciter crevisse; multa enim revelata sunt per Noe, Abraham, Jacob, Moysen, David aliosque Prophetas, et multo plura per Christum et Apostolos, ut sacrificia veteris Legis, sacramenta novæ Legis, etc., ad substantiam fidei certe pertinentia, quæ tamen haberi non possunt ut primæ revelationis explicationes: ergo non nisi abusive dici potest omnia fidei nostræ dogmata in articulis Adamo revelatis implicite contenta fuisse. Ergo.

In posteriori hac sententia, quæ probabilior nobis videtur, fides nihilominus eadem fuit quoad principium, motivum et objectum principale, seu quoad fundamentalia religionis capita: ruunt igitur alterius sententiæ rationes, et excellentia revelationis christianæ magis elucescit.

§ II. — An objectum fidei ab Apostolis usque ad nos creverit.

Certum est illud crevisse secundum quid; Ecclesia enim, quæ est judex controversiarum fidei infallibilis, multa definiit quæ ante ignorabantur vel liberæ hominum disputationi relinquebantur, et quæ facta sunt de fide: nova quidem non condidit dogmata, sed effecit ut articuli fidei implicitæ fierent objectum fidei explicitæ. Ergo.

Non minus certum est objectum fidei non crevisse simpliciter ab Apostolis usque ad nos. Nam 1º Spiritus sanctus docuit Apostolos omnem veritatem, Joan. xvi, 13. 2º Ecclesia nunquam sibi attribuit potestatem dogma novum revelandi, sed tantum Scripturam et traditionem interpretandi ac conservandi. Ergo.

Unde privatae revelationes a Christo usque nunc quibusdam sanctis animabus factæ, ad depositum fidei non pertinent.

ARTICULUS TERTIUS.

QUID SENTIENDUM SIT DE SYMBOLIS FIDEI.

Symbolum in genere est signum vel figura rei occultæ:

sic ritus sacramentales dicuntur symbola sacra gratiæ. Per symbolum fidei, intelligitur *Brevis summa vel tabula præcipuus fidei articulos explicite continens.*

In Ecclesia catholica quatuor numerantur, videlicet Symbolum Apostolorum, Symbolum Nicænum, Symbolum Constantinopolitanum, et Symbolum S. Athanasii.

Symbolum Apostolorum illud est quod recitatur in Horis canonicis, in Orationibus matutinis et vespertinis. Erasmus, Calvinus, passim Calvinistæ quibus consentit Dupin, dicunt quidem illud Symbolum doctrinam Apostolorum continere, sed ab ipsis non fuisse confectum. Cæteri vero firmiter tenent illud Symbolum ab ipsis Apostolis etiam quoad formulam fuisse compositum. Etenim 1^o ante Erasmum et Calvinum nullus inter auctores ecclesiasticos reperitur qui vel minimum circa id dubium moverit. 2^o Plurimi antiquiores Patres illud Apostolis expresse tribuunt, v. g., S. Irenæus, contra Hæreses, l. 1, cap. 10 : « Ecclesia per universum orbem usque ad fines » terræ seminata, et ab Apostolis et a discipulis eorum » accipit eam fidem quæ est in unum Deum, Patrem » omnipotentem, etc. » S. Ambros. Epist. 1 class. epist. 4 ad Siricium : « Credatur Symbolo Apostolorum quod Ecclesia Romana intemeratum semper custodit et servat. » 3^o Afferri potest celebris regula a S. Aug. allegata : « Quod » universa tenet Ecclesia, etc. » Ergo. Vide Nat. Alex. Dissert. XII, sect. 4; Theol. Wireburg., de Fide, part. 1, cap. 1.

Notandum illud Symbolum ad corpus Scripturæ sacræ non pertinere; quia, ut communius docetur, Apostoli illud non scripserunt, sed viva voce tradiderunt: nec objici potest quod S. Lucas illius mentionem non faciat in Actibus Apostolorum, quia multa alia gravis momenti omisit.

Symbolum Nicænum sic vocatur, quia in primo concilio generali conditum fuit adversus Arianos, et incipit his verbis : *Credo in unum Deum*, etc. : quædam verba ei adjecta sunt in concilio Constantinop. I, contra Macedonianos, et inde vocatum est symbolum Constantino-

politano : ubique intra Missam cantatur vel recitatur.

Symbolum S. Athanasii, incipiens ; *Quicumque vult salvus esse*, etc., dicitur in officio Primæ die Dominica et festo sanctissimæ Trinitatis.

Tribuitur S. Athanasio a concilio Toletano IV, anno 633; a concilio Augustodunensi, anno 1170; a S. Thoma 2 2, q. 1, art. 10, ad 3; a multis theologis et ab ipso Eugenio IV, in Decreto ad Armenos, dicente : « Compendiosam illam fidei regulam per beatissimum Athanasium editam ipsis præbemus, videlicet, *Quicumque vult*, etc. » Ergo. Vide Theol. Wireburg., loco citato.

Multi tamen alii eruditi, præsertim recentiores, negant hoc Symbolum genuinum S. Athanasii opus esse, et sequentibus præcipue nituntur rationibus. 1^o Nulli auctores hujus Symboli meminerunt ante septimum sæculum. 2^o S. Cyrillus Alexandrinus, concilium Ephesinum et concilium Chalcedonense, errores Nestorii et Eutychiei refellendo, hujus symboli nullam mentionem faciunt; quod incredibile esset, si illud novissent. 3^o Plures articuli illius Symboli contra dictos Nestorii et Eutychiei errores evidenter diriguntur : attamen illi errores non nisi post S. Athanasium prodire. 4^o In vetustissimis et probatissimis codicibus manuscriptis operum S. Athanasii non reperitur illud Symbolum. 5^o Stylus ejus auctorem latinum omnino sapit. Ergo.

Ad rationes alterius opinionis respondetur concilia citata, theologos et Eugenium IV, quæstionem authenticitatis dicti Symboli non examinasse, et illud S. Athanasio vulgo attributum supposuisse.

Defensores posterioris sententiæ, quæ longe probabilior nobis videtur, communius tenent verum hujus Symboli auctorem esse quemdam Vigilium, Tapsensem episcopum, in Africa, circa finem quinti sæculi, qui Summam doctrinæ S. Doctoris sub nomine ejus sic adversus hæreticos composuit, quemadmodum scripsit dialogum, ut ipse testatur, adversus Arianos aliosque hæreticos, et sub nomine S. Athanasii in lucem edidit, ut scopum suum efficacius obtineret.

Nihilominus illud Symbolum ut certissima fidei regula habendum est, cum Ecclesia illud approbaverit atque cunctis fidelibus credendum proposerit, decernendo quod in officiis publicis legeretur. Factum autem de vero illius auctore est personale, et ad infallibilitatem Ecclesiæ non pertinet.

Quæritur an conveniens fuerit præcipuos fidei articulos sic in Symbolis contexere.

R. affirmative. Multo facilius enim fideles discunt ac retinent quid credere debeant, et ab hæreticis tutius discernantur.

Multa tamen et gravissima fidei puncta, v. g., Eucharistia, Missæ sacrificium aliaque sacramenta, præter Baptismum in Symbolo Constantinopolitano memoratum, in his Symbolis non exprimuntur, probabiliter, ut notat Theologia Pict., quia in primis sæculis Christiani plura sua tacebant mysteria, præsertim sacræ Eucharistiæ, respectu infidelium et catechumenorum, propter abusum quem merito timebant, ut in Tractatu *de Eucharistia* monstratur.

Cæterum omnes articuli omissi implicite continentur in fide sanctæ Ecclesiæ catholicæ.

CAPUT TERTIUM.

DE MOTIVO FIDEI.

Motivum fidei est ratio quæ assensum propositioni a Deo revelatæ determinat : talis esse debet ut omnem errandi formidinem tollat, et ulteriori motivo non indigeat; alioquin non esset motivum fidei immediatum, quod multi theologi vocant objectum formale fidei, quia actum credendi præcise determinat.

Sat apertum est summam Dei veracitatem, tum in cognoscendo, tum in revelando, ultimum illud esse fidei motivum quo assensus noster determinatur; ideo enim

firmiter credimus Deo aliquid revelanti, quia persuasum habemus eum non posse errare in cognoscendo, nec fallere in dicendo : ergo summa Dei veracitas est ratio fundamentalis fidei nostræ, atque ultimum motivum determinans assensum nostrum. Unde in actu fidei vocibus expresse dicimus : *Credo, Domine, quidquid revelasti, quia summe verax es, nec falli nec fallere potes.*

Verum assensus noster veracitate Dei in loquendo inniti non potest, nisi factum revelationis certissime nobis innotescat; quod quidem tria necessario importat, videlicet revelationem ex parte Dei, genuinum sensum revelationis certo assignatum vel propositum, et motiva credibilitatis omnem errandi formidinem excludentia. Itaque dicemus 1º de revelatione divina; 2º de propositione Ecclesiæ; 3º de motivis credibilitatis, et 4º de analysi seu resolutione fidei.

ARTICULUS PRIMUS.

DE REVELATIONE DIVINA.

Non ambigitur quin aliqua revelatio sit necessaria ad fidem : patet ex ipsamet fidei definitione ab omnibus admissa. Sed quoniam multiplex distinguitur revelatio, petitur qualis requiratur.

Dividitur enim 1º in *internam et externam* : interna ea est quæ fit per signum intrinsecum, scilicet, per vividam mentis illustrationem : externa autem fit per aliquod signum extrinsecum, v. g., per verba articulata.

Dividitur 2º in *mediatam et immediatam* : mediata ea est quæ fit per alterius ministerium, quales fuerunt revelationes per Prophetas et Apostolos hominibus factæ : immediata ea est quæ fit a Deo sine ullo intermedio ; sic Deus locutus est primis parentibus, Prophetis, Apostolis.

Dividitur 3º in *privatam et publicam* : revelatio privata fit alicui pro ipso solo, sine respectu ad alios homines, ut si Deus alicui revelaret diem vel horam mortis, justificationem, prædestinationem, etc. Publica vero illa est quæ,

Nihilominus illud Symbolum ut certissima fidei regula habendum est, cum Ecclesia illud approbaverit atque cunctis fidelibus credendum proposerit, decernendo quod in officiis publicis legeretur. Factum autem de vero illius auctore est personale, et ad infallibilitatem Ecclesiæ non pertinet.

Quæritur an conveniens fuerit præcipuos fidei articulos sic in Symbolis contexere.

R. affirmative. Multo facilius enim fideles discunt ac retinent quid credere debeant, et ab hæreticis tutius discernantur.

Multa tamen et gravissima fidei puncta, v. g., Eucharistia, Missæ sacrificium aliaque sacramenta, præter Baptismum in Symbolo Constantinopolitano memoratum, in his Symbolis non exprimuntur, probabiliter, ut notat Theologia Pict., quia in primis sæculis Christiani plura sua tacebant mysteria, præsertim sacræ Eucharistiæ, respectu infidelium et catechumenorum, propter abusum quem merito timebant, ut in Tractatu *de Eucharistia* monstratur.

Cæterum omnes articuli omissi implicite continentur in fide sanctæ Ecclesiæ catholicæ.

CAPUT TERTIUM.

DE MOTIVO FIDEI.

Motivum fidei est ratio quæ assensum propositioni a Deo revelatæ determinat : talis esse debet ut omnem errandi formidinem tollat, et ulteriori motivo non indigeat; alioquin non esset motivum fidei immediatum, quod multi theologi vocant objectum formale fidei, quia actum credendi præcise determinat.

Sat apertum est summam Dei veracitatem, tum in cognoscendo, tum in revelando, ultimum illud esse fidei motivum quo assensus noster determinatur; ideo enim

firmiter credimus Deo aliquid revelanti, quia persuasum habemus eum non posse errare in cognoscendo, nec fallere in dicendo : ergo summa Dei veracitas est ratio fundamentalis fidei nostræ, atque ultimum motivum determinans assensum nostrum. Unde in actu fidei vocibus expresse dicimus : *Credo, Domine, quidquid revelasti, quia summe verax es, nec falli nec fallere potes.*

Verum assensus noster veracitate Dei in loquendo inniti non potest, nisi factum revelationis certissime nobis innotescat; quod quidem tria necessario importat, videlicet revelationem ex parte Dei, genuinum sensum revelationis certo assignatum vel propositum, et motiva credibilitatis omnem errandi formidinem excludentia. Itaque dicemus 1º de revelatione divina; 2º de propositione Ecclesiæ; 3º de motivis credibilitatis, et 4º de analysi seu resolutione fidei.

ARTICULUS PRIMUS.

DE REVELATIONE DIVINA.

Non ambigitur quin aliqua revelatio sit necessaria ad fidem : patet ex ipsamet fidei definitione ab omnibus admissa. Sed quoniam multiplex distinguitur revelatio, petitur qualis requiratur.

Dividitur enim 1º in *internam et externam* : interna ea est quæ fit per signum intrinsecum, scilicet, per vividam mentis illustrationem : externa autem fit per aliquod signum extrinsecum, v. g., per verba articulata.

Dividitur 2º in *mediatam et immediatam* : mediata ea est quæ fit per alterius ministerium, quales fuerunt revelationes per Prophetas et Apostolos hominibus factæ : immediata ea est quæ fit a Deo sine ullo intermedio ; sic Deus locutus est primis parentibus, Prophetis, Apostolis.

Dividitur 3º in *privatam et publicam* : revelatio privata fit alicui pro ipso solo, sine respectu ad alios homines, ut si Deus alicui revelaret diem vel horam mortis, justificationem, prædestinationem, etc. Publica vero illa est quæ,

licet immediate uni vel alteri fiat homini, ad alios instruendos homines destinatur; tales fuerunt revelationes Moysis, Prophetarum et Apostolorum.

Notandum insuper fidem esse vel pure theologicam, vel catholicam: fides theologica sola nititur auctoritate Dei revelantis; dicitur etiam aliquando privata, quia privatos tantummodo obligare potest, si, v. g., cuidam vel quibusdam fiat revelatio pro ipso aut ipsis solis, aliunde certe probata. Fides catholica supponit definitionem Ecclesiæ et omnes obligat fideles. His notatis,

Certum est 1º revelationem privatam ad fidem catholicam non sufficere, sed requiri revelationem publicam.

Certum est 2º revelationem immediatam ad fidem, sive theologicam, sive catholicam, necessariam non esse; alioquin vera fides in iis tantum existere posset quibus Deus immediate locutus fuisset: at Deus, ex hypothesi revelationis, unicuique immediate loqui non tenetur, ut in Tractatu de vera Religione ostendimus.

Sola igitur difficultas est qualis revelatio ad fidem theologicam requiratur.

PROPOSITIO.

Ad fidem vere divinam, seu theologicam, omnis revelatio certo constans sufficit.

Prob. Fundamentum fidei est auctoritas Dei revelantis: porro hæc auctoritas eadem est respectu nostri, quæcumque sit revelatio, sive intrinseca sive extrinseca, sive immediata sive mediata, sive publica sive privata; hoc solum enim necessarium est, scilicet, ut revelationis existentia certo constet: at existentia cujusque revelationis etiam privatæ certo constare potest.

1º Existentia revelationis immediatæ internæ. Fieri enim potest ut Deus per vias sibi notas veritatem supernaturalem privatis hominibus adeo clare manifestet, ut eam tam certo teneant quam propositiones naturales omnibus primo intuitu notas. Eam signis externis, v. g.,

miraculis, certam facere potest, et injuriosum ac temerarium maxime foret affirmare Deum hoc præstare non posse. Ergo 1º, etc.

2º Existentia revelationis immediatæ externæ. Certo enim aliquis scire potest Deum sibi exterius locutum esse, si nempe sufficientia existant signa omne dubium tollentia. Sic fidem habuerunt primi parentes, Abraham, Isaac, Jacob, Moyses, Prophetæ, Apostoli, etc. Ergo 2º, etc.

3º Existentia revelationis mediatæ. Si enim qui nomine Dei loquitur, veritatem missionis suæ miraculis aut prophetiis clare ostendat, testis revelationis ita confirmatæ eam in dubium revocare non potest; divinam igitur habet fidem. Ergo 3º, etc.

Caveant tamen privati ne suas vel aliorum imaginationes aut meras sensuum vel diaboli illusiones pro revelationibus divinis sumant: pari sollicitudine enim se munire debent et contra incredulitatem Deo injuriosam, et contra credulitatem ad superstitiones deducentem et in contemptum religionis vergentem.

Objiciuntur verba S. Aug., lib. contra Epist. Fundamenti, dicentis: « Ego Evangelio non crederem, nisi me » catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas. » Verum S. Doctor per revelationem privatam et immediatam non didicerat Evangelium esse verbum Dei: hæc igitur obiectio ad rem non pertinet.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE PROPOSITIONE ECCLESIE.

Propositio est via qua revelatio iis innotescit quibus immediate non facta est; aliud est igitur revelatio, et aliud revelationis propositio; unde, licet nova non fiat revelatio, sæpe novæ fiunt revelationis propositiones, id est, novæ manifestationes revelationis jam existentis.

Revelatio immediate facta nullam requirit propositionem ab ea distinctam, respectu ejus qui eam accipit; sed aliis innotescere non potest, nisi per loquelam, scriptu-

ram aliave signa exteriora eis proponatur : unde Apostolus, Rom. x, 17 : *Fides ex auditu.*

Duplex autem distinguitur revelationis propositio, videlicet, una publica qua aliquid, tanquam a Deo revelatum et fide catholica credendum, toti fidelium communitati per Ecclesiae infallibilem sententiam proponitur, et altera privata quae fit ab iis qui privilegio infallibilitatis non polent : tales sunt veritatum revelatarum, definitarum aut non definitarum, explicationes vel propositiones factae per Scripturarum interpretes, doctores, pastores inferiores, concionatores, catechistas, etc. *His notatis*, duo statuenda sunt, nempe :

1° Ad constituendam fidem catholicam requiritur propositio revelationis publica, seu Ecclesiae definitio; repugnat enim privatos homines fallibiles totam fidelium communitatem infallibiliter docere. Duplicis generis autem distinguendae sunt Ecclesiae propositiones seu definitiones; aliae nimirum explicitae quae totis exprimuntur verbis, et aliae implicitae quae evidenter supponuntur, vel in definitionibus explicitis manifeste continentur : haec, licet nullibi explicitae definita, sufficienter ab Ecclesia proponuntur ut ad fidem catholicam pertineant : talia sunt nonnulla puncta fundamentalia quae semper et ubique tanquam de fide credita sunt, licet non definita; tales sunt plurimae veritates dogmaticae aut morales in Scripturis tam manifeste contentae, ut ab omnibus eodem modo intelligantur. Ecclesia definiendo Libros sacros verbum Dei continere, has veritates sufficienter proposuit ut revelatas et fide catholica credendas.

2° Ad fidem theologiam propositio Ecclesiae non est absolute necessaria; quisquis enim certo cognoscit aliquam veritatem fuisse revelatam, eam, ex dictis, credere tenetur propter solam Dei auctoritatem; at fieri potest ut quis per sola motiva credibilitatis, independenter a propositione Ecclesiae, certo cognoscat aliquam veritatem esse revelatam, v. g. evolvendo monumenta traditionis, scrutando Scripturas et explicitas Ecclesiae definitiones : hinc contingere potest ut aliquid sit de fide divina res-

pectu unius et non respectu alterius, respectu doctorum et non respectu idiotarum, quia illis et non aliis innoscit ut revelatum.

ARTICULUS TERTIUS.

DE MOTIVIS CREDIBILITATIS.

Ut aliquam veritatem fuisse revelatam credamus eique adhaereamus, quaedam esse debent rationes quibus ad credendum determinemur, quia rationabile debet esse obsequium nostrum. Istae autem rationes dicuntur motiva credibilitatis, siquidem nos movent ad credendam.

Ex una parte assignavimus in Tractatu *de vera Religione* characteres quibus de existentia revelationis certo constare possit, nec non librorum Veteris et Novi Testamenti auctoritatem astruximus. In Tractatu *de vera Ecclesia* ostendimus corpus pastorum, cum capite suo iunctorum, et Romanum pontificem ex cathedra loquentem, ut melior fert sententia, cunctas, ex institutione Christi, fidei controversias infallibili auctoritate judicare. At in docendo nunquam Ecclesia errare potest. Judiciorum ejus conditiones et objecta sufficienter exposuimus; monstravimus quomodo fideles, etiam simplices et idiotae, via auctoritatis ducti, ad fidem perveniant, dum via discussionis a protestantibus admissa ad eam nunquam pervenire possent.

Ex altera parte, sola rei evidentia, omnibus communis, suadet Deo certe loquenti omnimodam fidem adhibendam esse. Quaedam igitur tantum hic notanda sunt circa credibilitatis motiva ad fidem necessaria. 1° Ut actus verae fidei eliciatur, saltem ordinarie requiruntur motiva externa credibilitatis quibus intellectus determinetur : nam 1° fidei actus in homine est actus humanus : debet ergo rationi esse consentaneus, ac proinde rationalibus motivis determinari, ut ait S. Th. 2 2, q. 1, art. 4, ad 2 : « Non enim crederet (homo) nisi videret ea esse credenda, vel propter evidentiam signorum, vel propter

» aliquid hujusmodi. » 2^o Fides est libera, ut docet concil. Trid. sess. 6, cap. 5, dicens : « Disponuntur ad ipsam » justitiam, dum excitati divina gratia et adjuti, fidem ex » auditu concipientes, libere moventur in Deum, cre- » dentes vera esse quæ divinitus revelata et promissa » sunt. » 3^o Debet esse constans et invicta : at fides sine motivis certis determinata, talis esse non posset : ergo.

Diximus *saltem ordinarie*, quia plures theologi docent actum fidei, Deo speciali modo interius agente, elici posse absque ullis credibilitatis motivis externis, et sic forte interdum credere nonnullos rudes, idiotas ac juvenes, cum primum ad adultam ætatem perveniant, dummodo tamen nullum sit apud eos dubium circa revelationis existentiam, quia fides proprie dicta cum vero dubio subsistere non potest.

Cæterum, hic supernaturalis Dei concursus ab iis non excluditur qui affirmant nullum fidei actum proprie dictum absque motivis credibilitatis existere posse, et sæpe, juxta eos, in idiotis ac juvenibus insufficientiæ motivorum ad prudenter agendum supplet.

2^o Necessè est ut ope dictorum motivorum objectum fidei fiat evidenter credibile, alioquin assensus firmus rationalis non esset. Non dicitur autem quod debeat esse evidenter verum; quia illud solum est evidenter verum quod in se vel in principiis suis clare cognoscitur : porro objectum fidei non ita cognoscitur, sed per testimonium Dei illud revelantis : at, licet respectu nostri sit obscurum vel incomprehensibile, fit tamen evidenter credibile, si certissime constet Deum illud revelasse : imo tunc evidenter credendum est; assensum quippe Deo aliquid certo revelanti denegare, est actus ipsi valde injuriosus et absurdus, ut patet. Ergo.

3^o Sequitur ex dictis non solum licere, sed laudabile esse motiva quibus vera nititur fides inquirere, ut rationem fidei nostræ reddere semper parati simus. Duplex igitur distinguendum est studium religionis : unum quo simpliciter discuntur veritates credendæ et in praxi sequendæ, et alterum quo requiruntur motiva quibus tuto

judicamus religionem nostram esse divinam ac solam veram. Ingens tamen datur discrimen, ut patet, inter hujusmodi examen et viam discussionis a protestantibus admissam, qua unusquisque omnes quæstiones fidei proprio judicio definire tenetur.

4^o Motiva credibilitatis tantum probabilia ad fidem divinam non sufficiunt : fides quippe divina est assensus mentis adeo firmus, ut credens paratus sit potius mori quam ab illo discedere; omnem igitur errandi formidinem excludit, et perfectam animi quietem supponit : at repugnat mentem motivo tantum probabiliter determinatam tam firmum præstare assensum, tantamque securitatem habere. Unde Innocentius XI sequentem damnavit propositionem, anno 1679 : « Assensus fidei supernaturalis » et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabiliter » revelationis, imo cum formidine qua quis formidat » ne non sit locutus Deus. » Clerus Gallicanus eandem damnavit propositionem, in comitiis anni 1700, ut scandalosam, perniciosam et Apostolicam fidei definitionem evertentem; *Bossuet*.

Si ergo theologi quandoque dicant aliquam propositionem esse probabiliter de fide, intelligendum est illam esse probabiliter revelatam, non vero esse objectum fidei proprie dictæ, quamdiu intra limites probabilitatis remanet.

5^o Motiva credibilitatis a motivo fidei scdulo distinguenda sunt; motivum enim fidei est ipsa Dei auctoritas, *ut supra diximus*; motiva vero credibilitatis sunt quædam ad fidem præambula, seu conditiones sine quibus fides ordinarie non existeret, quia de existentia revelationis non sufficienter constaret. Non sunt igitur necessario ejusdem ordinis, dignitatis et certitudinis ac proprium fidei motivum; motivum enim fidei est absolute unicum, infallibile, invariabile; motiva autem credibilitatis non sunt eadem pro omnibus, nec pro singulis temporibus, nec necessario sunt revelata, nec igitur supernaturalia, nec infallibilia in se : alii quippe his motivis convincuntur, alii majora vel numerosiora requirunt;

rustici, v. g., solo testimonio parochi perfecte determinantur, dum alii plene non essent contenti : hinc theologi distinguunt motiva credibilitatis absoluta, quæ scilicet respectu omnium certitudinem pariunt; et alia respectiva, quæ alios convincunt et respectu aliorum non sufficerent.

6^o In inquirendo modo quo notionem illam ad fidei assensum præviæ obtineantur, non immorabimur. Dicemus tantum systema D. de Lanennais, de Ratione universali, erroneum esse et in errorem inducere. Homines enim nullo modo traditione Apostolica indigent ut ad assensum motivis credibilitatis præbendum inducantur. Revelatio autem qua immediate nititur fides, est factum quod æque sensibile fieri potest ac facta mere naturalia : eadem igitur via illius existentia constare potest, et revera demonstravimus, in Tractatu de vera Religione, facta supernaturalia, tum Veteris, tum Novi Testamenti, non minus certo constare quam facta naturalia etiam maximi momenti. Ergo.

7^o Altera est quæstio inter theologos agitata, utrum videlicet auctoritas seu veracitas divina, quæ est proprium fidei motivum, cognosci possit et debeat modo supernaturali, an vero sufficiat ut modo naturali tantum cognoscatur. Nec eam quæstionem definire necesse est; etenim nullus est qui serio inficiari audeat Deo loquenti omnimodam fidem adhibendam esse : ubi autem credimus veritates ab ipso summe vero revelatas, quia eas revelavit, et gratia intus agente, assensus noster fit ordinis supernaturalis; a ratione tanquam a principio non procedit. Quid amplius inquirere opus est? Omnis ulterior investigatio non nisi obscuritates et mentis anxietates generaret, quia nihil clarius obtineri potest. Ergo.

ARTICULUS QUARTUS.

DE ANALYSI SEU RESOLUTIONE FIDEI.

Quemadmodum, in arte chymica, per divisionem partium materiæ ad prima corporum elementa ascenditur, et

hæc operatio vocatur analysis; sic, in materia fidei, per analysis intelligitur mentis operatio qua pervenitur ad prima fidei principia, in quibus quiescendum est, seu ad rationes quæ assensum nostrum determinant.

Ex dictis autem patet actum fidei divinæ quinque importare aut supponere, videlicet 1^o objectum revelatum; 2^o motivum supernaturale, seu auctoritatem Dei revelantis; 3^o veracitatem Ecclesiæ sensum revelationis infallibiliter proponentis; 4^o gratiam Dei assensum nostrum illæsa libertate dirigentem et ad statum supernaturalem elevantem; 5^o motiva credibilitatis. Itaque fides nostra optime resolvitur in objectum revelatum, in veracitatem Dei revelantis, in auctoritatem Ecclesiæ proponentis, in gratiam moventem et in motiva credibilitatis. Unde in fide qua credimus Deum esse trinum in personis, adest ipsa propositio revelata, auctoritas Dei revelantis, regula Ecclesiæ proponentis, gratia interior agens et assensum determinans aut perficiens, et motiva quibus ostenditur Ecclesiæ docenti credendum esse et Ecclesiam hanc propositionem definiisse.

Sciscitanti a nobis cur eam propositionem credamus, respondebimus, quia Deus eam revelavit; quærenti unde sciamus Deum eam revelasse, dicemus, quia Ecclesia sic docet. Si petatur cur Ecclesiæ credendum sit, adducemus credibilitatis motiva quibus ostenditur Ecclesiæ docenti tuto credendum esse, eamque talem propositionem definiisse.

Ea methodo omnes fideles, etiam rudiores, modo ratione polleant, ad eliciendum actum fidei rationabilem facile deducuntur.

Alia via æque facili ad eundem finem duci possunt, a primis principiis, ut in Tractatibus de Religione et de Ecclesia fecimus, sic procedendo : veritas factorum naturalium etiam antiquorum pluribus viis ad nos certe pervenire potest, ut omnes fatentur : facta autem supernaturalia non minus sensibus obvia, publica et gravis momenti esse possunt : tam certo igitur veritas eorum ad nos eisdem viis transmitti potest. Porro nulla sunt facta

naturalia præterita quorum veritas majori fulgeat evidentia, quam veritas factorum supernaturalium in libris tum Veteris, tum Novi Testamenti descriptorum, ut in Tractatu *de Religione* ostendimus. Ex his factis, ex traditione et ratione clare demonstratur divinæ revelationis existentia, nec non auctoritas Ecclesiæ in docendo infallibilis: deinde, ad propositionem particularem deveniendo, ostenditur eam ab Ecclesia esse propositam, ac consequenter revelatam, et ideo, propter summam Dei veracitatem, firmiter, Deo adjuvante, credendam.

Cæterum, ut sane judicetur qua via præsertim infantes et indocti actum fidei eliciant, in memoriam revocanda sunt ea quæ diximus in Tractatu *de vera Ecclesia*. Vide *Holden*, cap. 6: *La Foi justifiée*, ad calcem.

CAPUT QUARTUM.

DE REGULIS FIDEI.

Regulæ fidei sunt viæ nos dirigentes ad certo cognoscendum tum revelationis existentiam, tum genuinum ejus sensum. Tota revelatio divina custoditur, velut depositum, in Scriptura sacra et in traditione: quoniam autem neque Scriptura neque traditio veritates in se contentas viva voce explicant, dicuntur regulæ fidei mortuæ seu inanimatæ, et forte rectius dicerentur fontes fidei. Necessariam esse regulam vivam seu animatam Scripturam et traditionem infallibili auctoritate explicantem, theologi catholici unanimiter docent, ostenduntque eam esse Ecclesiam quæ infallibiliter loquitur, juxta omnes, sive per concilium generale, sive per consensum expressum aut tacitum episcoporum summo Pontifici junctorum, sive per decretum Romani pontificis ex cathedra loquentis, juxta meliorem sententiam.

De hac fidei regula sufficienter diximus in Tractatu *de vera Ecclesia*; nunc igitur restat ut de Scriptura sacra et de traditione quædam in duplici articulo dicamus.

ARTICULUS PRIMUS.

DE SCRIPTURA SACRA.

Per Scripturam sacram intelligitur verbum Dei divinitus scriptum. Dicitur etiam per excellentiam simpliciter *Scriptura*, vel *Biblia* aut *Litteræ sacræ*; vocatur *Testamentum*, quia sicut voluntas hominis testamento declaratur, sic Deus per Scripturam sacram voluntatem suam hominibus manifestavit. Appellatur insuper *verbum Dei*, *sermo Dei*, *divina eloquia*, etc.

Librorum Veteris et Novi Testamenti authenticitatem, veritatem et integritatem in Tractatu *de vera Religione* demonstravimus. His suppositis, paucis verbis nobis dicendum est 1° de eorum divinitate, 2° de eorum canonicitate, 3° de multiplici eorum sensu, 4° de regulis ad assignandum sensum eorum genuinum sequendis, et 5° de variis eorum editionibus.

§ I. — De librorum Veteris et novi Testamenti divinitate seu inspiratione divina.

Triplici modo liber aliquis dici potest divinus seu divinitus scriptus, nempe 1° si Deus scriptori immediate revelet quid debeat scribere; 2° si Deus per internam voluntatis incitationem aliquem ad scribendum efficaciter moveat, et per mentis illustrationem inspiret quæ vult ut ab eo scribantur; 3° tandem, saltem latiori sensu a quibusdam admissio, si Deus aliquem ex proprio motu scribentem ita speciali assistentia dirigat, ut eum ab omni errore tueatur. De his modis infra dicemus.

Quærendum est igitur 1° an libri Veteris et Novi Testamenti fuerint inspirati, et 2° quo modo fuerint inspirati.

Notandum ingens dari discrimen inter revelationem et inspirationem, licet utraque sese non excludat.

Revelatio est manifestatio veritatis a Deo viis supernaturalibus facta; inspiratio vero est quædam superna-

naturalia præterita quorum veritas majori fulgeat evidentia, quam veritas factorum supernaturalium in libris tum Veteris, tum Novi Testamenti descriptorum, ut in Tractatu *de Religione* ostendimus. Ex his factis, ex traditione et ratione clare demonstratur divinæ revelationis existentia, nec non auctoritas Ecclesiæ in docendo infallibilis: deinde, ad propositionem particularem deveniendo, ostenditur eam ab Ecclesia esse propositam, ac consequenter revelatam, et ideo, propter summam Dei veracitatem, firmiter, Deo adjuvante, credendam.

Cæterum, ut sane judicetur qua via præsertim infantes et indocti actum fidei eliciant, in memoriam revocanda sunt ea quæ diximus in Tractatu *de vera Ecclesia*. Vide *Holden*, cap. 6: *La Foi justifiée*, ad calcem.

CAPUT QUARTUM.

DE REGULIS FIDEI.

Regulæ fidei sunt viæ nos dirigentes ad certo cognoscendum tum revelationis existentiam, tum genuinum ejus sensum. Tota revelatio divina custoditur, velut depositum, in Scriptura sacra et in traditione: quoniam autem neque Scriptura neque traditio veritates in se contentas viva voce explicant, dicuntur regulæ fidei mortuæ seu inanimatæ, et forte rectius dicerentur fontes fidei. Necessariam esse regulam vivam seu animatam Scripturam et traditionem infallibili auctoritate explicantem, theologi catholici unanimiter docent, ostenduntque eam esse Ecclesiam quæ infallibiliter loquitur, juxta omnes, sive per concilium generale, sive per consensum expressum aut tacitum episcoporum summo Pontifici junctorum, sive per decretum Romani pontificis ex cathedra loquentis, juxta meliorem sententiam.

De hac fidei regula sufficienter diximus in Tractatu *de vera Ecclesia*; nunc igitur restat ut de Scriptura sacra et de traditione quædam in duplici articulo dicamus.

ARTICULUS PRIMUS.

DE SCRIPTURA SACRA.

Per Scripturam sacram intelligitur verbum Dei divinitus scriptum. Dicitur etiam per excellentiam simpliciter *Scriptura*, vel *Biblia* aut *Litteræ sacræ*; vocatur *Testamentum*, quia sicut voluntas hominis testamento declaratur, sic Deus per Scripturam sacram voluntatem suam hominibus manifestavit. Appellatur insuper *verbum Dei*, *sermo Dei*, *divina eloquia*, etc.

Librorum Veteris et Novi Testamenti authenticitatem, veritatem et integritatem in Tractatu *de vera Religione* demonstravimus. His suppositis, paucis verbis nobis dicendum est 1° de eorum divinitate, 2° de eorum canonicitate, 3° de multiplici eorum sensu, 4° de regulis ad assignandum sensum eorum genuinum sequendis, et 5° de variis eorum editionibus.

§ I. — De librorum Veteris et novi Testamenti divinitate seu inspiratione divina.

Triplici modo liber aliquis dici potest divinus seu divinitus scriptus, nempe 1° si Deus scriptori immediate revelet quid debeat scribere; 2° si Deus per internam voluntatis incitationem aliquem ad scribendum efficaciter moveat, et per mentis illustrationem inspiret quæ vult ut ab eo scribantur; 3° tandem, saltem latiori sensu a quibusdam admissio, si Deus aliquem ex proprio motu scribentem ita speciali assistentia dirigat, ut eum ab omni errore tueatur. De his modis infra dicemus.

Quærendum est igitur 1° an libri Veteris et Novi Testamenti fuerint inspirati, et 2° quo modo fuerint inspirati.

Notandum ingens dari discrimen inter revelationem et inspirationem, licet utraque sese non excludat.

Revelatio est manifestatio veritatis a Deo viis supernaturalibus facta; inspiratio vero est quædam superna-

turalis excitatio ad scribendum, cum illustratione interiori et directione a Spiritu sancto impressis.

Auctores sacri, sub inspiratione Dei scribentes, aliquando immediatam habuerunt revelationem, ut Moyses et Prophetae; aliquando proprie dicta revelatione non indiguerunt, quia narrabant facta aliunde sibi nota.

Punctum primum. — *An libri Veteris et Novi Testamenti fuerint inspirati.*

Negavit Spinoza, in opere inscripto : *Tractatus theologico-politicus*, cap. 11; negant hodie non solum deistae, omnem revelationem tollentes, sed et Christiani ignari vel indifferentes, qui libros utriusque Testamenti, praesertim Novi, laudant ut bonos et pios, nolunt vero eos a Deo expresse fuisse inspiratos. Quidam doctores catholici, inter quos Erasmus, Holden, etc., tenuerunt divinam inspirationem ad ea solummodo se extendere quae doctrinalia sunt vel ad doctrinalia proximum habent respectum; ad alia vero, solam Dei assistentiam esse admittendam. Hos et illos in duplici propositione confutabimus.

PROPOSITIO PRIMA.

Libri Veteris et Novi Testamenti vere fuerunt inspirati.

Haec propositio est de fide. Solis enim motivis credibilitatis demonstravimus Ecclesiae Christi existentiam ejusque auctoritatem infallibilem: atqui Ecclesia in concilio Tridentino coadunata definiit, sess. 4, « omnes libros tam Veteris quam Novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor ... pari pietatis affectu ac reverentia » se suscipere ac venerari. Eisdem semper proposuit fidelibus ut verbum Dei continentem. Ergo.

In edenda autem hac fidei definitione Ecclesia innixa est ipsamet Scriptura sacra, testimoniis Patrum, traditione et argumento theologico.

1° *Scriptura sacra.* Solis namque viis naturalibus de-

monstratur libros Veteris et Novi Testamenti saltem habendos esse ut monumenta humana inconcussa: eorum igitur testimonium merito invocatur ad ipsorum naturam recte cognoscendam. Perro ex multis praedictorum librorum textibus constat eorum auctores a Deo fuisse inspiratos; etenim sancti illi homines missionem suam miraculis et prophetiis ostendentes, ab omni mendacio tam evidenter alieni, variis in locis testantur se ea quae scribunt a Deo accepisse, se Deo mandante vel inspirante haec scribere: v. g., *Locutus est Dominus ad Moysen, dicens; Dixit Dominus ad Moysen; Locutusque est Dominus cunctos sermones hos* (ibi agitur de lege in monte Sinai data, Exod. xx); *Audite me; haec dicit Dominus, etc., etc.* Hi textus probant Moysen ea in Pentateucho scripsisse quae a Deo didicerat.

In libris Novi Testamenti saepe allegantur Scripturae ut divinam habentes auctoritatem: exempli gratia, Joan. v, 39: *Scrutamini Scripturas: ille sunt quae testimonium perhibent de me;* et 46: *Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi: de me enim ille scripsit;* Luc. xxix, 27: *Et incipiens a Moyse et omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quae de ipso erant.*

II Tim. iii, 16: *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia.*

Hebr. i, 1: *Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio.*

II Petr. i, 20: *Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia Scripturae propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.*

Certe Scripturae quae sic exhibentur ut a Deo inspiratae illi sunt libri qui a Judaeis habebantur ut canonici; talis quippe est sensus obvius vocis Scripturarum. Hoc argumentum valet pro libris qui apud Judaeos habebantur ut inspirati. Ergo 1°.

2^o SS. Patrum testimoniis ac traditione : S. Irenæus, contra Hæres. l. 2, cap. 28 : « Scripturæ perfectæ sunt, quippe a Verbo Dei et Spiritu ejus dictæ. »

S. Just., Dialogo cum Tryph. : « Adhuc autem ut vobis persuadeam nihil vos Scripturarum intelligere, alium quoque Psalmum Davidi a Spiritu sancto dictatum commemorabo. » Eadem veneratione de aliis Scripturæ partibus variis in locis loquitur.

S. Theophilus, ad Autolyceum, l. 3, n. 12, inter opera S. Just. : « Adhuc etiam et de justitia quam lex præcipit consentaneæ inveniuntur Prophetarum et Evangeliorum sententiæ, propterea quod omnes uno Dei afflati Spiritu locuti sunt. »

Tertull., lib. de Cultu feminarum, cap. 3 : « Legimus, inquit, omnem Scripturam ædificationi habilem, divinitus inspirari. » Verbis B. Pauli ad Tim. supra citatis evidenter alludit.

Alii omnes eodem sensu locuti sunt, et unanimis ac constans fuit Judæorum ac Christianorum sententia, libros canonicos divinitus fuisse inspiratos. Ergo 2^o.

3^o *Argumento theologico.* Christus suos mittens Apostolos, dedit eis eorumque successoribus auctoritatem docendi infallibiliter quæcumque ab illis didicerant, promittens se cum illis docentibus perpetuo adfuturum esse. Ergo ab eo tempore Ecclesia docens speciali Dei assistentia fuit infallibilis. Quando igitur libri Novi Testamenti successive prodierunt, Ecclesia infallibiliter judicare potuit an veram Christi doctrinam divinitus continerent. Porro sic præsentavit et continuo præsentat libros tum Veteris tum Novi Testamenti. Ergo 3^o, etc.

Fatendum est tamen probationes istas insufficientes fore, si a traditionibus judaicis et christianis et a definitionibus Ecclesiæ sejungerentur, ad demonstrandum omnes libros Veteris et Novi Testamenti inspiratos esse : adversus illos seorsim sumptos multa objici possunt. Idcirco protestantes, traditiones et auctoritatem Ecclesiæ negantes, nullam habent viam clare demonstrandi libros quos habent ut divinos vere fuisse inspiratos.

PROPOSITIO SECUNDA.

Divina inspiratio non solum ad præcipuas, sed ad omnes partes Scripturarum ab auctoribus sacris exaratas extendenda est.

Prob. decreto concilii Tridentini.

Concilium enim Tridentinum sess. 4, in fine decreti de canonicis Scripturis, ait : « Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri Vulgata Latina editione habentur, pro veris et canonicis non susceperit.... anathema sit. » Ergo illi libri quoad omnes partes habendi sunt ut sacri : at partes non inspiratæ improprie dicerentur sacræ : ergo. Quia tamen sacrum concilium ipsa voce *inspirationis* non utitur, propositio nostra, licet certissima, non est de fide catholica.

Concilii decretum innixum est Scriptura sacra, traditione et ratione.

1^o *Scriptura sacra.* Textus enim Scripturæ superius allati probant libros Veteris et Novi Testamenti simpliciter esse divinos : at dici non possent simpliciter divini, si in cunctis partibus non fuissent inspirati : ergo 1^o, etc. Idem argumentum testimoniis Patrum applicari potest.

2^o *Traditione.* Communis enim sensus, tum Judæorum, tum Christianorum, libros Scripturæ semper habuit ut simpliciter divinos, ut Spiritu Dei afflatos ; et, paucissimis exceptis, utriusque Testamenti doctores prædictam distinctionem vel ignoraverunt, vel impiam dixerunt, aut saltem procul rejecerunt, ut videre est apud Melchiorum Canum, l. 2, cap. 17. Ergo 2^o.

3^o *Ratione.* Admitti non potest sententia quæ divinam auctoritatem librorum sacrorum everteret : at sententia nobis opposita divinam, etc. Admissa enim distinctione inter partes inspiratas et partes non inspiratas, nulla pars certo haberi poterit ut divina, nisi aliqua existat regula ad partes inspiratas a non inspiratis tuto secer-

nendas. Porro hujusmodi regula nullibi assignatur; ergo 3^o, etc.; aliunde, etc. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1^o. In primis generis humani incunabulis, homines inculti proni erant ad judicandum quæcumque videbantur extraordinaria e cælo descendere: ergo sententia de Scripturarum inspiratione superstitioni tribui potest.

R. 1^o. Dist. ant. Homines proni erant ad judicandum, etc., quia sciebant omnia a Deo venire, Deum omnibus præesse, primos homines allocutum esse, eis multa revelasse, *concedo*; sic judicabant ex superstitione, *nego ant.* Falso enim primi homines ab hodiernis philosophis exhibentur ut agrestes, inculti, etc. Ex certissimis quippe monumentis constat eos ab ipso Deo multis ideis, notionibus et usu loquelæ donatos esse: non mirum ergo si omnia Deo tribuerint, atque Deum fere in omnibus viderint.

R. 2^o. Nego conseq. Nam 1^o libri sacri non fuerunt scripti in primis generis humani incunabulis, sed in variis temporibus in quibus homines non erant inculti; 2^o auctores sacri se a Deo inspiratos esse dixerunt, miraculis et prophetiis se verum narrare demonstrarunt; Ecclesia infallibiliter definiit eos fuisse inspiratos. Ergo inspiratio librorum utriusque Testamenti superstitioni rationabiliter tribui non potest.

Obj. 2^o. Inspiratio prorsus inutilis admitti non potest: at in multis librorum sacrorum partibus, nempe in iis quæ auctores via naturali noscebant, inspiratio erat prorsus inutilis: ergo.

R. Nego min. Illa quippe inspiratio dici non potest inutilis, quæ efficit ut narratio etiam factorum via naturali cognitorum, divinam habeat auctoritatem, sit sacra, sit verbum Dei, fiat intuitu finis a Deo intenti: atqui hoc præstat inspiratio divina auctoribus librorum sacrorum concessa, etiam pro factis via naturali cognitis: ergo.

Inst. 1^o. In eâ hypothesis, auctores sacri nihil debuissent propriis labori, studio, curæ, meditationi, etc. Atta-

men plures testantur se humano modo egisse, ut auctor libri II Machabæorum, II, 24 et seq., S. Lucas, in initio Evangelii sui: ergo.

R. Nego maj. Divina enim inspiratio laborem, curam et diligentiam humanam non excludit necessario, quia non repugnat Deum afflare scriptorem, eum ad laborem, curam et diligentiam excitando, et simul res ignotas revelando, oblivione deletas in memoriam revocando; quænam scribenda, quænam vero omittenda docendo: facta autem citata et alia quæ citari potuissent, Deum sic quandoque egisse probant, et nihil ultra. Ergo.

Inst. 2^o. Plura in Scripturis sacris narrantur dubia, v. g., Joan. II, 6: *Erant hydriæ... capientes metretas binas vel ternas*; Luc. III, 23: *Ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta*; alia inspirari non potuerunt, v. g. quæ Judith dixit Holoferno ut eum deciperet; alia sunt mendacia: sic, apud Matth., II, 23, citatur prophetia: *Quoniam Nazareus vocabitur*, quæ nullibi legitur, etc. Ergo.

R. Nego antecedens quoad omnes partes. 1^o Enim certum erat hydrias esse capientes metretas binas vel ternas, et Spiritus sanctus, ob rationes sibi cognitæ, circumstantiam capacitatis expressius ab Evangelista determinari noluit; idem de alio textu in exemplum allato dicendum est. 2^o Certe non docemus ea quæ Judith dixit Holoferno aliaque multa in libris sacris relata, Deo inspirante facta esse, sed scripta. Unde inspiratio divina narrationem hujusmodi rerum afficit, non vero earum explicationem: probat igitur ea certo contigisse, et neutiquam ea fuisse licita. 3^o S. Matth. dicens: *Ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas: Quoniam Nazareus vocabitur*, verba alicujus Prophetæ citare noluit, sed rem per plures Prophetas expressam; vox enim *Nazareus* significare potest tum hominem ab omni inquinamento segregatum, quod passim prædixerant Prophetæ de Christo, tum incolam civitatis Nazareth, tum virum inter alios excellentem. Atqui hæc omnia verissime dici possunt de Christo. *Calmet. Dict. de la Bible, v^o Nazaréen.*

Obj. 3°. Librarii sacros libros scribes aut typis exarantes, qui eos in alias convertunt linguas, ab erroribus non custodiuntur; ergo nec primi auctores ab omni errore in singulis partibus fuerunt necessario præservati.

R. Nego cons. et par. Rationes disparitatis sunt 1° quia errores amanuensium et librariorum ac interpretum facile deteguntur, comparatione cum textu originali, dum errores auctorum ipsorum nulla ratione detegi possent; 2° quia menda hujus generis cum erroribus in ipso textu existentibus nullam habent proportionem; 3° quia vitari non potuissent sine perpetuo miraculo quod Deus operari non tenetur. Ergo, etc.

Obj. 4°. Apostoli alique auctores sacri non erant infallibiles loquendo; ergo nec scribendo.

R. Nego conseq. Deus enim, auctor illorum infallibilitatis, voluit eos scribentes speciali assistentia dirigere, non vero eos loquentes. Quid inde? Nonne est liber in bonis suis distribuendis?

Caveamus ne aliquid falsi vel absurdi in libris sacris inesse dicamus, quia illud ideis nostris primo intuitu consonum non videtur: pro nobis potius æstimemus dicta sequentia S. Aug. verba contra Faustum, l. 77, cap. 5;

« Ibi si quid velut absurdum moverit, non licet dicere: »
 « Auctor hujus libri non tenuit veritatem; sed: Aut co- »
 « dex est mendosus, aut interpres erravit, aut tu non in- »
 « telligis. »

Alia plura quæ objici solent, jam soluta sunt in Tractatu *de vera Religione*, parte 3^a.

Punctum secundum. — Quo modo Libri sacri fuerint inspirati.

In puncto primo diximus triplicem modum exhibitum fuisse ab auctoribus ad explicandam inspirationem divinam.

1° Omnes concedunt immediatam Dei revelationem necessariam non esse ut liber aliquis recte dicatur divinus; clare enim concipitur librum Deo inspirante scriptum, reipsa a Deo venire, verba Dei continere, ac consequenter esse divinum.

2° Communius docetur solam Dei assistentiam ad constituendum librum sacrum non sufficere; tunc enim ipsius verba, licet ab omni errore auxilio Dei servata, non essent proprie verba Dei. Sic conciliorum generalium definitiones, etsi assistentia Dei infallibiles, a nemine Scripturæ sacræ æquiparantur.

Lessius et Hamelius, theologi e societate Jesu, inter quædam alia minus recta, sequentem propugnaverunt propositionem anno 1586: « Liber aliquis, qualis forte » secundus Machabæorum, humana industria sine as- » sistentia Spiritus sancti scriptus, si Spiritus sanctus » postea testetur ibi nihil esse falsum, efficitur Scriptura » sacra. » Hæc propositio, a facultatibus Duacensi et Lovaniensi damnata, apud omnes doctores catholicos reputatur falsa; liber enim sic scriptus, licet ab omni errore alienus, dici non posset verba Dei continere: ergo non esset divinus. Vid. P. Perrone, de can. lib. insp. c. 11.

3° Sufficit igitur secundus modus supradictus, videlicet si Deus per internam voluntatis incitationem aliquem ad scribendum efficaciter moveat, et per mentis illustrationem ei inspiret quæ vult ut ab illo scribantur.

Ad majorem autem rei intelligentiam, sequentia notanda sunt.

Inter ea quæ ab auctoribus sacris scripta sunt, quædam ipsis immediate fuerunt revelata, nempe ea quæ ignorabant et via naturali cognoscere non poterant, ut mysteria, leges et mandata divina; alia vero a Spiritu sancto eis suggesta sunt et quasi dictata per motum voluntatis et illustrationem intellectus, *ut supra notavimus*. Modus autem hujusmodi excitationis atque illustrationis nos latet: probabiliter non fuit idem in omnibus.

In libris sacris tria distingui possunt, videlicet, res, stylum et voces. Constat, ex dictis, inspirationem admittendam esse quoad res, id est, quoad facta et sententias vocibus expressas: sed probabilius videtur eam non extendendam esse, saltem ordinarie, ad stylum et voces. Nam 1° auctor secundi libri Machab. xv, 39, veniam a lectore petit, dicens: *Sin autem minus digne* (scripserim),

concedendum est mihi; 2° Evangelistæ verba Christi semel prolata, v. g., *Hic est sanguis meus Novi Testamenti*, varie referunt; 3° plures sancti Patres et in primis S. Aug., de Consensu Evangelistarum, l. 2, c. 28, n. 67, expresse docent sententiam loquentis non in diversitate verborum requirendam esse, quia non putandum est veritatem apicibus litterarum quodammodo ligatam esse. 4° Magna est diversitas sermonis inter auctores sacros: at non videtur quomodo tanta existeret diversitas, si Spiritus sanctus ipsas inspirasset voces. 5° Versiones Scripturæ fideles semper habitæ sunt ut verba Dei continentēs: at in sententia nobis adversa, solus textus originalis sic recte diceretur. Ergo. Ita nunc communius theologi et Scripturæ sacre interpretes, contra alios multos, ut *Vence, Discours préliminaire, Dens*, etc., qui dicunt Spiritum sanctum verba Scripturarum diversis auctoribus dictando, se cujusque ingenio accommodasse.

Diximus *saltem ordinariè*; quia generaliter docent theologi quædam verba, ea, v. g., quibus exprimuntur mysteria, Decalogi præcepta, etc., a Spiritu sancto fuisse inspirata. In cæteris omnes admittunt saltem aliquam Spiritus sancti assistentiam, vi cujus semper adhibita fuerint voces sensui exprimendo idoneæ.

§ II. — De canonicitate Librorum sacrorum.

ΚΑΝΩΝ, vox Græca, significat regulam aut catalogum, et in posteriori sensu hic sumitur. *Canon* igitur divinarum Scripturarum est catalogus librorum sacrorum. Fieri potest ut aliquis liber sit divinus et non cognoscatur certo ut talis, ac proinde in catalogo seu in canone librorum divinatorum non inscribatur.

Duo hic breviter discutienda occurrunt: 1° qua via libri divini certo cognoscantur, et 2° quinam libri revera sint canonici.

Punctum primum. — *Qua via Libri divini certo cognosci possint.*

Lutherani et Calvinistæ, traditionem postponentes et

auctoritatem Ecclesiæ evertentes, quinque assignant vias quibus libri divini a non divinis tuto secernantur, scilicet, 1° insertionem in canone Judæorum: 2° admissionem apud omnes primas societates christianas; 3° evidentiam elaram, vi cujus divinitas alicujus libri sese manifestat sicut lux meridiana; 4° testimonium internum Spiritus sancti, nobis aperte manifestantis talem librum fuisse inspiratum; 5° gustum spiritualem quo libros divinos a non divinis secernimus, quemadmodum gustu corporali dulce ab amaro distinguimus. Verum, 1° canon librorum apud Judæos sacrorum a solo refertur Josepho, cujus testimonium haberi non potest ut infallibile; 2° traditiones primarum societatum christianarum ab Ecclesiæ definitionibus sejunctæ non satis sunt claræ ut omnes anxietates tollant, quod suis exemplis superabundanter ostendunt protestantes, siquidem circa numerum et qualitatem librorum canonicorum sibi concordare nequeunt et in opiniones magis ac magis temerarias abeunt.

Ex dictis in Tractatu *de vera Ecclesia* patet alias regulas a protestantibus assignatas prorsus insufficientes esse. Eorum exemplum iterum citari potest in assertionis confirmationem.

PROPOSITIO.

Auctoritas Ecclesiæ est via tuta et unica qua Libros divinos infallibiliter cognoscamus.

Prob. 1° Est via tuta. Si enim vera Ecclesia infallibilitate donata fuerit a Christo, ita ut errare non possit in docendo, maxime quando assignat libros depositum fidei continentēs. Traditiones Judæorum et Ecclesiarum christianarum collegit, eas servat ac interpretatur: eis innixa, canonem librorum sacrorum infallibiliter determinat. Ergo 1°, etc.

2° *Est via unica.* Vel enim est via unica, vel dicendum est vias a protestantibus assignatas sufficere: atqui posterius dici non potest; requiritur enim via clara, omni-

bus communis et infallibilis : atqui nulla ex viis a Protestantibus assignatis tales habet characteres, siquidem iis utentes, eas invocantes, sibi consentire nequeunt. Aliunde nemo non videt quod clara evidentia, internum Spiritus sancti testimonium et gustus spiritualis sint viæ arbitrariæ, nullo principio innixæ, nullum vinculum commune præ se ferentes, ac proinde ad constituendam fidem communem et infallibilem prorsus insufficientes. Ergo 2º, etc.

Quidam protestantes insufficientiam hujusmodi viarum persentientes, testimonium Christi et Apostolorum invocaverunt : sed 1º illud testimonium absque traditione et auctoritate Ecclesiæ infallibiliter non cognosceretur ; 2º divinitatem librorum Novi Testamenti ostendere non potest. Alii fatentur testimonium Veteris Synagogæ et consensum ecclesiarum christianarum maximi esse ponderis in determinando canone librorum divinatorum : at ista via a definitionibus separata non est clara nec tuta, ut suis exemplis demonstrant protestantes. Ergo, etc.

Punctum secundum. — *Quinam libri revera sint canonici.*

Certum est canonem librorum sacrorum existisse apud Judæos a Moyse usque ad Christum, et apud Christianos ab Apostolis usque ad nos ; sed ille canon non fuit completus in initio : statim post Moysen complectebatur tantum quinque illius auctoris libros, quibus alii decursu temporis adjecti sunt. Communis Judæorum sententia est Esdræ, scribæ seu Legis doctorem, Spiritu divino afflatum, omnes libros sacros tunc notes post captivitatem Babyloicam collegisse et in uno indice seu canone inscripsisse.

In eo canone reperiuntur Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, liber Josue, liber Judicum, Ruth, quatuor libri Regum, duo Paralipomenon, primus et secundus Esdræ, Esther, Job, liber Psalmorum, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum canticorum, Isaias, Jeremias, Ezechiel, Daniel et duodecim minores Prophetæ. Josephus, l. 1 contra Appionem, cap. 2, dicit libros

sacros Judæorum esse numero viginti et duo : quinque Moysis, tredecim Prophetarum, continentes omnia quæ contigerant a morte Moysis usque ad Artaxerxem Longimanum, et quatuor habentes hymnos, cantica et Dei præcepta. Hi quatuor erant liber Psalmorum, Proverbia, Ecclesiastes et Canticum canticorum. Tredecim Prophetarum sunt : 1º liber Josue ; 2º liber Judicum et Ruth ; 3º duo primi Regum, qui in uno volumine erant sub nomine Samuel ; 4º duo alii, qui simpliciter dicebantur Regum, et unum volumen efficiebant ; 5º duo Paralipomenon, qui etiam unicus erant liber ; 6º libri Esdræ et Nehemiæ, in uno ; 7º Esther ; 8º Job ; 9º Isaiæ ; 10º Jeremiæ et Lamentationes ; 11º Ezechiel ; 12º Daniel ; 13º duodecim minores Prophetæ.

Hanc divisionem a Josepho relatam attendebat Christus quando dicebat : *Quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in Lege Moysi, in Prophetis et in Psalmis de me*, Luc. XXIV, 44.

Post Esdræ detecti sunt libri Baruch, Tobiæ, Judith et ampliores codices Danielis et Esther, qui, licet inspirati, calamitatibus temporum in oblivionem deveniant ; postea, inspirante Spiritu sancto, scripti sunt libri Sapientiæ, Ecclesiastici, et Machabæorum. Hos libros commemorat Josephus, loco citato, dicens res gestas ab Artaxerce usque ad sua tempora scriptas fuisse, sed illa scripta ejusdem non esse auctoritatis, quia ministerio alicujus prophætæ inter libros sacros nondum erant collocata.

Quod nullus Propheta fecerat fecerunt Christus et Apostoli, dictos libros habendo ut divinos, et serius Ecclesia eos in suo canone inserendo.

Apud Christianos, S. Joannes, referente Eusebio, Hist. Eccles. l. 3, cap. 24, Evangelia S. Matthæi, S. Marci et S. Lucæ ab episcopis Asiæ sibi oblata approbavit, et suum postea scripsit tanquam aliorum supplementum : sic ante finem primi sæculi quatuor Evangelia habebantur ut canonica, et multa Evangelia ab hæreticis fabricata constanter rejecta sunt ut spuria.

S. Polycarpus, in sua Epistola ad Philippenses, apud *Cotel. t. II*, Actus Apostolorum commemorat; pluries etiam citat Epistolas, quibusdam tamen omissis. Idem reperitur apud S. Ignatium, Epist. ad Philadelphenos, apud Tertull., l. de Præscrip., cap. 36, et generatim apud primos Patres.

Conc. Carth. III, anno 397 celebratum, cui quadraginta et quatuor assistebant episcopi, inter quos S. Aug., et in sexta synodo generali approbatum, hæc habet in canone 47: « Item placuit ut, præter Scripturas canonicas, nihil in Ecclesia legatur sub nomine divinarum » Scripturarum. Sunt autem canonicæ Scripturæ, Genesim, etc. » Nominat omnes libros Veteris et Novi Testamenti prout sunt in Vulgata nostra, et addit: « Quia » a patribus ista accepimus in Ecclesia legenda. » Mos itaque jam antiquus erat hos omnes libros habendi ut canonicos. Innocentius I hunc canonem nomine totius Ecclesiæ Occidentalis approbavit, anno 403, epistola ad Exuperium, Tolosanum episcopum. Synodus generalis sexta, Constantin. celebrata, anno 692, in Trullo, illum approbavit. S. Aug. eundem canonem recenset, de Doctrina Christi, l. 2, cap. 8, 1 part. Eundem pariter habent omnes Ecclesiæ Orientales.

Tandem concil. Trid., sess. 4, illum renovat, eosdem computans libros, et decernens eos integros cum omnibus partibus suis *pro sacris et canonicis* suscipiendos esse.

Synodus a schismaticis Græcis Hierosolymis anno 1672 celebrata, iisdem nominatis libris qui in decreto concilii Tridentini reperiuntur, subjungit: « Hos omnes iudicamus esse canonicos et sacram Scripturam confitemur, » quoniam eos tradidit antiqua consuetudo, seu magis » Ecclesia catholica. »

Canon igitur concilii Tridentini, antiquissimæ traditioni Ecclesiæ Orientalis et Occidentalis conformis, de fide tenendus est; nec ullo modo audiendi sunt protestantes, qui, nonnullis cavillationibus innixi, aliquos ex dicto canone expungunt libros, nempe in Veteri Testamento quicquid in canone Judæorum superius exposito

non continebatur; et in Novo Testamento, Lutherani rejiciunt Epistolam B. Pauli ad Hebræos, Epistolas SS. Jacobi et Judæ, secundam B. Petri, secundam et tertiam B. Joannis et Apocalypsim: Calvinistæ vero hos Novi Testamenti libros admittunt.

Notandum libros qui semper fuerunt in canone, dici ab interpretibus *protocanonicos*; eos vero qui tardius in canone inserti sunt, vocari *deuterocanonicos*. Hi autem quorum inspiratio est dubia, quales sunt III et IV Esdræ, vel qui æstimantur suppositi, ut pseudo-evangelia, dicuntur *apocrypha*.

Libri deuterocanonici Veteris Testamenti sunt: Baruch, Tobie, Judith, Sapientia, Ecclesiastici, duo Machabæorum, et quædam fragmenta Esther ac Danielis. Rationes cur in canone Esdræ non inveniuntur et secundæ fuerint auctoritatis apud Judæos supra exposuimus.

Plures antiqui scriptores ecclesiastici, ut Melito episcopus Sardensis, in secundo sæculo, hos libros omiserunt, vel inferioris auctoritatis crediderunt, et in hoc plus consulebant morem Judæorum quam ecclesiarum traditiones quæ brevi prævaluerunt, *ut patet ex dictis*.

Libri deuterocanonici Novi Testamenti sunt: Epistola ad Hebræos, Epistolæ S. Jacobi et S. Judæ, secunda B. Petri, secunda et tertia B. Joannis, Apocalypsis, et quædam loca Evangeliorum S. Marci, S. Lucæ et S. Joannis, ac I Epist. B. Joan. in Tractatu *de vera Religione* recensita. Plures afferri possunt rationes cur illa scripta non statim ab omnibus habita fuerint ut canonica, nempe: 1^o aliqua erant brevia et ad privatas personas directa: non mirum igitur si quibusdam ecclesiis particularibus diu manserint occulta; 2^o alia ad nullam ecclesiam specialius pertinebant; eorum autographa diu latere vel omnino perire potuerunt, et tunc non nisi ex collatione variorum exemplarium exscriptorum textus integer obtineri potuit; 3^o libri Novi Testamenti non erant in uno volumine collecti, ut hodie, sed separatim editi: multo facilius ignorari, vel incorrecte divulgari poterant; 4^o quoniam in illo tempore multa per omnes

ecclesias spargebantur scripta, sub nomine Apostolorum ab hæreticis conficta. Patres et ecclesiæ particulares summam in discernendis veris Scripturis a spuriis adhibebant diligentiam, quia minus malum ipsis videbatur suum iudicium circa veras suspendere, quam periculo falsas pro veris assumendi se exponere. Hinc patet cano- nem in concilio Carth. III exaratum et exhibitum ut traditioni jam antiquæ consentaneum, non leviter fuisse confectum. Quanta igitur est audacia novatorum qui, regulam ab Ecclesia cum tanta maturitate statutam et tam universaliter servatam contemnentem, proprio iudicio seu potius temeritate pronuntiare non formidant hos vel illos libros non esse divinos, quia in ipso Ecclesiæ exordio quidam scriptores de illorum inspiratione dubitarunt!

Libri igitur deutero canonici vere erant ab initio divini, sed tantum eis deerat externa definitio Ecclesiæ eos proponentis ut divinos: hæc definitio prodiit. Ergo, etc.

Quisquis ergo, post decretum concilii Trid., libros deutero canonicos inferioris haberet auctoritatis quam libros proto canonicos, contra fidem peccaret.

§ III. — De multiplici sensu Scripturæ sacræ.

Librorum divinatorum duplex est auctor, scilicet, homo scribens et Spiritus sanctus inspirans; igitur sensus eorum est compositus, intentionem scribentis et Spiritus sancti simul continens. Sensus scribentis sensui Spiritus sancti contrarius esse non potest, sed non repugnat Spiritum sanctum omnes quos intendebat sensus scriptori non semper manifestasse.

Duplex in genere distinguitur sensus Scripturæ sacræ, litteralis nimirum et spiritualis.

Sensus litteralis ille est quem verba immediate significant, v. g., *Deus creavit cælum et terram*; duplex est: proprius, quando verba in naturali sensu accipiuntur, ut in exemplo præcedenti; et improprius seu figuratus, quando verba sensu metaphoricò sumuntur, v. g.: *Vicit*

leo de tribu Juda, Apocal. v, 5; per leonem enim designatur Christus.

Sensus spiritualis est ille quem res verbis expressæ ex intentione Spiritus sancti mediate significant; ideo vocatur *mysticus*, quia sub involucris est occultus. In exemplum affertur sequens Exod. xii, 46, textus: *Nec os illius confringetis*, qui sensu litterali de agno paschali intelligitur et in sensu mystico seu spirituali applicatur Christo in cruce pendenti, ut narrat Joan. xix, 36.

Dicitur etiam *typicus*, quia res sensu litterali expressa est typus seu imago rei in sensu mystico intelligendæ.

Sensus mysticus triplex est, videlicet allegoricus, anagogicus et tropologicus.

Allegoricus dicitur, quando verba, præter sensum litteralem, significant aliquid pertinens ad fidem vel ad Ecclesiam militantem; exemplum citat Apostolus, Gal. iv, ubi loquens de duobus filiis Abraham, quorum unus erat de ancilla et alter de libera, ait. *ŷ. 24: Quæ sunt per allegoriam dicta: Hæc enim sunt duo Testamenta.*

Anagogicus est, a verbo ἀναγειν, quando ea quæ mystice designantur, ad vitam æternam referuntur, v. g., Ps. xciv, 11: *Juravi in ira mea: Si introibunt in requiem meam*: in sensu naturali, agitur de terra promissa; et in sensu mystico, de regno cælorum, ut ait B. Paulus, Hebr. iv, 3 et seq.

Tropologicus a vocibus Græcis τροπος, mos, et λογος, sermo, sic vocatur, quando res litteraliter expressæ significant in sensu mystico aliquid agendum vel omittendum; v. g., Deut. xxv, 4: *Non ligabis os bovis terentis in area fruges tuas*: hæc verba, in sensu mystico, significant Evangelii præcones alimoniam sibi necessariam ab iis quibus prædicant accipere posse, ut affirmat Apostolus, I Cor. ix, 9 et seq.

Omnes sensus supra recensiti exprimuntur in disticho sequenti:

Littera gesta docet, quid credas allegoria,

Moralis quid agas, quo tendas anagogia.

Hi quatuor sensus reperiuntur in sola voce Jerusalem, quæ litteraliter urbem, allegorice Ecclesiam militantem, anagogice patriam celestem, et tropologice animam fidelem significat.

Distinguuntur insuper sensus parabolicus et sensus accommodatitius. *Parabola* est oratio a similitudine deducta: au sensus parabolicus sit metaphoricus vel litteralis proprius, non convenitur inter doctos: probabile est ad litteralem proprium revocandum esse; parabola enim est similitudo: similitudo autem in sensu litterali proprio accipienda est, saltem ordinarie. Ergo.

Sensus *accomodatitius* in eo consistit, quod verba aut facta Scripturæ, propter aliquam similitudinem, accommodentur ad aliquid quod non significant nec significare debent: non est igitur proprie sensus Scripturæ, cum Spiritus sanctus illum non intenderit, neque litteraliter, neque mystice, sed productio est ingenii humani. Itaque nihil unquam probare potest: eo tamen ad fovendam pietatem et in rebus honestis uti licet, ut patet exemplo Ecclesiæ, quæ plures Scripturæ textus in officiis suis eo modo B. Mariæ Virgini aliisque sanctis accommodat.

Alius est sensus seu interpretandi modus apud Judæos usitatus, superstitionis, vanitatis et nugarum plenus, qui vocatur *cabala*, a voce Hebraica idem significante ac *receptio*, ejus correlativum est *traditio*. Tres illius numerantur species: prima continet mysticam Scripturæ expositionem ore traditam, quam dicunt a Deo Moysi in monte Sinai fuisse datam, ea conditione ut illam scriptis non consignaret; secunda, quæ est recentiorum Judæorum, præterdit se verba Scripturæ, litteras, puncta et accentus commutando, resolvendo, transponendo, vel in figuras disponendo, varios sensus mysticos et propheticos detegere; tertia, nomina Dei secreta eorumque virtutes occultas ad faciendâ præstigia idoneas explicat, dicuntque Christum ope hujusce artis miracula sua patrasse. Vide *Huet, Démonstrat. Evang.*, prop. 9; *Vence, 4^e Disc. sur Esdras; Dict. de la Bible, éd. Migne, v^o Cabale; Ann. de Philos.*, etc.

Nullus dubitat quin in omnibus Scripturis admittendus sit sensus litteralis proprius et sæpe metaphoricus, qui est aliorum sensuum basis et fundamentum. Inter catholicos nonnulli negant plures in eodem textu aliquando reperiri sensus litterales: sed Protestantes varios profitentur errores circa diversos Scripturæ sensus, et in primis, 1^o solum admittendum esse sensum litteralem, et mysticum seu spirituales prorsus respuendum; 2^o Scripturas per se claras esse et omnibus apertas; 3^o per solam rationem aut per Spiritus sancti instinctum unicuique infusum interpretandas esse. Hos errores per sequentes refellemus propositiones, quibus corollaria subjungemus.

PROPOSITIO PRIMA.

Plures in eod. m. textu aliquando reperiuntur sensus litterales.

Prob. 1^o auctoritate Patrum qui in studio Scripturarum erant versatissimi, et sæpe plures agnoverunt sensus litterales in uno textu; 2^o suffragio multorum theologorum et Scripturæ sacræ interpretum, qui hanc sententiam expressè docuerunt, ut S. Th., Melchior Canus, Bellarminus, *Tournely*, Bonfrerius, Serarius, etc. 3^o Constat plures sensus spirituales iisdem verbis simul insinuari; cur Spiritus sanctus plures sensus litterales simul etiam exprimere non posset? Nec dici potest eum in errorem sic nos deducere; quia intendit ut diversi sensus detegantur, non vero ut decipiamur: impie ergo illi textus plures sensus habentes æquivocis Sibyllarum oraculis compararentur. Non negamus tamen unum sensum in eo casu esse præstantem, et solum communiter vim habere probandi adversus hæreticos; alios vero sensus ad nutriendam pietatem potissimum valere. In exemplum Scripturæ plures sensus litterales simul habentis, iste affertur textus, Ps. II, 7: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu; ego hodie genui te*; qui, testè Apostolo, Hebr. v. 5, et in Act. XIII, 33, intelligitur de æterna

generatione Verbi, de temporali natiuitate Christi et de eius resurrectione.

Valent procul dubio probationes ex sensu litterali, sive proprio, sive metaphorico, deductæ, siquidem certum est Spiritum sanctum hunc sensum intendisse, auctores sacros inspirando; alioquin nulla adhiberi posset probatio ex Scriptura sacra deprompta.

PROPOSITIO SECUNDA.

Præter sensum litteralem, in multis Scripturæ locis admittendus est sensus mysticus.

Prob. Scriptura, auctoritate Ecclesiæ et traditionis.

1^o *Scriptura sacra.* 1 Cor. x, 11, B. Paulus, loquens de Veteri Testamento, ait: *Hæc autem omnia in figura contingebant illis.* Christus et Apostoli sæpe citant Scripturam in sensu mystico, v. g.: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis.* Joan. iii, 14; *Os non comminuetis ex eo,* ibid, xix, 36; *Non alligabis os bovis triturantis,* 1 Cor. ix, 9: sic in multis aliis locis. Ergo 1^o.

2^o *Auctoritate Ecclesiæ et traditionis.* Sæpissime enim Ecclesia in conciliis, et Patres in suis operibus, Scripturam in sensu mystico et prophetico allegarunt, ut nemo negare potest: sic omnes interpretes catholici et plures etiam hæretici, ut Grotius, Walton, etc.

Frequentior est ille sensus in Veteri Testamento, quod fuit velut symbolum futurorum eventuum, juxta verba Apostoli modo citata, et tamen quandoque reperitur in Novo: sic resurrectio Christi est figura resurrectionis nostræ, 1 Cor. xv, 12 et seq.; navicula Petri figura Ecclesiæ; piscatio miraculosa figura conversionis animarum, etc.

Sensus mysticus certo constans tam validum subministrat argumentum quam sensus litteralis, cum a Spiritu sancto æqualiter fuerit intentus. Unde Christus et Apostoli eum sæpe adhibuerunt, ut supra diximus.

Hinc patet quam ingens existat discrimen inter libros sacros multiplices sensus simul continentes, semper veros, puros, odorem virtutis spirantes, et libros profanos sæpe vacuos, omni sensu destitutos, et multis erroribus refertos.

PROPOSITIO TERTIA.

Scriptura sacra non est per se in omnibus clara, sed in multis obscura.

Prob. Scriptura sacra, testimoniis Patrum, et ratione.

1^o *Scriptura sacra.* II Petr. iii, 15: *Frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut et in omnibus epistolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant, sicut et cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.* Ergo 1^o.

2^o *Testimoniis Patrum,* qui omnes et in innumeris locis vocant Scripturas profundas, obscuras, difficiles, librum signatum, thesaurum sapientiæ absconditum, abyssum quæstionum, mare profundum, etc. Unde S. Aug. de Genes. ad litt., l. 5, c. 3, n. 6, ait de Scriptura: « Sic loquitur ut altitudine superbos irrideat, profunditate attentos terreat, veritate magnos pascat, affabilitate parvulos nutriat. » Et in lib. de Doctrina christiana, cap. 6: « Multis et multiplicibus obscuritatibus et ambiguitatibus decipiuntur, qui temere legunt (Scripturam), aliud pro alio sentientes. » Ergo 2^o.

3^o *Ratione.* 1^o Sæpe Scriptura sacra continet prophetias et mysteria captum humanum longe superantia; frequenter utitur tropis, metaphoris, allegoriis aliisque figuris quibus altissimæ veritates involvuntur: in ea reperiuntur Hebraismi, Græcismi aliæque locutiones intellectu difficiles, etc. Quis autem dicere potest librum hujusmodi difficultatibus plenum, per se clarum et omnibus apertum esse? 2^o Innumeri doctissimi viri per totam vitam suam interpretationi Scripturæ sacræ sedulam dede-

runt operam, et in assignando vero sensu multorum textuum non nisi probabilitatem obtinere potuerunt, ut ipsi fatentur: numquid simplices fideles clare intelligent quæ doctissimi viri dilucidare nequiverunt? 3^o Protestantes, claram et omnibus apertam esse Scripturam profitentes, sibi consentire nequeunt; in varias et sibi contradictorias quotidie abeunt sententias, etiam circa textus qui clariores videntur. Ergo 3^o, etc.; aliunde, etc. Ergo. Vide quæ diximus in Tractatu de vera Ecclesia, part. 2, cap. 1.

Non tamen inferendum est, ut Protestantes immerito nobis objiciunt, Spiritum sanctum non clare locutum esse; obscuritas enim Scripturæ non ex defectu Spiritus sancti provenit, sed ex rerum altitudine et ex parte mentis nostræ quæ diversos sensus in Scriptura certe contentos clare non videt, præ sua imbecillitate: unde regula vivente, privilegio infallibilitatis donata, maxime indigemus, et controversæ fidei alia via dirimi nequeunt, ut in Tractatu de vera Ecclesia fuse ostendimus.

COROLLARIUM PRIMUM.

Sola igitur Ecclesia catholica, seu auctoritas a Christo in Ecclesia constituta, infallibilis est Scripturæ sacræ interpretres: abunde constat ex dictis in Tractatu de vera Ecclesia.

COROLLARIUM SECUNDUM.

Procul ergo rejicienda est nova *exegesis* a doctoribus *Semler, Teller, Michaelis, Westein, Ernesti, Morus, Dæderlein, Bengel, etc.*, in Germania versus finem ultimi sæculi excogitata, et nunc inter Protestantes hujus regionis valde communis, teste *de Starck*; in eo quippe consistit ut mysteria in Scripturis expressa, prophetiæ et miracula sensu naturali intelligantur, atque dicatur auctores quos vocamus sacros sic locutos fuisse ut captivi populorum, usibus tunc receptis et circumstantiis in quibus versabantur sese accommodarent, sed nihil proprie

supernaturale dixisse, nec fecisse. Hoc systemate admissio, evidenter patet totam religionem christianam ad purum reduci *naturalismum* vel *rationalismum*. Talis modus Scripturam interpretandi vel potius evertendi sufficienter confutatus est in decursu Tractatum *de vera Religione et de vera Ecclesia*. Etenim nemo non videt eum esse impium, omnis religionis revelatæ subversivum, universæ traditioni contrarium, Christo et Apostolis, quos facit impostores, injuriosum, absurdum et contradictionibus plenum: in ea quippe hypothese Christus et Apostoli duplicem docuissent doctrinam, unam externam, ritus sensibiles, facta historica, prophetiarum et miraculorum simulacra complectentem, erudiendis hominibus secundum carnem viventibus eisque ad sanctitatem ducendis destinatam; et aliam internam, sub his involueris latitantem, quæ spiritualibus plene sufficit. Sed 1^o quo fundamento nitatur hæc distinctio, non dicitur. 2^o Facta quæ narrantur sunt vera, vel falsa: si sint vera, ab eruditis sicut a rudibus admitti debent, et divinam esse religionem christianam demonstrant; si vero falsa sint, nulli proponi possunt ut vera. 3^o Assertitur Christum et Apostolos singularem hunc loquendi modum usurpavisse, ut ingenio et opinionibus hominum sese accommodarent, et tamen constat eos scandalizasse Judæos, gentilibus stultos visos fuisse, etc.

Satius esset principia certitudinis historicæ conculcare, et facta quæ in Bibliis narrantur fabulis assimilare, quam ea sic absurde interpretari: sic ratiocinatur *Mauvillon* apud *de Starck*.

Vide card. *Wiseman, Discours sur les rapports entre la science etc.*, 6^o *Discours*; Doctorem *Tholuck, traduit par M. de Valroger; Ed. Chassigny, Dém. évang., éd. Migne, t. XVIII.*

§ IV. — De regulis in assignando sensu genuino Scripturarum sacrarum sequendis.

Ante omnia standum est decreto concilii Trid., sess. 4, de Editione et Usu sacrarum librorum, sic se habente:

« Ad coercenda petulantia ingenia decernit (sancta synodus) ut nemo suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei et morum ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimum consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat. » Quisquis ergo verum Scripturæ vel alicujus textus sensum exquirat, ad Ecclesiæ interpretationem et Patrum traditionem attendere debet; ab eorum doctrina, sensu et praxi nunquam recedere licet; superni Spiritus assistentia simplici corde invocanda est, et eo spiritu quo facta fuit legenda est Scriptura.

At, ubi non habetur Ecclesiæ sententia, nec unanims Patrum traditio, quid agendum est ut genuinus Scripturæ sensus feliciter obtineatur? Ad communia recurrendum est ad minicula quæ in interpretandis aliis libris adhiberi solent. Præcipua sunt:

1° Sensu naturali et obvio semper accipiantur verba; nisi aliquid clare ostendat ea sensu metaphorico vel mystico intelligenda esse.

2° Loquendi modus apud scriptores sacros usitatus et unicuique auctori specialis sedulo attendatur, ut tropi aliæque figuræ recte noscantur; tunc comperietur, v. g., *nudum* significare tunicam superiori exutum: *inebriatum*, hominem qui bene bibit, sui tamen compotem; *benedicere*, aliquando per antiphrasim maledicere, etc.

3° Antecedentia et consequentia attente conferenda sunt cum textu cujus investigatur sensus; sæpe plura legenda sunt capita, et quandoque totus liber strictæ analysi subjiciendus: post Ecclesiæ et traditionis interpretationem, hæc regula securior est ut verus sensus litteralis detegatur; sed in Psalmis et in multis Prophetarum locis adhiberi non potest, quia auctor sacer sæpe ab una re ad aliam, a figura ad figuratum subito transit, et nullus videtur esse nexus.

4° Sedulo advertatur scopus auctoris, tum in ipso libro

conscribendo, tum in singulis partibus ad scopum generalem plus minusve directe tendentibus: frequenter accidit ut quædam prima fronte obscura, habita ratione scopi, fiant clara. Sic B. Paulus, II Cor. XI et XII, se vanis laudibus extollere videtur, dum suam tantum commendat auctoritatem.

5° Sciendum est quis loquatur in textu: an Deus, an angelus, an homo, et quis homo; an ex parte Dei, an propria auctoritate; an auctor ipse, an vero alterius verba narret, etc. Unde, ut jam monuimus, quæcumque narrantur in Scriptura sacra non sunt bona, nec laudanda; sed infallibiliter referuntur. Hoc intellecto et in mente posito, plurimæ evanescent difficultates, quia non personæ quarum fit mentio in Scriptura vindicandæ sunt ab errore, a mendacio, vel ab aliis culpis; sed solius auctoris sacri veracitas defenditur.

6° Ut sensus nonnullarum vocum et locutionum tutius obtineatur, conferendi sunt secum textus similes, tum ejusdem auctoris, tum aliorum librorum, sive ejusdem, sive utriusque Testamenti. Assidua igitur lectio et meditatio totius Scripturæ sacre optima est via ad rectam ejus intelligentiam perveniendi.

7° Juvat et sæpe necesse est comparare editiones cum editionibus, versiones cum aliis versionibus, vel cum ipsis textibus, ut vera habeatur lectio; et tunc sensus illius investigabitur. Utendum est cum sapientia et gravitate arte critica et grammatica: ad principia linguarum latinæ, græcæ, hebraicæ; ad regulas poesis, historiæ, geographiæ, chronologiæ, archeologiæ, etc., sæpe recurrendum est. Quis ergo adhuc dicere audebit Scripturam esse claram et omnium captui proportionatam? Multi doctissimi viri per totam vitam in ea interpretanda die noctuque desudaverunt, ingenia atque celeberrima scripserunt opera, et tamen multa reliquerunt dubia nondum soluta.

§ V. — De variis Scripturæ sacre editionibus.

Nullus unquam fuit liber qui in tot versus fuerit idioti.

mata, et tot vicibus transcriptus vel impressus fuerit. Dicimus tantum breviter, 1^o de textibus originariis, 2^o de versionibus Græcis, 3^o de versionibus Latinis, 4^o de versionibus in lingua vulgari.

Punctum primum. — De originariis Scripturæ sacræ textibus.

Non agitur de primis auctorum manuscriptis, certum est quippe ea nullibi nunc ostendi; verum petitur quo idiomate usi fuerint auctores sacri.

Populus Israeliticus, a cognomento Jacob quem Deus vocari Israel voluerat, Gen. xxxii, 28, sic dictus, nominabatur etiam Hebræus, sive a patriarcha Heber, Gen. x, 21, ut plures dicunt; sive, ut communius, a verbo idem significante ac transiens, vel *de trans*, quia de trans Jordanem venerant in terram Chanaan. Hinc lingua eorum dicta est Hebraica.

Certum est ante confusionem Babylonicam unicam exstitisse linguam in terra, Gen. xi, 1: sed, Deo jubente, *confusum est labium universæ terræ, y. 9*, et innumera pullulaverunt linguæ.

An prima lingua omnino perierit, an vero in familia Patriarcharum perseveraverit et adhuc saltem quoad præcipuos characteres existat, examinant docti et sibi consentire nequeunt. Vid. card. *Wiseman*, 6^o *discours*.

Quidquid sit, constat libros sacros, ante captivitatem Babylonicam exaratos in lingua hebraica, quæ toto hoc tempore fuit vernacula, scriptos fuisse. Durante longa captivitate Babylonica, Hebræi usi sunt lingua chaldaica; unde libri hoc tempore et deinceps scripti, in ea lingua confecti sunt, exceptis Sapientiæ et duobus Machabæorum libris qui græce conscripti sunt, ut communiter judicant docti. Decursu temporum, characteres chaldaici characteribus hebraicis probabiliter substituti fuerunt, ita ut antiquiores libri sacri in his litteris tantum existerint, excepto Pentateucho samaritano recenter invento, antiquis constanti characteribus, qui reputantur veteres hebraici. Alii tamen contendunt characteres nunc existentes ipsos esse quibus Moyses aliique auctores antiqui

ante captivitatem Babylonicam usi sunt. Vide *Bible de Vence*, t. xvii, *Dissertation sur Esdras*, et idem opus, t. i, *Dissert. sur la première langue*.

A S. Hieronymo ad sæculum æræ nostræ decimum, ignoratur præcise quo tempore inventa sunt *puncta massorethica*, quæ pro vocalibus ponuntur et sensus consonantium determinant: dicuntur *Massorethica*, a *Massora*, quæ est traditio doctrinam criticam rabbinorum circa lectionem textus sacri continens. Eorum inventio tribuitur rabbinis famosæ scholæ Tiberiensis, in septimo vel in octavo sæculo.

Corpus totius doctrinæ rabbinorum vocatur *Thalmud*, id est *doctrina*, et complectitur textum sacrum, divinas et humanas traditiones, doctorum responsiones, commentaria, et innumeras casuum conscientiæ decisiones: duas habet partes, quarum prima dicitur *Misna* et melius *Mischna*, id est *secunda lex*, et secunda vocatur *Gemara*, quæ vox significat *supplementum*. Prior purum habet textum Scripturæ ac traditionis, et dicitur divina; posterior diversas continet explicationes, et longe minoris est auctoritatis.

Duplex existit Thalmud: unum a rabbinis scholæ Hierosolymitanæ versus annum 300 æræ nostræ scriptum; et alterum a rabbinis celebrioris scholæ Babyloniæ existentis, circa annum 500 collectum, priori multo perfectius, et dicitur Babylonicum: undecim voluminibus *in-fº* constat; simpliciter vocatur Thalmud, dum alterum non citatur sine addito *Hierosolymitanum*. Utrumque multis repletur fabulis, nugis, blasphemis, et nihilominus continet traditiones non mediocris utilitatis. Vide opus mensuale inscriptum: *Annales de philosophie chrétienne*, t. iii, n^{is} 14 et 15.

Post captivitatem Babylonicam, populus Israeliticus, lingua chaldaica utens, linguam hebraicam non intelligebat. Idcirco doctores Scripturam publice legentes, eam chaldaice explicabant, ut ab omnibus intelligeretur. Quidam decursu temporis has explicationes scripserunt: hinc nata est paraphrasis chaldaica, quam Judæi vocant

Targum, a voce chaldaica idem significante ac *explicatio*. Triplex est *Targum*, unum in *Legem* ab *Onkelos* quadraginta circiter annis ante Christum exaratum; alterum in *Prophetis*, a *Jonathan* eodem ferme tempore scriptum; et tertium in *libros hagiographos*, vulgo attributum *Josepho*, cujus cognomentum *Cæcus* vel *Luscus*, et in quarto sæculo tantum existenti. Hagiographi sunt libri sacri a lege *Mosis* et a prophetis distincti: sic vocantur, quia res in eis contentæ a Deo præcise non fuerunt revelatæ, sed afflante Spiritu Dei scriptæ sunt.

Quidam arbitrati sunt Evangelium secundum *Marcum* et *Epistolam ad Romanos* fuisse primum in lingua latina; sed communissime tenetur hos libros sicut cæteros *Novi Testamenti*, scriptos esse in lingua græca, quæ tunc erat communis et nobilissima. Excipitur tamen Evangelium secundum *Matthæum*, quod probabilius in idiomate hebraico-chaldaico, tunc vulgari apud *Judæos*, scriptum fuit. Plurimi adjiunt *Epistolam ad Hebræos*, quod alii multi negant. Res igitur est dubia.

Quæritur 1º a quo facta fuerit *Scripturæ sacræ* divisio per capita et versiculos.

R. 1º Certum est hanc divisionem non semper existisse ac proinde non esse divinam. Imo *Pentateuchus* unicus erat liber in quinquaginta quatuor partes sectus, juxta numerum sabbatorum in anno lunari ordinario, quia una pars publice legebatur in synagogis die sabbati, et sic integer liber per singulos annos.

Duo priores libri regum unum, et duo posteriores alterum efficiebant librum. Similiter et duo *Paralipomenon* sub unico nomine libri *Chronicorum* erant inscripti.

2º Quædam pariter erat divisio in libris *Novi Testamenti* ut in cæteris *Christianorum* commodius legerentur, sed non similis divisioni nunc exstanti.

3º Divisio librorum utriusque Testamenti per capita tribuitur cardinali *Hugoni* a *S.-Charo*, religioso dominicano, anno 1263 vita functo, qui, jussu capituli totius ordinis, a multis religiosis adjutus, ingens composuit opus cui titulus *Correctorium Bibliorum*, et aliud opus

dietum *Concordantia Bibliorum*, quæ fuit origo et forma aliarum *Concordantiarum* nunc existentium et perfectiorum. Ut loca facilius invenirentur, tota *Scriptura* divisa est per capita.

4º *Versiculorum* inventio diu attributa est *Roberto Stephano*, celebri typographo, qui obiit anno 1559; nunc ostenditur illorum usum antiquiorem esse et in *Bibliis* ante *Roberti Stephani* *Biblia* impressis reperiri; *Biog. univ.*, t. XIII, vº *Rob. Estienne*.

5º Non est dubium quin partitio *Scripturæ* in libros, et librorum in capita et in versiculos valde sit utilis, ut ope *Concordantiarum* statim inveniantur loca desiderata; sed cum facta fuerit a privatis, nullius est auctoritatis, et ideo, si intelligentiæ alicujus textus nocere videatur, deseri potest. Sic interpretes ultimum caput *Deuteronomii* referunt ad librum *Josue*; sic in *Act. Apost.*, xx, quædam verba versiculi 34 ad versiculum præcedentem evidenter referenda sunt.

Quæritur 2º an constet nos habere genuinos scriptorum sacrorum textus.

R. Quando, arte typographica inventa, textus hebræus omnibus fuit obvius, nonnulli arbitrati sunt illum a *Judæis* fuisse adulteratum, quia varias deprehendebant discrepantias inter textum et versiones.

Post severum manuscriptorum examen evidentissime constitit *Judæos* volumen sacrum ab omni mutilatione servasse integrum. *Michaelis*, *P. Houbigant*, *Kennicott*, presbyter Anglicanus, alique in lingua hebraica peritissimi ad hunc scopum tendentes, multum allaboraverunt. Ex omnibus celebrior citatur *Joannes Bernardus de Rossi*, *Parmensis*, qui 680 sibi procuravit manuscripta hebraica. *Comparatione* summa cum attentione facta, remansit inconcussum discrepationes observatas esse duntaxat accidentales, et substantiam factorum aut doctrinæ nullibi attingere.

Unde doctissimus card. *Wiseman*, *Discours*, etc., *introduc.*, p. XXXI: « Le réformateur, et, à vrai dire, le fondateur de la critique sacrée est *J.-J. Griesbach*; c'est

» lui qui en a établi les principes régulateurs. Au moyen
 » d'une recherche longue et laborieuse, il s'assura que
 » tous les manuscrits connus peuvent se diviser en trois
 » classes auxquelles il a donné le nom de *Recensions*,
 » parce qu'il suppose qu'elles sont le produit d'éditions
 » corrigées sur le texte dans différents pays; c'est pour-
 » quoi il leur donne le titre de *Recensions* d'Alexandrie,
 » de l'Occident et de Byzance. Tout manuscrit connu ap-
 » partient à l'une de ces classes, et quoiqu'il puisse acci-
 » dentellement s'écarter du type commun, il s'y rap-
 » porte quant à son ensemble. Scholz a enchéri sur Gries-
 » bach; après avoir voyagé dans toute l'Europe et dans
 » tout l'Orient pour vérifier des manuscrits, il a pu-
 » blié en 1830 une édition critique dans laquelle il ré-
 » duit les familles à deux, et rend ainsi encore plus facile
 » l'application du principe du savant critique qui l'a pré-
 » cédé. Ainsi l'on peut dire que la science critique a
 » non-seulement renversé toute objection tirée des do-
 » cuments que nous possédions déjà, mais qu'elle nous
 » a donné une entière sécurité contre tout ce qui pourrait
 » encore être découvert. »

Punctum secundum. — *De versionibus græcis.*

Prima et celebrior versio græca ea est quæ dicitur Sep-
 tuaginta interpretum, cujus historia sic narratur ab Aris-
 teo, in speciali de hoc facto opere græce scripto, in quo
 se exhibet velut unum e custodibus corporis Ptolemæi
 Philadelphii, regis Ægypti, versus annum 250 ante Chris-
 tum. Ptolemæus, locupletissimam volens instruere bi-
 bliothecam Alexandria, cum didicisset a Demetrio Phale-
 rao, bibliothecæ præfecto, apud Judæos existere libros in
 lingua hebraica scriptos, quos in græcam versos haberi
 expediret, misit legatos, inter quos erat ipse Aristeus, ad
 summum pontificem Eleazarum cum numeribus magni
 pretii: legati pesserunt et obtinuerunt exemplar Scrip-
 turarum et septuaginta duos interpretes linguæ hebraicæ
 et græcæ peritissimos, sex ex singulis tribubus. Hi in in-
 sula Pharos collocati, ut minus essent distracti, famosis-

simam, intra septuaginta et duos dies, confecerunt ver-
 sionem græcam quæ appellatur Septuaginta interpre-
 tum, et postea semper fuit in usu apud Judæos linguam
 hebraicam ignorantes, ac deinde apud Christianos.

Juxta Philonem, S. Justinum, S. Epiphanium et alios,
 septuaginta duo interpretes in septuaginta duobus vel
 saltem in triginta sex cellulis inclusi, separatim scripse-
 runt, et tamen, speciali Dei assistentia, eodem tempore
 et eodem modo versionem suam confecerunt.

Tota hæc historia valde est incerta, et saltem in mul-
 tis communiter habetur ut fabulosa: cæterorum narra-
 tiones fundantur in testimonio Aristei, cujus liber nullos
 authenticitatis et veracitatis præ se fert characteres.
 Apud eruditos nunc constat versionem sub nomine Sep-
 tuaginta interpretum cognitam, opus esse variorum auc-
 torum qui diversos Scripturæ sacræ libros diversis tem-
 poribus verterunt, prout judicabant eos utiles Judæis
 apud Græcos habitantibus et linguam hebraicam igno-
 rantibus.

Quidquid sit de auctore, tempore et origine illius ver-
 sionis, certum est illam ante Christum existitisse et mag-
 næ auctoritatis jam fuisse; Apostoli enim sæpe veteres
 Scripturas ex illa citant; ea nascentes ecclesiæ ubique
 utebantur, et ecclesia Græca aliam in suis officiis ac in
 conciliis nunquam adhibuit.

Plures aliæ versiones græcæ ab apostatis et judaizanti-
 bus factæ sunt in odium versionis Septuaginta: 1^a ab
 Aquila, Pontico, qui ex gentili Christianus, deinde factus
 est Judæus: scripsit sub Adriano imperatore, circa
 annum Christi 130. 2^a est Theodotionis, primum Chris-
 tiani, deinde Marcionitæ, postea Judæi: anno circiter
 180 in lucem edita est, sub Marco Aurelio vel sub Com-
 modo. 3^a confecit Symmachus, Samaritanus, ex Chris-
 tiano Ebionita factus, circa annum 200. Duæ aliæ casu
 repertæ sunt, una in urbe Jericho, anno 212, et altera
 Nicopoli, anno 230; quæ cum sint ignoti auctoris, sim-
 pliciter dictæ sunt 5^a et 6^a versio. Versio Septuaginta
 dicitur prima.

Origenes quatuor priores versiones in unum volumen per quatuor columnas distributum incomparabili labore collegit, quod vocavit *Tetrapla*, id est, scripta in quatuor partes. Novam hujus operis dedit editionem in qua inscripsit in una columna textum hebraicum in litteris hebraicis, et in altera columna eundem textum hebraicum in litteris græcis, cum quatuor prædictis versionibus; sicque habuit *Hexapla*: postea duas versiones recenter inventas adiecit, et fecit *Octapla*.

Quædam tantum præstantis illius operis supersunt fragmenta, et versio Septuaginta sola remansit integra.

Ad instar Origenis, magna in ultimis temporibus confecta sunt opera dicta *Polyglotte*, id est scripta multarum linguarum. 1^a est cardinalis *Ximenes*, et dicitur Complutensis: prodiit anno 1515. 2^a favore Philippi II, Hispaniarum regis, impressa est Antuerpiæ, anno 1572. 3^a curis *Legay*, advocati Parisiensis, confecta, anno 1645 prodiit in 10 vol. in-^{fo} et septeno idiomate. 4^a Londini impressa anno 1657, curante Walton, episcopo Anglicano, 6 vol. in-^{fo} et 8 vol. cum Dictionario *Castel*. Præcedenti inferior est quoad formam et artem typographicam, sed quoad res contentas longe accuratior.

Punctum tertium. — De versionibus Latinis.

Infinita fuit interpretum Latinorum varietas, ut testatur S. Aug., de Doctrina christiana, l. 2, c. 11, 1^a part.; una tamen inter alias prævaluit versio, quæ ideo dicta fuit *Vulgata* seu communis, et *Itala*, propter linguam Italiæ. «In ipsis autem interpretationibus Itala præferatur, nam est verborum tenacior cum perspicuitate sententiæ,» inquit S. Aug., ibid., cap. 13. Dicebatur etiam *Vetus*, quia omnium versionum latinarum erat antiquissima; et, ut communiter creditur, ab aliquo viro Apostolico confecta.

Numerus versionum, magis ac magis in dies crescens, magnam inducebat confusionem: valde necessarium videbatur unam efficere perfectam, quæ omnium locum teneret. S. Hieronymus, votis amicorum cedens, opus

susecipit: Vetus Testamentum summa cum diligentia ex textu hebræo in latinum sermonem convertit, codices græcos Novi Testamenti jussu summi Pontificis Damasi secum contulit, emendavit et in integrum statum restituit.

Hinc nata est *Vulgata* nostra, quæ coalescit partim ex antiqua versione itala, partim ex S. Hieronymi interpretatione. Ad versionem italam pertinent libri Sapientiæ, Ecclesiastici, Machabæorum, Psalmorum, Baruch, epistola Jeremiæ et totum Novum Testamentum. Alii libri ex versione S. Hieronymi deprompti sunt, et, licet textui hebræo ordinarie conformes, aliquando tamen ex Septuaginta conversi sunt, ut collatione textuum patet.

Hæc igitur versio sic confecta, et vocata simpliciter *Vulgata*, multis dieteris primum obnoxia, a sæculo septimo in tota Ecclesia Latina usu communi recepta est: concilium Trid., sess. 4, decreto de *Editione et Usu librorum sacrorum*, eam sequentibus verbis declaravit authenticam: «Eadem sacrosancta synodus, considerans
» non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex
» omnibus latinis editionibus quæ circumferuntur sa-
» crorum librorum, quæam pro authentica habenda sit
» innotescat, statuit et declarat ut hæc ipsa vetus et Vul-
» gata editio quæ longo tot sæculorum usu in ipsa Ec-
» clesia probata est, in publicis lectionibus, disputationi-
» bus, prædicationibus et expositionibus, pro authentica
» habeatur, et ut nemo illam rejicere quovis prætextu
» audeat vel præsumat.»

Quia *Vulgata* nostra ab Ecclesia Romana commendatur et a concilio Trid. fuit approbata, plerique Protestantes eam contemnere solent, et ad textum originale recurrendum esse dicere affectant.

Circa prædictam concilii approbationem tria notanda sunt:

1^o Illa versio non a concilio, sed longe antea *vulgata* seu communis fuit: a tempore S. Gregorii Magni, id est, a fine sexti sæculi, ea sola utebatur Ecclesia Latina in suis officiis, in publicis lectionibus, in concionibus, in

sacramentariis, in conciliis, in controversiis adversus hæreticos, in commentariis, etc. Porro dici non potest veram Christi Ecclesiam per tot sæcula legitimam Scripturæ sacræ versionem non habuisse, et in eis etiam quæ spectant ad fidem et mores erravisse: fatendum est igitur hanc versionem erroneam non esse, saltem in eis quæ ad fidem et mores spectant. Unde merito sacrum concilium eam declaravit authenticam, atque prohibuit, uniformitatis causa, ne alia in usu publico adhiberetur.

2^o Eam textibus hebraico et græco non anteposuit; nam 1^o illam cum his textibus non comparat, sed tantum cum aliis versionibus latinis quibus vult eam præferri. 2^o Plures eruditi theologi qui concilio Trid. assistebant, ut *Salmeron*, *Vega*, *Melchior Canus*, id fatentur. 3^o *Palavic.*, l. 6, cap. 17, idem propriis verbis narrat. 4^o Doctissimi interpretes catholici, post concilium sicut ante, ad fontes hebræos et græcos frequentem habuerunt recursum ut genuinum Scripturæ sensum assignarent. Ergo.

3^o Concilium Trid. Vulgatam approbando, non declaravit eam mendorum expertem esse: imo in ipsomet suo decreto jubet « ut post hæc sacra Scriptura, potissimum vero hæc ipsa vetus et Vulgata editio, quam » mundatissime imprimatur. » Supponit ergo eam ut tunc exstantem in pluribus esse defectuosam; et revera S. Pius V eam per diversam codicum collationem emendandam curavit. Postea Sixtus V novam jussit fieri correctiorem, quam tradidit ut emendatissimam, atque prohibuit ne amplius corrigeretur. Attamen paulo post, auctoritate Clementis VIII, nova prodit editio accuratior, quia Sixti V prohibitio de sola emendatione privata auctoritate facta intelligenda est, non vero de recognitione et emendatione per successores ejus facta. Omnes editiones nunc in usu editioni auctoritate Clementis VIII publicata conformes esse debent. Non tamen æstimatur eam ab omni defectu esse alienam; quotidie enim periti interpretes nonnullas cum hebræis et græcis fontibus discordias in ea deprehendunt. *Bellarminus*, unus e

correctoribus, dicit illam accuratissime non fuisse castigatam: « multa enim, inquit, de industria, multis de » causis, pertransivimus quæ correctione indigere videntur, » præcipue videlicet ne fideles nimia correctionis novitate turbarentur.

Cæterum, si Vulgata nunc in pluribus a fontibus discrepet, sæpe non versioni tribuendus est error, sed ipsis fontibus qui, tam frequenter manibus transcripti, aliquas subierunt adulterationes, sive inadvertentia, sive mala fide Judæorum aut hæreticorum: in multis locis versio Septuaginta et Vulgata sibi concordant et ab hebræo hodierno discrepant. Ergo Septuaginta interpretes et S. Hieronymus textum hebræum aliter olim legerunt ac est hodie.

Si quidam solecismi et barbarismi auctoribus Vulgatæ exprobrentur, notandum id evenire 1^o ex amanuensium inadvertentia; 2^o ex desiderio in interpretibus textum sive hebraicum sive græcum de verbo ad verbum vertendi. 3^o Nonnullæ locutiones apud optimæ latinæ auctores usitatæ, a fironibus falso reputatæ sunt solecismi et barbarismi.

Punctum quartum. — De versionibus vernaculis, seu lingua vulgari.

Cum Protestantes teneant unumquemque fidelem esse judicem fidei, et fidem ex sola Scriptura hauriendam esse, docere debuerunt versiones in lingua vulgari non solum utiles, sed necessarias et ab omnibus promiscue legendas esse. Ex eo principio natæ sunt societates Biblicæ, quæ magnis sumptibus curant divinas Scripturas, et præsertim Novum Testamentum, in vulgaria idioma vertendas et apud infideles per universas orbis regiones spargendas. Societas Biblica Londinensis asserebat, anno 1824, se novos quotidie obtinere progressus et jam 4,500,000 fr. annuos possidere; anno 1830, 10,000,000 fr. in eundem finem Societas collegerat et anno 1838, 21,000,500. Eodem anno 1838 Societas Biblica, ex Anglia, America et aliis regionibus 40,000,000 excepe-

rat. *Ami de la Relig.*, 6 juin 1840; P. Perrone, de Locis theol., part. II, cap. 4, prop. 2. Nemo nescit quantum ab eo tempore ejus reditus creverint.

Nos autem, cum omnibus catholicis, dicimus:

1° Versiones Scripturæ sacræ in linguas vernaculas a pastoribus approbatas utiles esse: hæc assertio ex sola Ecclesiæ praxi sufficienter constat; semper enim Ecclesia vernaculas habuit versiones Scripturæ fidelibus destinatas, græcas scilicet pro Græcis, latinas pro Latinis; alias singulis nationibus proprias, Persis, Arabibus, Ægyptiis, Æthiopicis, et denique in cunctis idiomatibus. Ergo.

Diximus à pastoribus approbatas; necesse est enim ut illæ versiones doctrinam Vulgatæ, saltem quoad fidem et mores, accurate reddant: porro soli pastores sunt iudices doctrinæ competentes: ergo. Unde cavendum est a versionibus hæreticorum, schismaticorum vel incredulorum, et generatim ab eis quæ approbatione Ordinarii non muniuntur.

Præcipua versio gallica totius Scripturæ nunc in usu apud catholicos habuit auctorem *le Maître de Socy*, in fine decimi septimi sæculi; est generatim accurata, licet in quibusdam locis erroribus Jansenianorum favere videatur. *Calmet* eam cum paucis mutationibus adoptavit. Item *Rondet* in opere noto sub nomine *Bible de Vence*, et *P. de Carrières*.

Anno 1667, prodiit translatio Novi Testamenti dicta Montensis, qua usus est *Quesnel* in famoso opere inscripto: *Réflexions morales*, etc. Damnata fuit a Clemente IX, Innocentio XI et Clemente XI, ut textum sacrum exhibens vitiatum, et a Vulgata nimis discrepans. Huic longe præfertur versio *P. Amelotte*, licet parum elegans. Aliæ sunt etiam accurate quoad doctrinam, videlicet una *Godau*, catholica sed parum perfecta; altera *P. Bouhours*, cui alii patres e Societate Jesu operam dederunt, et quam *P. Lallemant* secutus est in opere dicto: *Réflexions morales*, etc., et tertia *Mezenguy*, Jansenistæ, cum notis: in pluribus est suspecta, aliunde laudibus digna.

2° Non negamus, imo affirmamus lectionem Scriptu-

ræ in lingua vernacula ipsis laicis sæpe utilem esse, ut constat 1° exemplo Judæorum, qui libros sacros sæpe legebant vel eorum lectionem in synagogis audiebant; 2° agendi ratione Apostolorum et Evangelistarum, qui in lingua vernacula scribebant et scripta sua ad fideles dirigebant; 3° testimonio et praxi SS. Patrum, qui lectionem divinarum Scripturarum in innumeris locis commendant, eas publice legebant et explanabant, etc. Ergo.

Verum nulla existit lex hanc lectionem omnibus præcipiens: sine illa, quæ ad fidem, justificationem et salutem necessaria sunt, addisci possunt; et revera diu quidam existerunt populi christiani apud quos nulla erat versio Scripturarum in lingua eorum vernacula; et ubi novæ formantur ecclesiæ apud infideles, non statim publicantur versiones Scripturarum: ergo earum lectio in lingua vulgari non est singulis necessaria, et propositiones 79, 80 et 82 *Quesnel* contrarium asserentes, merito fuerunt damnata.

3° Dicimus lectionem sacrorum librorum non promiscue permittendam esse, nam 1° teste B. Petro, II Epistola, III, 16: *Indocti et instabiles depravant Scripturas, ad suam ipsorum perniciem*. 2° Apud Judæos quasdam Scripturæ partes, ut gesta Patriarcharum, Canticum canticorum et prophetiam Ezechielis, legere non permittebatur ante trigesimum ætatis annum, ut *Orig.*, *S. Hieron.* et *S. Greg. Naz.* observant: propter easdem rationes lectio illorum librorum et præsertim Cantici canticorum non nisi caute apud nos permittenda est. 3° In pluribus Scripturæ partibus multa sunt difficulta quæ ab omnibus intelligi nequeunt: ergo non convenit ut omnibus indiscriminatim permittantur. Pastorum est igitur et confessorum determinare quid singulis fidelibus in lectione Scripturarum expediat vel non expediat, et quandoque accidere potest ut, habita ratione circumstantiarum, hujusmodi lectio interdicti debeat, sicut definiit *Clemens XI*, propositiones 83, 84 et 85 *Quesnel* damnando.

Ex pluries dictis tum in præsentī Tractatu, tum in Tractatu *de vera Ecclesia*, fideles non sunt fidei iudices,

nec legitimi Scripturæ interpretes : infallibili Ecclesiæ auctoritate duci debent et in admittenda sancta Scriptura, et in genuino sensu ejus agnoscendo. Unde facile concipitur dari posse ecclesias christianas vernaculam Scripturarum versionem non habentes. Ex altera parte, jam advertimus impossibile esse aliquam ecclesiam sola Scripturarum lectione efformari, sine ullo prædicantis adminiculo.

Hinc patet quam vanæ, naturæ fidei et praxi Ecclesiæ oppositæ sint infatigabiles Societatis Biblicæ sollicitudines pro conficiendis editionibus vernaculis eisque per cunctas regiones distribuendis; quæ, inquit Pius VIII, in Encyclica pro sua exaltatione, diei 24 maii 1829, « ubi » que maxima atque incredibili impensa populis etiam » rudioribus gratuito impertiuntur, perversis quoque » haud raro immixtis scriptuunculis, ut lethale obbibant » venenum ubi aquas sese haurire censent sapientiæ salutaris. Alia jam pridem Apostolica Sedes de ingenti » hac fidei clade christianum populum monitum voluit, » tantæque perniciæ auctores contudit. » Item Greg. XVI in Litteris diei 15 aug. 1840; *Ami de la Relig.* 24 oct. 1840. Vide P. Perrone, de Locis theol., part. II, ch. 4, prop. 1 et 2.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE TRADITIONE.

Ostendimus in principio Tractatus de verâ Ecclesiæ traditionem esse viam tutissimam transmittendi doctrinam.

Sæpe traditio sumitur pro ipsamet doctrina quæ transmittitur, et sic accepta duplex in genere distinguitur, scilicet late sumpta et stricte sumpta.

Traditio, late sumpta, est omnis doctrina ab uno alteri communicata, sive scripto, sive viva voce, juxta hæc B. Pauli verba, II Thess. II, 14 : *Itaque, fratres, state, et tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.*

Traditio vero, stricte sumpta, est doctrina sola voce ab

ejus auctore communicata, sive postea ab aliis scribatur, sive non; potest esse humana, vel divina. Est humana si hominem habeat auctorem, et divina si ab ipso Deo procedat.

Traditiones divinæ pertinent vel ad legem naturæ, vel ad legem Mosaicam, vel ad legem evangelicam, habita ratione diversorum statuum in quibus spectari possunt homines relative ad Deum.

Traditiones legis naturæ illæ sunt quas homines, antequam libros canonicos haberent, a Deo per Adam, Noe, Abraham, acceperunt.

Traditiones legis Mosaicæ sunt eæ quas Judæi a Deo per Moysen aliosque prophetas viva voce tantum acceperunt, et quæ in libris canonicis non reperiuntur.

Traditiones legis evangelicæ sunt illæ quas Ecclesia a Christo vel a Spiritu sancto per Apostolos suscepit, et quæ in libris Novi Testamenti non inveniuntur. Dicuntur etiam Apostolicæ, quia per Apostolos ad Ecclesiam transmissæ sunt.

Attamen traditiones Apostolicæ duplicis sunt generis, aliæ scilicet divinæ et aliæ humanæ. Divinæ eæ sunt quas Apostoli habuerunt immediate a Christo, vel a Spiritu sancto eis afflante : humanæ vero eæ sunt omnia quæ Apostoli propria auctoritate a Deo instituta et directioni Spiritus sancti subjecta statuerunt observanda, vel ad tempus, ut quorundam ciborum distinctionem, a suffocato abstinentiam, vel in perpetuum, ut jejunium quadragesimale, etc.

Quædam ex illis institutionibus Apostolicis sunt obligatoriæ sub gravi, ut præcedentes; et aliæ sunt tantum de consilio, ut aspersio aquæ benedictæ super fideles, vel ejus sumptio in ingressu templi.

Distinguuntur insuper traditiones ecclesiasticæ, quæ alium non habuerunt auctorem quam ipsam Ecclesiam a Spiritu sancto edoctam. Ejus generis sunt innumeræ antiquæ consuetudines circa modum jejunandi, festa celebrandi, sacramenta administrandi, etc.; vel doctrinæ ubique receptæ, v. g., de canonicitate quorundam libro-

rum sacrorum, de sensu quo nonnulli textus Scripturæ intellecti sunt, de œcumenicitate talis vel talis concilii, etc.

Cum ibi regulam fidei quæramus, certum est agi non posse de traditionibus humanis, sive in ordine civili, sive in ordine ecclesiastico, neque de institutionibus Apostolicis per traditionem ad nos transmissis, sed tantum de traditionibus divinis ad religionem attinentibus, id est, de iis traditionibus quæ exhibent revelationem a Deo factam, in libris canonicis non scriptam et Ecclesiæ tanquam depositam concreditam a Christo dicente, Matth. xxviii, 20 : *Docentes eos servare quæcumque mandavi vobis.*

Unde privatæ revelationes piis animabus identidem factæ, etiam quando velut argumentum sanctitatis alicujus viri a summo Pontifice approbantur, ad objectum fidei non pertinent, et nunquam proponantur ut de fide credendæ.

Quæstio est igitur 1º an divinæ existant traditiones ab Apostolis acceptæ et transmissæ; 2º an veritates sic transmissæ æque certo noscantur ac veritates in libris divinis scriptæ; et 3º quibus regulis veræ traditiones a traditionibus falsis tuto discernantur.

Lutherani et Calvinistæ, instar Pelagianorum, Ariænorum, Eutyechianorum aliorumque hæreticorum, sola Scriptura omnes controversias fidei dirimendas esse contententes, divinas proinde rejiciunt traditiones tanquam insufficientes ad fidem. Contra eos sunt propositiones sequentes.

PROPOSITIO PRIMA.

Divinæ existunt traditiones ab Apostolis acceptæ et transmissæ.

Prob. 1º Constat Christum multa dixisse et fecisse quæ in Evangeliiis non narrantur, Joan. xxi, 25; similiter et Apostoli a Spiritu sancto inspirati, non omnia scriptis mandarunt quæ viva voce docuerunt, ut ipse testatur B. Paulus, II Thess. ii, 14, et II Tim. i, 13, et ii, 1, eos ad traditiones, ad ea quæ didicerant per testes remittens :

ergo saltem plurima sunt revelata quæ in libris sacris non inveniuntur, et voce tradita sunt.

2º Christus nihil scripsit, nec aliquid scribere jussit, sed mandavit credere et servare quidquid docuerat et præceperat. Apostoli Evangelium viva voce annuntiabant, non vero libros sacros infidelibus tradebant, ut ipsi eos legendo fidem sibi efformarent. Primæ ecclesiæ condite sunt et plures diu exstiterunt sine Scripturis, saltem sine Scripturis Novi Testamenti; sola igitur traditione veritates a Christo revelatas cognoscebant. Hinc ruit fundamentum Protestantium asserentium solam Scripturam esse regulam fidei.

3º SS. Patrum testimonia a nobis in initio Tractatus de vera Ecclesia citata, clarissime probant semper creditum esse divinas existere traditiones.

4º Multa de fide credunt Protestantes quæ in Scripturis non inveniuntur : v. g., beatam Deiparam semper fuisse virginem; baptismum parvulis esse conferendum, ab hæreticis collatum esse validum, nec iterandum; quatuor tantum esse Evangelia; hos et illos libros utriusque Testamenti esse divinos, non vero alios, etc. Ergo fateri coguntur divinas existere traditiones ab Apostolis acceptas et transmissas. Vide quæ diximus de doctore Leo in Tract. de Ecclesia.

PROPOSITIO SECUNDA.

Divinæ traditiones ab Apostolis acceptæ et transmissæ, eandem habent auctoritatem ac veritates in Scriptura contentæ.

Prob. ex Scriptura sacra, concilio Trid., SS. Patribus et ratione.

1º Scriptura sacra, nempe ex textibus B. Pauli superius citatis, in quibus Thessalonicensibus et Timotheo pari modo commendat doctrinam sermonibus acceptam et doctrinam in Epistola sua scriptam. Ergo 1º.

2º Ex concilio Trid.; sess. 4, decreto de canonicis Scripturis, in quo hæc habentur : « Perspicuiusque

» (sancta synodus) hanc veritatem et disciplinam confi-
 » neri in libris scriptis, et sine scripto traditionibus qua
 » ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis
 » Apostolis, Spiritu sancto dictante, quasi per manus
 » traditæ, ad nos usque pervenerunt; orthodoxorum
 » Patrum exempla secuta, omnes libros tam Veteris
 » quam Novi Testamenti, cum unus Deus sit auctor, nec
 » non traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores
 » pertinentes, tanquam vel ore tenus a Christo vel a
 » Spiritu sancto dictatas, et continua successione in
 » Ecclesia catholica conservatas, pari pietatis affectu ac
 » reverentia suscipit et veneratur; » et in fine decreti
 » addit : « Si quis autem libros ipsos integros..... et tra-
 » ditiones prædictas sciens et prudens contempserit;
 » anathema sit. » Ergo 2°.

3° *Ex SS. Patribus.* In initio Tractatus *de vera Ecclesia*, citavimus testimonia Tertull., Orig., S. Basilii, S. Chrys., S. Epiph., S. Aug. et S. Hieronymi, quæ hic iterum non referemus.

S. Irenæus, contra Hæreses, l. 3, cap. 3, n. 3 : « Hæc
 » ordinatione et successione, ea quæ ab Apostolis in
 » Ecclesia traditio et veritatis præconatio pervenit usque
 » ad nos. Et est plenissima hæc ostensio, unam et eam-
 » dem vivificatricem fidem esse, quæ in Ecclesia ab Apo-
 » stolis usque nunc sit conservata, et tradita in veritate. »

Alia colligere testimonia inutile foret; fatentur enim adversarii Patres sibi esse oppositos. Ergo 3°.

4° *Ratione.* 1° Plurimæ, ut jam diximus, diu exstiterunt ecclesiæ sine Scripturis : atqui tamen fideles in his ecclesiis veram habebant fidem ad justificationem et salutem sufficientem : ergo veritates revelatæ pari certitudine traditione et Scriptura credi possunt. 2° Sola traditione libros sacros accepimus, et sensum eorum noscimus : ergo traditio est, sicut Scriptura, via tutissima qua doctrina Christi et Apostolorum infallibiliter noscatur. 3° Ipsi hæretici plura admittunt de fide, ut monuimus, quæ non sunt in Scriptura : ergo 4°, etc.; aliunde, etc. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Deut. iv, 2 : *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo;* et Matth. xv, 3 : *Quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?* Ergo nullæ admittendæ sunt traditiones præter verbum Dei.

R. Nego conseq. 1° enim Moyses vetat ne aliquid legi Dei addatur vel ab illa subtrahatur per falsas explicationes, non vero prohibet ne fides verbo Dei non scripto adhibeatur : e contra, in hoc ipsomet loco de traditione loquitur, cum dicat : *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, et non, quod scribo.* 2° Christus, apud Matth., loquitur de traditionibus mere humanis, quarum aliæ erant malæ et aliæ inutiles, ut patet contextu; paulo post enim addit, v. 9 : *Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas et mandata hominum.* At nihil in eo capite ostendit Christum divinas traditiones in lege Mosaica existentes reprobasse. Ergo.

Similiter SS. Patres in pluribus locis rejicere videntur traditiones, sed traditiones humanas, aut traditiones falsas, per oppositionem ad Scripturam sacram et ad traditiones divinas certo constantes.

Obj. 2°. Frequenter falsæ exstiterunt traditiones in Ecclesia quæ habitæ sunt ut veræ : ergo nulli traditioni plena fides adhiberi potest.

R. 1°. *Retorqueo argumentum.* Plures falsæ scripturæ habitæ sunt ut veræ, etiam a viris eruditis, probis et sanctis : ergo nulla est scriptura fide digna.

R. 2°. *Nego conseq.* Falsæ quidem habitæ sunt traditiones, sed rejectæ sunt, quia characteres veritatis præ se non ferebant; inde vero firmantur aliæ quæ, omnibus perpensis, evidentiter judicantur veræ. Ergo.

Quæritur an traditiones ab Apostolis acceptæ et transmissæ certo cognosci possint.

R. affirmative. Dictæ enim traditiones certo cognosci possunt si plures exstent regulæ quibus veræ traditiones

divinæ a falsis infallibiliter secerni possint : atqui plures exstant hujusmodi regulæ, nempe :

1° Si universa Ecclesia aliquod teneat dogma tanquam de fide, quod in Scriptura non inveniatur : nam Ecclesia in rebus fidei errare non potest. Nullum autem exstitit fidei dogma quod non fuerit revelatum, et Scriptura vel traditione ad nos transmissum. Ergo. Hac regula ostenditur omnes libros in canone nostro contentos fuisse inspiratos, B. Mariam semper fuisse virginem, baptismum a laico vel etiam a muliere collatum esse validum, etc.

2° Si universa Ecclesia aliquid teneat in praxi quod divinam requirat institutionem, et in Scriptura non existat, signum est infallibile hoc a Christo fuisse institutum et per traditionem transmissum ; alioquin Ecclesia erraret : sic novimus existentiam sacramentorum Confirmationis, Extremæ-Untionis, Ordinis, Matrimonii, et plurium ex illis materiam et formam.

3° Quod per universam Ecclesiam in cunctis retro sæculis reperitur existens, et cujus institutio referri non potest neque ad concilium, neque ad summos Pontifices, ab ipsis Apostolis descendere merito judicatur, juxta hanc regulam catholicam quam tradit S. Aug. de Baptismo, l. 3, cap. 24 : « Quod universa tenet Ecclesia, nec » conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi » auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur. » Hinc concluditur jejuniū quadragesimale, observationem festorum Nativitatis Domini, Pentecostes, cæremonias in baptismo usitatas, signum crucis et alia hujusmodi saltem ab ipsis Apostolis fuisse instituta.

4° Unanimis Patrum consensus in admittendo dogmate quod in Scriptura non exprimitur, certum est signum illud ab Apostolis per traditionem descendere ; impossibile est quippe Patres sic fuisse unanimes, nisi saltem eorum tempore Ecclesia id crediderit et docuerit : porro Ecclesia fidem suam non mutat, nec dogma prius non revelatum excogitavit, sed semper tenet *quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est*, inquit S. Vincentius Lirinensis, *Commonit.* l. 1, n. 2.

5° Certissima præ cæteris regula pro veris traditionibus divinis a falsis tuto secernendis est definitio Ecclesiæ, quæ infallibilis est in explicanda traditione, sicut in interpretanda Scriptura sacra.

Nota. Certum est sub lege naturæ, id est, ab Adam usque ad Moysen, divinas exstitisse traditiones, v. g., de creatione mundi, de lapsu primi parentis, de vita futura, beata aut misera, secundum uniuscujusque opera, de Redemptore venturo, de peccati originalis remedio, etc. Item sub lege Mosaica fuerunt traditiones, v. g., de remedio peccati originalis, de canonicitate Librorum sacrorum, de eorum sensu et de multis aliis. Pleræque ex illis traditionibus, eæ scilicet quæ ad doctrinam generalem pertinent, in libris Novi Testamenti fuerunt consignatæ, vel traditione Apostolica ad nos pervenerunt : quæ vero erant temporales et locales, factæ sunt obscuræ vel omnino perierunt. Sic ordinem celebrandi cultum Dei et sacrificia offerendi sub lege naturæ imperfecte noscimus, in quo remedium peccati originalis constiterit ignoramus, etc.

CAPUT QUINTUM.

DE FIDEI PROPRIETATIBUS.

Quatuor communiter assignantur fidei proprietates, scilicet veritas, certitudo, obscuritas et necessitas. De necessitate dicemus in Tractatu *de Decalogo* : hic ergo agemus 1° de veritate, 2° de certitudine, 3° de obscuritate fidei ; insuper 4° de ejus moralitate, et 5° de notis seu censuris theologicis, per oppositionem ad veritatem et certitudinem fidei.

ARTICULUS PRIMUS.

DE VERITATE FIDEI.

Veritas fidei sub duplici respectu considerari potest, nempe ex parte Dei revelantis, et ex parte hominis cre-

divinæ a falsis infallibiliter secerni possint : atqui plures exstant hujusmodi regulæ, nempe :

1° Si universa Ecclesia aliquod teneat dogma tanquam de fide, quod in Scriptura non inveniatur : nam Ecclesia in rebus fidei errare non potest. Nullum autem exstitit fidei dogma quod non fuerit revelatum, et Scriptura vel traditione ad nos transmissum. Ergo. Hac regula ostenditur omnes libros in canone nostro contentos fuisse inspiratos, B. Mariam semper fuisse virginem, baptismum a laico vel etiam a muliere collatum esse validum, etc.

2° Si universa Ecclesia aliquid teneat in praxi quod divinam requirat institutionem, et in Scriptura non existat, signum est infallibile hoc a Christo fuisse institutum et per traditionem transmissum ; alioquin Ecclesia erraret : sic novimus existentiam sacramentorum Confirmationis, Extremæ-Untionis, Ordinis, Matrimonii, et plurium ex illis materiam et formam.

3° Quod per universam Ecclesiam in cunctis retro sæculis reperitur existens, et cujus institutio referri non potest neque ad concilium, neque ad summos Pontifices, ab ipsis Apostolis descendere merito judicatur, juxta hanc regulam catholicam quam tradit S. Aug. de Baptismo, l. 3, cap. 24 : « Quod universa tenet Ecclesia, nec » conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi » auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur. » Hinc concluditur jejuniū quadragesimale, observationem festorum Nativitatis Domini, Pentecostes, cæremōnias in baptismo usitatas, signum crucis et alia hujusmodi saltem ab ipsis Apostolis fuisse instituta.

4° Unanimis Patrum consensus in admittendo dogmate quod in Scriptura non exprimitur, certum est signum illud ab Apostolis per traditionem descendere ; impossibile est quippe Patres sic fuisse unanimes, nisi saltem eorum tempore Ecclesia id crediderit et docuerit : porro Ecclesia fidem suam non mutat, nec dogma prius non revelatum excogitavit, sed semper tenet *quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est*, inquit S. Vincentius Lirinensis, *Commonit. l. n. 2.*

5° Certissima præ cæteris regula pro veris traditionibus divinis a falsis tuto secernendis est definitio Ecclesiæ, quæ infallibilis est in explicanda traditione, sicut in interpretanda Scriptura sacra.

Nota. Certum est sub lege naturæ, id est, ab Adam usque ad Moysen, divinas exstitisse traditiones, v. g., de creatione mundi, de lapsu primi parentis, de vita futura, beata aut misera, secundum uniuscujusque opera, de Redemptore venturo, de peccati originalis remedio, etc. Item sub lege Mosaica fuerunt traditiones, v. g., de remedio peccati originalis, de canonicitate Librorum sacrorum, de eorum sensu et de multis aliis. Pleræque ex illis traditionibus, eæ scilicet quæ ad doctrinam generalem pertinent, in libris Novi Testamenti fuerunt consignatæ, vel traditione Apostolica ad nos pervenerunt : quæ vero erant temporales et locales, factæ sunt obscuræ vel omnino perierunt. Sic ordinem celebrandi cultum Dei et sacrificia offerendi sub lege naturæ imperfecte noscimus, in quo remedium peccati originalis constiterit ignoramus, etc.

CAPUT QUINTUM.

DE FIDEI PROPRIETATIBUS.

Quatuor communiter assignantur fidei proprietates, scilicet veritas, certitudo, obscuritas et necessitas. De necessitate dicemus in Tractatu *de Decalogo* : hic ergo agemus 1° de veritate, 2° de certitudine, 3° de obscuritate fidei ; insuper 4° de ejus moralitate, et 5° de notis seu censuris theologicis, per oppositionem ad veritatem et certitudinem fidei.

ARTICULUS PRIMUS.

DE VERITATE FIDEI.

Veritas fidei sub duplici respectu considerari potest, nempe ex parte Dei revelantis, et ex parte hominis cre-

dentis. Sub priori respectu, petitur an Deus aliquid revelans verum necessario dicat : negaverunt olim Priscillianistæ, in fine quarti sæculi, asserentes Deum posse falsum dicere et sæpe dixisse. Absurdum et impium hunc errorem nemo nunc tueri conatur.

Sub posteriori respectu, postulatur an homo falso existimans aliquid esse revelatum, veram fidem habere possit, sicut qui adorat hostiam quam falso putat consecratam, vel dat eleemosynam diviti existimato pauperi, actus religionis et charitatis exercet.

PROPOSITIO.

Quod est falsum fide divina credi non potest, etsi bona fide credatur revelatum.

Prob. 1º concilio Trid., sess. 6, cap. 9, in quo dicitur, sub fine, agendo de fide : Cui non potest subesse falsum.

2º *Ratione.* Vera fides existere non potest sine proprio suo objecto : at proprium fidei objectum est veritas a Deo revelata; ergo ubi objectum falso creditur revelatum, fides est sine proprio objecto.

Omnes actus virtutis fidei sunt essentialiter boni in se. Porro assensus objecto falso etiam ex errore invincibili præstitus, non est in se bonus, sed materialiter malus. Aliunde actus veræ fidei absque divina gratia elici non potest : at repugnat Dei gratiam nos impellere ad credendum falsum tanquam verum. Ergo. Ita omnes theologi.

Hinc 1º qui auctoritate perversi vel ignari pastoris deceptus, aliquid non revelatum crederet ut revelatum, v. g., B. Virginem esse unam e personis divinis, posset non peccare; imo ipsius voluntas Deo obediendi forsitan meritoria esset; sed actum veræ fidei non eliceret. 2º Qui ex errore invincibili falso crederet aliquam hostiam esse consecratam eamque adoraret, actum religionis Deo gratum produceret, non vero actum fidei divinæ. 3º Inde patet dari discrimen inter virtutes intellectus, ut

fidem et scientiam, quæ verum habent pro objecto, et virtutes morales, quæ versantur circa bonum; istæ enim virtutes voluntatem perficientes, apprehendunt objectum, non ut in se est, sed ut cognoscitur, dum virtutes intellectus illud considerant ut in se est : v. g., eleemosyna data diviti aestimato pauperi, est actus charitatis; conclusio vero ex præmissis male deducta, ad scientiam nunquam reipsa pertinebit. Similiter nec actus fidei circa objectum non revelatum ad veram fidem referri potest. 4º Qui assensum denegaret objecto quod falso credit revelatum, in rei veritate hæreticus non esset, et tamen graviter peccaret, quia in re gravi contra conscientiam ageret, et positivam haberet voluntatem Deo non credendi.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE CERTITUDINE FIDEI.

Triplicem distinguitur certitudo, scilicet objecti, subjecti et motivi. Certitudo objecti nihil aliud est quam ipsamet rei veritas infallibilis; certitudo subjecti est firma mentis adhesio veritati cognita, et certitudo motivi est pondus rationis mentem ad assensum impellentis. Triplicem hanc certitudinem vocat *Habert* objectivam, subjectivam et formalem.

Certitudo objecti est ipsamet veritas objecti credendi, cujus necessitatem in præcedenti articulo astruximus. De infallibilitate motivi fidei superius tractavimus.

De sola igitur certitudine subjectiva questio nunc moveri potest. Non est dubium quin fides, ut actus mentis spectata, debeat esse certa; sic enim exhibetur in Scriptura, v. g., Tob. III, 21 : *Pro certo habet omnis qui te colit, quod vita ejus, si in probatione fuerit, coronabitur*; Act. II, 36 : *Certissime sciat omnis domus Israel...* II Tim. I, 12 : *Scio cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem.* Sic omnes loquuntur Patres, et id ex ipsamet fidei definitione patet.

Hæc autem certitudo duo necessario importat, nempe

conformitatem cum objecto, et firmitatem in actu rationabili motivo determinatam: 1^o conformitatem cum objecto, siquidem falsum nunquam fidei subesse potest: unde assensus propositioni falsæ, quæ existimatur vera, non est certus; 2^o firmitatem in actu rationabili motivo determinatam; certitudo enim, juxta notionem ejus ab omnibus acceptam, opponitur opinioni quantumvis probabili: ergo omnem excludit dubitationem actualem, et includit persuasionem objectum aliter esse non posse. Vera igitur certitudo excludit simul formidinem et periculum erroris. Ita *Suarez, Simonet, P. Antoine, etc.*

Nihilominus certitudo subjectiva, licet cum veritate objecti essentialiter conjungatur, major vel minor esse potest, vel propter majorem luminis intellectum lustrantis splendorem, vel propter numerosiora aut clariora adhærendi motiva. Sic qui aliquod videt objectum sub debili lumine, illud realiter videt: at, novis accedentibus luminis radiis, vel oculis sanioribus factis, idem objectum clarius videbit: objecta autem sic clariora in infinitum fieri possunt.

Hic quærere solent theologi an certitudo fidei major sit certitudine naturali, non ratione conjunctionis cum veritate, quæ in omni certitudine essentialis est, sed ratione splendoris in intellectu, vel ratione numeri aut ponderis motivorum et firmitatis adhæisionis.

Ratione splendoris in intellectu, certitudo naturalis major est certitudine fidei; quia 1^o objecta naturalia per se evidentia intellectui nostro magis sunt proportionata quam objecta per solam revelationem cognita; 2^o quia ubi evidentia menti nostræ affulget, assensum nostrum cohibere non possumus. Nostra igitur adhæsiō est necessaria, et omnem excludit dubitationem etiam involuntariam, ac potestatem dubitandi; fides vero pendet a voluntate intellectum ad objectum revelatum applicante, et ad credendum determinante; potestatem dubitandi non excludit, ut probat experientia, siquidem multi qui habuerunt fidem circa illam naufragaverunt. *Sic S. Th., 2², q. 3, art. 4, et cum illo generaliter theologi.*

Nunc igitur quæstio est an, ratione motivorum et firmitatis in adhæsiōne, certitudo fidei major sit certitudine naturali. Communissime affirmant theologi sequentibus innixi momentis, cum *Suarez*, disp. 6, sect. 5, n^o 10.

1^o *Ex Scriptura sacra.* I Joan. v, 9: *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est*; II Petr. I, 19: *Habemus firmiorem propheticum sermonem*; Gal. I, 8: *Sed licet Angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Ergo assensus fidei firmitior esse debet quam alius quilibet assensus. Ergo 1^o.

2^o *Ex SS. Patribus.* S. Chrysost., Homil. 21 in Epist. ad Heb.: « Si de iis quæ non cadunt sub aspectum non » apertius fuerit quispiam persuasus, quam de iis quæ » videntur, non potest esse fides. »

S. Aug., Conf. I, 7, cap. 10: « Facilius dubitarem vi- » vere me quam non esse veritatem quæ per ea quæ facta » sunt intellecta conspicitur. » Ergo 2^o.

3^o *Ex ratione.* 1^o Principium certitudinis naturalis est evidentia, et principium certitudinis fidei est veracitas divina: atqui veracitas divina major est evidentia humana. 2^o Evidentia humana, licet cum veritate semper conjuncta, varios usque ad infinitum suscipere potest gradus; non autem veracitas divina, quæ est infinita; nec visio Dei, quæ pariter nullos habet limites: porro majorem habemus securitatem quando nitimur testimonio illius qui nec falli nec fallere potest, quam ubi sola visione nostra fulcimur. 3^o In certitudine naturali mens naturæ suæ viribus objecto adhæret; in certitudine vero fidei gratia movetur et adjuvatur. Ergo firmitior debet esse adhæsiō, et veri fideles potius mori et omnia subire tormenta eligunt quam fidem denegare: ergo 3^o.

Fatemur his rationibus nonnullos haud multum moveri. Certitudo naturalis et certitudo fidei divinæ diversi sunt ordinis, sed videtur utramque posse, sub diverso respectu, ejusdem esse roboris, etiam ratione motivorum et firmitatis in adhæsiōne quoad effectum. Numquid veracitas divina, licet infinita in se, intellectum semper ma-

gis illustrat quam evidentia? Numquid adhæsiō fidei semper est firmitior quam adhæsiō principiis evidentibus? Nonne frequenter experientia contrarium demonstrat?

Sicut in scientiis naturalibus major est evidentia primorum principiorum, quam conclusionum ex illis deductarum, quia majori lumine mens illustratur; sic major videtur adhæsiō veritatibus immediate revelatis quam conclusionibus ex illis deductis.

ARTICULUS TERTIUS.

DE OBSCURITATE FIDEI.

Obscuritas claritati cognitionis opponitur: claritas autem talis est objecti representatio, ut mens videat et explicare possit quid sit: sic clarum est tres angulos in omni triangulo duobus angulis rectis æquivalere. Obscuritas vero efficit ut mens non videat nec explicare valeat quid sit objectum quod aliunde certo cognoscit existere, v. g., quid sit mysterium sanctissimæ Trinitatis, quid sit præsentia realis, etc.

Certum est objectum fidei per se obscurum esse; revelatio enim illius existentiam infallibiliter aperit, sed naturam ejus non manifestat.

Verum, si objectum viis naturalibus evidenter cognitum, ut existentia Dei, per revelationem manifestetur, poteritne fide divina credi?

Negant Thomistæ, hisque innituntur momentis: 1^o textu B. Pauli ad Hebr. xi, 1: *Est fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*: ergo objectum ejus est essentialiter obscurum; 2^o testimoniis Patrum, qui in multis locis eodem sensu loquuntur; 3^o ratione; qui enim rem aliquam evidenter cognoscit, ei adherere non potest propter auctoritatem: v. g., si quis tibi dicat te existere, te vigilare, solem lucere, hæc non credes propter auctoritatem dicentis, sed quia vides et percipis. Ergo.

Contrarium tamen multo communius docent theologici cum quibus sit

PROPOSITIO.

Scientia et fides circa idem objectum simul existere possunt.

*Probat*ur ista propositio argumentis deductis ex Scriptura sacra, ex Symbolo Apostolorum et ex ratione.

1^o *Ex Scriptura*. Quidquid enim reperitur in libris canonicis ab auctoribus inspiratis narratum, censetur revelatum et ad objectum fidei pertinet: at inter ea quæ in libris sacris ab auctoribus inspiratis narrantur, multa sunt quæ ad scientiam pertinent: ea quippe ad scientiam pertinent quæ viis naturalibus, scilicet sensibus, evidentia aut testimonio humano cognosci possunt: porro multa sunt in libris sacris quæ viis naturalibus cognosci possunt, v. g., miracula Moysis, Christi et Apostolorum evidentia sensuum a testibus oculatis cognoscebantur, sicut alia quælibet facta sensibilia; existentia Dei, ejus unitas, omnipotentia, providentia, etc., evidentia mentis noseuntur, id est, per rationem demonstrantur, ut omnes fatentur; facta historica, sive naturalia sive supernaturalia, evidentia testimonii humani innotescunt. Etiam si enim libri sacri considerarentur ut monumenta mere humana, prædicta facta nihilominus admittenda essent ut vera, alioquin omnis certitudo historica rueret: ergo hæc omnia possunt esse simul objectum scientiæ et fidei, quod plurimis confirmari posset exemplis: v. g., resurrectioni Christi credere noluit S. Thomas priusquam illum vidisset et tetigisset; illum vidit et tetigit, sicque cognitionem sensuum acquisivit, et tamen actum fidei elicit, siquidem Christus dixit illi, Joan. xx, 29: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti; beati qui non viderunt et crediderunt*. Cæteri Apostoli fide divina pariter crediderunt facta quorum testes oculati fuerunt, ut miracula Christi, ejus mortem, resurrectionem, ascensionem, etc. B. Paulus, Hebr. xi, 6. loquens de fide divina, sine qua impossibile est placere Deo, ait: *Credere oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit*. Ergo 1^o.

2^o *Ex Symbolo Apost.* Unusquisque enim dicere tenetur : *Credo in Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem cæli et terræ* : nec admitti potest explicatio *Gonet*, auctoris Thomistæ, in eo consistens ut ille Symboli articulus sit tantum pro iis qui Dei existentiam, omnipotentiam et creationem cæli et terræ per vias naturales non cognoscunt ; nam fides est eadem pro omnibus, sine distinctione inter doctos et indoctos : B. Paulus non dicit rusticos teneri credere Deum esse, sed omnes qui illi placere volunt. Ergo 2^o.

3^o *Ex ratione.* Natura fidei in eo consistit ut Deo loquenti et aliquid revelanti firmus præbeatur assensus : porro firmus præberi debet assensus Deo revelanti, sive objectum sit clarum, sive obscurum. Nonne creditur homini fide digno, qui aliquid clarum asserit, saltem eadem firmitate ac crederetur illi aliquid obscurum dicenti ? Ergo a fortiori, etc. Itaque in eo casu duplex distingui potest actus adhesionis, unus evidentia innixus, et pertinet ad scientiam naturalem ; et alter revelatione fundatus, qui ideo est actus fidei.

Præterea, ex opinione Thomistarum sequeretur 1^o infidelem qui per demonstrationes Deum existere cognosceret, fidem in illum habere non posse, ac proinde vel non justificari, vel justificari sine fide in Deum, quod negat Apostolus ; 2^o Christianum qui acquirit scientiam de Dei existentia, vel de aliis veritatibus quæ viis naturalibus cognosci possunt, aut fidem amittere, aut saltem actus fidei circa illas veritates jam elicere non posse, ac consequenter ipsius conditionem sub hoc respectu conditione rustici deteriorem esse : illa autem consequentia est absurda : ergo 3^o, etc. ; aliunde, etc. Ergo.

Ad præcipuas Thomistarum rationes superius indicatas responderi potest : 1^o B. Paulum fidem accurate definire noluisse, sed dicere in quo maxime sita sit, quid summam exhibeat, et affirmare eam esse substantiam rerum sperandarum, id est, ad vitam æternam præcipue respicere, et res invisibiles exhibere, quod certe manifestum est ; sed inde non sequitur objectum aliunde notum

auctoritate divina credi non posse. 2^o Sancti Patres meritum fidei, qua res invisibiles et obscuras credimus, laudaverunt quidem, sed nullibi dixerunt idem objectum scientiæ et fidei simul subesse non posse : ergo testimonia eorum nihil probant. 3. Assertionem Thomistarum negant alij theologi, contenduntque rem etiam lucidissima evidentia splendentem revelari posse, et revelatam auctoritate Dei credendam esse perinde ac rem obscuram.

Plurimi tamen volunt distinguendum esse inter scientiam abstractam, qua objectum per aliud cognoscitur, v. g., Deus per creaturas ; et scientiam intuitivam, qua objectum per se clarum immediate apprehenditur : priorem cum fide subsistere posse fatentur, non vero posteriorem, quæ non solum dubium, sed possibilitatem abstractionis excludit. Longe probabilius nobis videtur quodcumque objectum revelatum, etiam evidens, fide divina credi posse, non propter evidentiam, id omnes rejiciunt, sed propter veracitatem revelantis.

ARTICULUS QUARTUS.

DE MORALITATE FIDEI.

Sub eo nomine designantur libertas fidei, ejus honestas, supernaturalitas et meritum. Petitur ergo an actus fidei divinæ sit liber, honestus, supernaturalis et meritorius. His quæsitis breviter responsuri sumus.

1^o *Actus fidei est liber* ; nam 1^o Marc. xvi, 16, legitur : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit ; qui vero non crediderit condemnabitur.* Illa verba obligationem credendi evidenter supponunt et possibilitatem non credendi : at si fides non esset libera, talis obligatio talisque possibilitas non existeret : ergo. 2^o Si fides non esset libera, certe quia pertinet ad intellectum et quia intellectus non est liber in actibus suis : at, his non obstantibus, fides est libera non quidem intrinsece, quia non est a potentia seipsam determinante ; sed extrinsece, quatenus pendet a voluntate intellectum libere determinante

ad ea consideranda quæ actum fidei obtinent, scilicet objectum revelatum, motiva credibilitatis et veracitatem revelantis. 3^o Etiam quando objectum revelatum est aliunde evidens, fides pariter est libera, quia voluntas potest vel intellectum auctoritati Dei applicare, vel ab illa abstrahere; nunquam enim tanta est revelatio, ut attentionem nostram jugiter præoccupet.

Inde sequitur fidem majorem vel minorem esse posse sive in diversis individuis, sive in eodem individuo diversis temporibus, quia actus liberi varios suscipiunt gradus, et magis ac magis perfici possunt. Unde sæpe in Scriptura agitur de magna fide, de tanta fide, de fide majori, etc. Inæqualitas autem fidei potest existere vel ratione cognitionis objecti, quæ major vel minor esse potest: sic major est fides nostra quam erat fides antiquorum, quia eadem objecta magis explicite cognoscimus; vel ratione majoris aut minoris in credendo firmitatis; quæ firmitas se tenet vel ex parte intellectus motiva credendi magis penetrantis, vel ex parte voluntatis adhesionem objectis revelatis ardentius imperantis, vel maxime ex parte gratiæ in nobis efficaciori modo operantis: hinc unusquisque dicere debet: *Credo, Domine; adjuva incredulitatem meam.* Marc. ix, 23.

Quamvis actus fidei sit liber, non tamen est discursivus, quia in se spectatus et a motivis præcisus, ex præmissis non eruitur, sed mera est adhesio veritati a Deo revelatæ.

2^o *Actus fidei est honestus*, id est bonus et laudabilis: bona et laudabilis est fides humana, cum, ea remota, corrueret societas; siquidem sola fide multa omnino necessaria cognoscimus, ut originis nostræ legitimitatem, possessionem nostram, titulos, etc. At si bonum ac laudabile sit credere homini, a fortiori et credere Deo; nam *si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est.* I Joan. v, 9. Ergo.

3^o *Est supernaturalis.* Notandum præambula fidei, ut perceptionem eorum quæ credenda proponuntur, et attentionem ad motiva credibilitatis, ab actu fidei dis-

tinguenda esse: alioquin infidelis qui mysteria nostra cognosceret et ad motiva quibus nitimur attenderet, eo ipso fidem haberet: quod evidenter falsum est. De hujusmodi præambulis hic non agitur, sed de ipsomet actu quo intellectus ex imperio voluntatis objecto revelato ob solam Dei auctoritatem firmiter adhæret. Porro talis actus essentialiter est supernaturalis; nam 1^o habitus fidei divinæ est supernaturalis, juxta omnes: porro actus alicujus virtutis ejusdem sunt ordinis ac ipsa virtus. 2^o Probatur in Tractatu *de Gratia* nec fidem divinam existere, nec actum fidei elici posse sine gratia; sed actus qui vires naturales superant, sunt supernaturales. 3^o Fides ex natura sua tendit ad Deum supernaturaliter cognitum, et nos ad vitam æternam ordinat: istius modi autem actus et habitus non sunt mere naturales: ergo. Unde qui ex fine naturali religionem christianam amplecteretur, divinam non haberet fidem, sed humanam tantum, aut externam et hypocritam.

Unde autem præcise repetenda sit fidei *supernaturalitas* non liquet; probabilissime simul ex objecto revelato, ex motivo supernaturali et maxime ex gratia dirigente.

4^o *Est meritorius*, idque constat Scriptura sacra, concilio Tridentino, traditione et ratione. 1^o *Scriptura sacra.* B. Paulus, Hebr. xi, 33, de Gedeon, Barac, Samson, Jephthe, David, Samuel et prophetis dicit: *Per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt reprobationes*, etc. Gal. v, 6, ait: *Neque circumcisio aliquid valet, neque præputium; sed fides que per charitatem operatur.* 2^o *Concilio Trid.* Expresse docet, sess. 6, cap. 6, fidem præparare hominem ad suscipiendam justificationem. 3^o *Traditione*, quia Patres Ecclesiæ, doctores et theologi semper exhibuerunt fidem ut initium salutis et principium omnis meriti. 4^o *Ratione*; fides enim habet omnes conditiones ad meritum requisitas, prout eas in Tractatu *de Gratia* exponimus. Si charitate sit animata, meritum est de condigno; si vero charitate sit destituta, meritum est tantum de congruo. Ergo.

Meritum autem fidei est majus aut minus, juxta gradum ardoris voluntatis et animi firmitatis in credendo.

ARTICULUS QUINTUS.

DE NOTIS SEU CENSURIS THEOLOGICIS.

Nomine censuræ theologicae intelligitur judicium vel sententia qua nota maligna euidam inuritur doctrinae, tanquam fidei aliquo modo noxiae. Breviter dicturi sumus 1^o de doctrina, quæ censuris theologicis subesse potest, 2^o de notis theologicis, et 3^o de auctoritate quæ hujusmodi notas decernere valet.

§ I. — De doctrina quæ censuris theologicis subesse potest.

Ex ipsa censuræ theologicae definitione patet doctrinam nullo modo fidei noxiam aliqua malignitatis nota merito percuti non posse: sedulo igitur cognoscenda est doctrina fidei aut fidei congruens, ut apprime noscatur quid de doctrina ei quovis modo adversa pronuntiandum sit.

Per doctrinam autem fidei non intelliguntur solummodo propositiones immediate revelatæ, ab Ecclesia definitæ et ab omnibus sub anathematis pœna credendæ, sed quælibet propositiones quamdam habentes affinitatem cum fide, sive sint tantum speculativæ, v. g., Christus fuit risivus; sive ad mores spectent, v. g., proximum actu interno diligere tenemur; detractio est peccatum justitiæ oppositum; complectuntur igitur universam doctrinam christianam sub quocumque respectu consideratam, ac consequenter censura theologica quamlibet propositionem qua perfectio et integritas doctrinae catholicae læderentur, afficere potest. Aliæ vero propositiones, neque directe neque indirecte ad fidem attinentes, ut theses mathematicæ, merè philosophicæ aut politicæ, opinioniones in scholis libere agitatæ, censuris theologicis subesse nequeunt.

Hæc manent sufficienter probata ex dictis in Tractatu de vera Ecclesia.

Inter propositiones doctrinae fidei congruentes diversi admittendi sunt gradus certitudinis: aliæ quippe sunt de fide, aliæ fidei proximæ, aliæ veræ, aliæ certæ et aliæ probabiles.

Propositio *de fide* ea est quæ evidentè continetur in verbo Dei scripto vel tradito, vel ab Ecclesia proposita est ut revelata et fide tenenda, juxta principia a nobis posita sive in Tractatu *de vera Ecclesia*, sive in presenti Tractatu; ex quibus constat aliam esse de fide catholica, et aliam de fide theologica.

Propositio *fidei proxima* est illa quæ enuntiat rem mediate tantum revelatam, seu est conclusio stricto sensu theologica.

Propositio *vera* enuntiat rem sicuti est, sed in deposito revelationis nec immediate nec mediate contentam, v. g.: Pius IX legitime fuit electus: si absque formidine et periculo erroris cognoscatur, dicitur *certa*; si vero gravibus quidem, sed non inconcussis nitatur momentis, est duntaxat *probabilis*.

Notandum 1^o censuram non præcise verba seu terminos propositionis afficere, sed ipsius sensum, siquidem doctrina inuritur; sed quoniam verba sensum propositionis diversis modis vitare queunt, sæpe subjiciuntur censuræ et prohiberi possunt. Imo, licet verba Scripturæ essentialiter sint vera, quorundam usus aliquando interdici potest, propter malitiam hominum indoctorum et instabilium qui ea depravant. II Petr. III, 16. Sic, tempore Arianorum, nolebat S. Hilarius pronuntiari hæc verba, *Christus ex Maria natus est*, nisi adderetur, *in principio erat Verbum*, lib. de Synodis, n. 70. Hinc prescribi possunt propositiones æquivocæ duplicem habentes sensum, unum bonum et alterum malum, si malus prævaleat; aut si earum abusus legitime timeatur: sic papa Hormisdas sequentem damnavit propositionem: *Unus de Trinitate passus est*.

Notandum 2^o judicium quo censura alicuj doctrinae

inuritur, esse dogmaticum, non vero legem disciplinae; lex enim disciplinae ad actus exteriores directe spectat, eos praecipit vel prohibet, poenas in delinquentes decernere potest; mutatur pro variis circumstantiis; ex natura sua non est universalis, sed in una regione vim habet, et non in alia; quosdam homines ligat, et non alios, etc.

Actus vero quo censura in aliquam propositionem decernitur verum est iudicium quo de veritate aut falsitate, bonitate aut perversitate illius pronuntiatur: ex se igitur ad actus internos respicit, universalis est et invariabilis.

§ II. — De notis theologicis speciatim.

Quemadmodum sanitas corporis multis causis afficitur et depravatur, sic et perfecta Christi doctrina quae, juxta Apostolum, debet esse sana et irreprehensibilis, v. g., Tit. II, 1: *Loquere quae decent sanam doctrinam*; et ibid. vers. 8: *Verbum sanum, irreprehensibile*, multis modis lacessi et vitari potest. Innumerae ergo formari queunt propositiones plus minusve sanae doctrinae oppositae, quae eo ipso aliquam merentur censuram. Praecipuae autem sunt haeretica, erronea, haeresi proxima, sapiens haeresim, haeresis suspecta, errori proxima, sapiens errorem, erroris suspecta, impia, blasphema, periculosa, in fide vel in moribus perniciosa, scandalosa, male sonans, piarum aurium offensiva, injuriosa, captiosa, temeraria, schismatica, seditiosa, ecclesiasticae hierarchiae eversiva, falsa, improbabilis, nova, obscura, praesumptuosa, insana, stulta, magica, superstitiosa, prava, scrupulosa, etc.

Propositio *haeretica* ea est quae dogmati revelato et ab Ecclesia proposito directe opponitur.

Propositio *erronea* et *haeresi proxima* illa est quae adversatur propositioni fidei proximae, id est propositioni mediate revelatae et certae certitudine theologica.

Si propositio ex terminorum ambiguitate vel ex circumstantiis, sive temporis, sive personae loquentis, adhi-

beat vel adhiberi possit ad haeresim vel errorem occulte disseminandum, dicitur *suspecta* sive *haeresis* sive *erroris*.

Propositio *haeresim* vel *errorem sapiens* illa est quae de haeresi vel errore suspecta est, vel quae ab haeresi aut errore non nisi futili evasione vindicari potest.

Propositio *impia* ea est quae pietati et religioni christianae adversatur: si de Deo aut sanctis male loquatur, aliquam perfectionem eorum negando, vel aliquid indecorum de illis aut de sana doctrina affirmando, dicitur *blasphema*.

Propositio *periculosa* ea est quae, licet speculative sit vera, ob varias circumstantias dat locum timendi ne in praxi haeresim, errorem aut peccatum foveat. Si communius aut frequenter infaustus hujusmodi exitus habeat, vocatur *perniciosa*.

Propositio *scandalosa* ea est quae praebet aliis occasionem ruinae spiritualis, et fidelium mores corrumpere potest. Si fideles incautos sub specie pietatis a sana doctrina retrahere conetur, dicitur *seductiva*.

Propositio *male sonans* ea est quae, licet verum sensum pati possit, ex propria tamen verborum significatione pravum habere videtur sensum, nisi clarius explicetur.

Propositio quae, etsi a doctis viris in bono sensu intelligatur, ab aliis, ob ignorantiam vel timoratam conscientiam, in sensu religioni parum congruente accipitur, et in eis tristitiam generat, dicitur *aurium piarum offensiva*.

Est *injuriosa* vel contumeliosa, si privatae personae aut communitatis famam vel honorem laedat.

Dicitur *captiosa* quando sub aliqua specie veritatis in errorem inducere potest.

Propositio *temeraria* ea est quae in materiis theologicis absque sufficienti fundamento ex ratione vel auctoritate petito asseritur, vel quae communi Patrum aut theologorum sententiae adversatur, et gravibus non innititur momentis.

Propositio *schismatica* illa est quae paci et unitati Ec-

clesiæ adversatur, fideles retrahendo ab obedientia et reverentia superioribus ecclesiasticis debita.

Aliæ, sive superius expressæ, sive non expressæ, sufficienter ubi occurrunt intelligi possunt. Regulas in cunctis censuris recte applicandis sequendas hic exponere non intendimus: res quidem non mediocris esset difficultatis: sed spectat ad doctos quibus non desunt opera longa et erudita, ut videre est apud *Tournely*, in Appendice ad loca theologica, post opus Sex dierum.

Duplici modo notæ theologice propositionibus doctrinæ fidei oppositis affigi possunt, ut ostendimus in Tractatu *de vera Ecclesia*, ubi de condemnatione propositionum in globo. Eadem propositio sæpe plures simul meretur notas, et declaratur, v. g. temeraria, scandalosa, falsa, hæretica, etc.

§ III. De auctoritate quæ notas theologicas ferre potest.

Duplex distinguitur censura theologica, scilicet, una doctrinalis et altera judicialis. Censura doctrinalis ea est quæ a viris doctis quidem, sed nullam habentibus auctoritatem divinitus sibi concessam iudicandi, fertur: tales sunt censure quæ a Facultatibus theologis, maxime a Facultate Parisiensi, sæpissime latæ sunt. Alii theologi, sive privatim agant, sive collective, propositiones quæ sibi videntur perversæ, aliqua nota similiter afficere possunt. Vis et pondus hujusmodi censurarum pendet a gradu scientiæ et prudentiæ, nec non a numero doctorum qui eis subscribunt.

Censura judicialis, ab iis fertur qui divinam habent auctoritatem de fidei doctrina iudicandi, videlicet 1º a concilio generali, 2º a summo Pontifice totam Ecclesiam docente, 3º ab episcopis, sive in sua respectiva diocesi, sive in concilio particulari congregatis, nunquam vero a laicis, nec a simplicibus presbyteris, nec a parochis.

Quam fidem mereantur illæ censure, patet ex dictis in Tractatu *de vera Ecclesia*.

CAPUT SEXTUM.

DE SUBJECTO FIDEI.

Duplex distinguitur subjectum fidei, proximum scilicet et remotum.

Subjectum proximum est illa mentis potentia in qua actus fidei eliciuntur: est autem intellectus, ut patet ex dictis.

Subjectum remotum est persona fidem habens: de hoc solo subjecto hic agendum est.

Certum est 1º fidem in sola substantia rationali existere posse: patet ex ipsius notione.

Certum est 2º eam non esse in Deo; quia omnia videt, et nihil credere potest.

Certum est 3º fidem esse in omnibus justis, quia sine fide impossibile est placere Deo.

Certum est 4º eam non existere in infidelibus, cum nomen eorum ex absentia seu carentia fidei oriatur.

Certum est 5º fidem existisse in angelis ante confirmationem, et in primis parentibus nostris ante lapsum, siquidem erant justis, Deo grati et ad finem supernaturalem destinati. Hæc apud omnes constant, exceptis paucis olim dicentibus fidem non existisse in angelis, propter evidentiam eis affulgentem.

Sed quæritur an fides existat 1º in peccatoribus, 2º in hæreticis, 3º in dæmonibus et damnatis, et 4º in beatis in cælo et animabus in purgatorio detentis.

ARTICULUS PRIMUS.

AN FIDES EXISTAT IN PECCATORIBUS.

Cum Protestantes teneant fidem esse fiduciam qua unusquisque firmiter credit, peccata sibi non imputari,

clesiæ adversatur, fideles retrahendo ab obedientia et reverentia superioribus ecclesiasticis debita.

Aliæ, sive superius expressæ, sive non expressæ, sufficienter ubi occurrunt intelligi possunt. Regulas in cunctis censuris recte applicandis sequendas hic exponere non intendimus: res quidem non mediocris esset difficultatis: sed spectat ad doctos quibus non desunt opera longa et erudita, ut videre est apud *Tournely*, in Appendice ad loca theologica, post opus Sex dierum.

Duplici modo notæ theologice propositionibus doctrinæ fidei oppositis affigi possunt, ut ostendimus in Tractatu *de vera Ecclesia*, ubi de condemnatione propositionum in globo. Eadem propositio sæpe plures simul meretur notas, et declaratur, v. g. temeraria, scandalosa, falsa, hæretica, etc.

§ III. De auctoritate quæ notas theologicas ferre potest.

Duplex distinguitur censura theologica, scilicet, una doctrinalis et altera judicialis. Censura doctrinalis ea est quæ a viris doctis quidem, sed nullam habentibus auctoritatem divinitus sibi concessam iudicandi, fertur: tales sunt censure quæ a Facultatibus theologis, maxime a Facultate Parisiensi, sæpissime latæ sunt. Alii theologi, sive privatim agant, sive collective, propositiones quæ sibi videntur perversæ, aliqua nota similiter afficere possunt. Vis et pondus hujusmodi censurarum pendet a gradu scientiæ et prudentiæ, nec non a numero doctorum qui eis subscribunt.

Censura judicialis, ab iis fertur qui divinam habent auctoritatem de fidei doctrina iudicandi, videlicet 1º a concilio generali, 2º a summo Pontifice totam Ecclesiam docente, 3º ab episcopis, sive in sua respectiva diocesi, sive in concilio particulari congregatis, nunquam vero a laicis, nec a simplicibus presbyteris, nec a parochis.

Quam fidem mereantur illæ censure, patet ex dictis in Tractatu *de vera Ecclesia*.

CAPUT SEXTUM.

DE SUBJECTO FIDEI.

Duplex distinguitur subjectum fidei, proximum scilicet et remotum.

Subjectum proximum est illa mentis potentia in qua actus fidei eliciuntur: est autem intellectus, ut patet ex dictis.

Subjectum remotum est persona fidem habens: de hoc solo subjecto hic agendum est.

Certum est 1º fidem in sola substantia rationali existere posse: patet ex ipsius notione.

Certum est 2º eam non esse in Deo; quia omnia videt, et nihil credere potest.

Certum est 3º fidem esse in omnibus justis, quia sine fide impossibile est placere Deo.

Certum est 4º eam non existere in infidelibus, cum nomen eorum ex absentia seu carentia fidei oriatur.

Certum est 5º fidem existisse in angelis ante confirmationem, et in primis parentibus nostris ante lapsum, siquidem erant justis, Deo grati et ad finem supernaturalem destinati. Hæc apud omnes constant, exceptis paucis olim dicentibus fidem non existisse in angelis, propter evidentiam eis affulgentem.

Sed quæritur an fides existat 1º in peccatoribus, 2º in hæreticis, 3º in dæmonibus et damnatis, et 4º in beatis in cælo et animabus in purgatorio detentis.

ARTICULUS PRIMUS.

AN FIDES EXISTAT IN PECCATORIBUS.

Cum Protestantes teneant fidem esse fiduciam qua unusquisque firmiter credit, peccata sibi non imputari,

sequitur fidem in eorum sententia cum peccato subsistere non posse; contra quos sit

PROPOSITIO.

Fides existere potest in peccatoribus.

Propositio est de fide et probatur Scriptura sacra.

Est de fide, ut pote definita in concilio Trid., sess. 6, can. 28: « Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul et fidem semper amitti.....; anathema sit. »

Ergo 1°.

2° *Prob. Scriptura sacra. I Cor. XIII, 2: Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. S. Jacob. II, 26: Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est.*

Ergo 2°.

Dicendum ergo 1° fidem habituales esse quidem gratiæ sanctificantis fundamentum et radicem, ac proinde gratiam sanctificantem sine fide existere non posse, sed gratiæ amissionem fidem non destruere, sicut ruina ædificii fundamentum ejus non evertit; 2° virtutem fidei per quodlibet peccatum mortale amitti potuisse et debuisse, sicut alia dona supernaturalia, sed Deum aliter statuisse propter rationes ipsi notas, et probabiliter, ut dicunt *Simonet* et *Theologus Pietav.*, quia misericorditer voluit ut peccator adhuc vivens retinere posset donum quod est fundamentum justitiæ et principium conversionis; 3° fidem gratia sanctificante destitutam, non dici mortuam eo sensu quo moritur homo; quia homo per mortem destruitur in quantum est homo, fides vero non destruitur, sed qualitate sibi extrinseca privatur. Unde *S. Jacobus* eam non comparat homini mortuo, sed corpori sine spiritu; porro corpus sine spiritu verum est corpus: ergo et fides sine charitate vera est fides.

Diximus fidem in peccatoribus existere posse, non vero semper existere; frequenter, e contra, amittitur, et amissa non ita facile recuperatur. Non est dubium quin

peccator actus fidei, cujus habitum amisit, ante justificationem elicere possit et debeat; verum multi volunt, et probabiliter, illum fidei habitum non obtinere vel non recuperare, nisi simul justificationem obtineat.

ARTICULUS SECUNDUS.

AN FIDES EXISTAT IN HÆRETICO.

Hæresis est propositio veritati catholice directe et immediate opposita. Nomen sumit a verbo Græco *αἵρεσις*, *eligo*, quia hæreticus inter dogmata revelata et ab Ecclesia proposita quædam eligit, alia vero vel etiam unum rejicit. Si fidem penitus abjuraret, diceretur apostata.

Duplici modo aliquis potest esse hæreticus, videlicet materialiter et formaliter. Ille est hæreticus materialiter, qui bona fide dogma catholicum rejicit, persuasum habens illud non esse revelatum: ille vero est formaliter hæreticus qui, revelatione sufficienter cognita, dogma definitum pertinaciter negat.

Certum est hæresim materialem virtutem fidei non destruere: *id omnes fatentur*. Certum est, e contra, fidem non remanere in apostata. Tota igitur questio est an hæreticus formalis veram retineat fidem circa dogmata quæ non rejicit. Affirmant *Durandus*, *Estius* et quidam alii; cæteri communissime, post *S. Th. 2 2, q. 5, art. 3*, negant, cum quibus sit

PROPOSITIO.

Fides in hæretico formali remanere non potest.

Prob. Scriptura sacra, concilio Trident., testimonio S. Aug. et rationibus theologis.

1° *Scriptura sacra. I Tim. 1, 19, 20: Habens fidem et bonam conscientiam, quam quidem repellentes, circa fidem naufragaverunt; ex quibus est Hymenæus et Alexander.* Unde sic: *Hymenæus* et *Alexander* naufragaverunt circa fidem: illam igitur amiserunt. Attamen non omnes fidei articulos negabant, sed tantum resurrectionem cor-

porum, ut ex eodem Apostolo, II Tim. II, 17, constat. Ergo 1°.

2° *Concilio Tridentino*, sess. 6, cap. 15, ubi asseritur infidelitate ipsam fidem a mitti; at patres concilii ibi per infidelitatem non intelligunt negationem omnium articulorum fidei; satis enim videtur, in contextu, sermonem non esse de non baptizatis, nec de apostatis, sed de hæreticis. Ergo 2°.

3° *Testimonio S. Aug.* qui contra Faustum, l. 17, cap. 3, Manichæos alloquens, hæc habet: « Aperte dicite » non vos credere Christi Evangelio: nam qui in Evangelio quod vultis creditis, quod vultis non creditis, » vobis potius quam Evangelio creditis. » Ergo juxta S. Doctorem, qui inter dogmata revelata eligunt, fidem amittunt.

4° *Rationibus theologicis.* 1° Ille divinam non habet fidem qui non credit veritates quas retinet ob verum fidei motivum: at hæreticus non credit, etc., verum enim fidei motivum est summa Dei veracitas; sed hæreticus, qui, revelatione alicujus veritatis sufficienter sibi manifestata, eam tamen pertinaciter rejicit, alias ob veracitatem Dei non admittit, quia veracitas Dei non est magis infallibilis in uno articulo quam in alio. Res clarius fiet exemplo: qui viro gravi plura affirmanti non in omnibus, sed in quibusdam tantum crederet, eo ipso illum argueret mendacii aut erroris, nec velut omnimoda fide dignum haberet, sive illum directe contemneret, sive tantum irrationabiliter ei fidere negaret: ergo a fortiori, etc.

2° Vera fides, sicut charitas perfecta, debet esse ex toto corde et super omnia, secundum hæc verba S. Philip. in Act. VIII, 37: *Si credis ex toto corde, licet*; at fides hæretici non ex toto corde et super omnia, alioquin nullum articulum revelatum et sufficienter ei propositum negaret, sed omnia propter Ecclesiæ definitionem et Dei auctoritatem simplici fiducia æque firmiter crederet: ergo, sicut unicum peccatum mortale charitatem expellit foras, ita et unicus actus fidei oppositus eam destruit, sive ex natura rei, ut plurimi volunt, sive ex voluntario

Dei statuto, ut alii contendunt: ergo, etc. Ergo 3°, etc.; aliunde, etc. Ergo. Unde Suarez, Tract. de Fide, disp. 7, sec. 4, n. 2, hanc sententiam exponens, ait: « Est ita » certa conclusio, ut sine errore negari non possit. »

Dices 1°: Hæretici non negant fidem Deo revelanti adhibendam esse, sed arbitrantur articulos quos rejiciunt non fuisse revelatos: ergo verum fidei motivum non abjiciunt, nec ideo amittunt fidem.

R. Distinguo secundam partem antecedentis. Arbitrantur ex insufficientibus motivis articulos quos rejiciunt non fuisse revelatos, *conc.*; ex sufficientibus motivis, *nego ant.* Etenim hæretici ad tantam communiter non deveniunt impietatem, ut negent articulum quem arbitrantur fuisse revelatum, et scienter faciant Deum errori obnoxium vel mendacem; sed contra prudentiæ regulas, ex insufficientibus futilibusque motivis, negant eum locutum esse, aut in tali vel in tali sensu locutum esse; et sæpe rationem negationis ex obscuritate rei propositæ, ex contradictione sibi apparente repetunt, adeo ut propriam rationem vel potius obstinationem auctoritati Ecclesiæ anteponant. Porro qui sic agit, non solum Deo injuriam facit, sed fundamentum fidei evertit. Ergo.

Dices 2°: Sæpe hæretici firmiter adhærent veritatibus quas retinent et arbitrantur revelatas. Ergo.

R. Dist. ant. His veritatibus adhærent ex fide humana, ex facilitate eas credendi acquisita, vel ex alio principio vitiatum aut saltem imperfecto, *concedo*; ex virtute fidei divinitus infusa, *nego ant.* Etenim sæpe contingit hæreticos veritatibus quas retinent firmiter aut pertinaciter adhære; id non inficiamur: negamus tantum eos virtutem fidei supernaturalem retinere, et præsens objectio rationes a nobis allatas non eludit, nec attingit. Qua autem ratione nonnullas veritates credant hæretici explicare non tenemur. Alii dicunt eos credere ex fide humana, quia ex motivis credibilitatis judicant illas veritates fuisse revelatas; alii ex facilitate credendi per actus fidei acquisita, quæ cum virtute infusa non amittitur; alii ex

quodam ad Dei auctoritatem affectu etiam supernaturali, sed non pleno, quo intellectus Deo super omnia et in omnibus subjiatur, et quo solo vera habetur fides divina. Nos vero naturam istiusmodi hæreticorum adhesionis definire non intendentes, docemus tantum eos per abjectionem graviter peccaminosam unius dogmatis fidei catholice virtutem fidei amittere; si autem ad catholicam fidem redeant, eas veritates, quas retinuerant, vera fide incipiunt de novo credere, quia Deus virtutem fidei in eis infundit.

Ex dictis plurimi concludunt habitum theologiæ in hæretico non remanere; objectum enim formale assensus theologici, inquit, est connexio cum veritatibus revelatis: at illas veritates non credit hæreticus ob proprium fidei motivum. Ergo.

Sed ratiocinium istud nos non convincit; quia theologia, licet ex principiis supernaturalibus deducta, conatibus humanis acquiritur, et non est scientia simpliciter supernaturalis: ergo nec habitus ejus, ac proinde, amissa fide supernaturali, remanere posset.

ARTICULUS TERTIUS.

AN FIDES EXISTAT IN DÆMONIBUS ET DAMNATIS.

Durandus et pauci cum illo theologi opinati sunt fidem esse in dæmonibus qui, ex B. Jacob. II, 19, *credunt et contremiscunt*, ac in damnatis qui usque ad mortem eam habuerunt, sicut ex communi opinione remanet in eis character baptismi, ad æternam eorum confusionem.

Verum alii theologi communissime et certe docent fidem supernaturalem proprie dictam in dæmonibus et damnatis non remanere, et sequentibus nituntur argumentis. 1^o Fides, ex natura sua, ad beatitudinem æternam præcipue ordinatur; est enim *sperandarum substantia rerum*, ait Apostolus: at dæmones et damnati nihil sperare nec ad beatitudinem æternam tendere possunt. 2^o Fides piam supponit affectionem erga Deum, et desiderium

eum credendo honorandi; nihil tale autem est in dæmonibus vel in damnatis. 3^o Fides divina existere non potest sine gratia: at neque dæmones neque damnati habent gratiam. Ergo.

Dæmones tamen credunt et contremiscunt, sed ex fide improprie dicta, non vero ex fide divina et infusa: sua quippe sagacitate revelationis existentiam cognoscunt, saltem in pluribus articulis, et evidentiâ victi, credere necessitantur: vellent res ita non esse, v. g., Deum non existere, non esse justum et omnipotentem, eos in æternum non puniturum, etc.; ab his tamen credendis abstinere nequeunt: *credunt igitur et contremiscunt*, sed fide dæmoniaca et non fide christiana. Sic et damnati, propter easdem rationes, convictionem quam habuerunt in vita retinere possunt: plurima sibi valde odiosa, ut tormentorum suorum æternitatem, invincibiliter credunt; sed virtutem fidei non habent. Nec valet ratio ex conservatione characteris baptismi deducta, quia character est signaculum in anima impressum per se subsistens: virtus vero fidei ab influxu gratiæ et affectu erga Deum pendet; quibus sublatis, statim evanescit.

ARTICULUS QUARTUS.

AN FIDES REMANEAT IN BEATIS IN CÆLO ET IN ANIMABUS IN PURGATORIO RETENTIS.

Nonnulli antiqui theologi, cum Durando, æstimarunt fidem remanere in beatissimis in cælo regnantibus saltem quoad habitum, et probabiliter quoad actum. Sed alii generaliter negant de actu, et communius de habitu, his rationibus innixi. 1^o B. Paulus, I Cor. XIII, 9, ait: *Ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus; cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est; et 1^o 12: Videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte; tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum. Ex parte et imperfecte nunc cognoscimus, propter obscuritatem objecti*

tantum; hæc autem obscuritas tollitur in vita beata, juxta Apostolum, et omnia erunt aperta: ergo beati actus fidei elicere non poterunt. 2^o Hinc sequitur ipsum fidei habitum in eis non existere; admitti enim non potest habitus superfluus, nullum habens objectum; at talis esset habitus fidei in eis qui nullos actus hujus virtutis elicere possunt, et in hoc datur discrimen inter fidem et alias virtutes quæ in actus externos prodire non debent: hæc quippe animam ornant et perficiunt; non vero fides, quæ ex natura sua habet imperfectionem quoad objectum. Ergo.

Absolute tamen non repugnat Deum quasdam perfectiones vel aliquos perfectionis gradus revelare in cælo, et beatos ea propter infallibilem Dei auctoritatem credere. Ita Theologus Pict., qui advertit dici posse piam animi dispositionem credendi Deo, si exigeret, remanere in beatis.

Dubitari non potest quin beati in cælo perfecte scient futuram corporum resurrectionem, judicium generale venturum, suam beatitudinem fore æternam: at communius dicunt theologi eos has non scire veritates per fidem divinam sicut nos, sed illas in Deo videre intuitive. Nos ignorantiam nostram hic fatemur.

Generaliter docent theologi animas in purgatorio deventas divinam habere fidem; 1^o enim adhuc peregrinantur a Domino, vident per speculum et in ænigmate et nondum facie ad faciem; 2^o æternam beatitudinem expectant: fides autem est fundamentum spei. Ergo.

FINIS TRACTATUS DE FIDE.

TRACTATUS DE TRINITATE.

MYSTERIUM sanctissimæ Trinitatis est caput omnium religionis christianæ mysteriorum. In eo consistit quod in unico Deo tres sint personæ realiter distinctæ. Recte definitur: *Unicus Deus in tribus personis*; vel *tres personæ in unico Deo*, ut ex dicendis patebit. Unde dicitur una voce *Trinitas*, quæ vox primum reperitur apud Tertullianum adversus Praxeam, n^o 3 et 12, etc., et a theologis scholasticis explicatur *trium unitas*. Alii volunt hanc vocem tres personas tantum directe indicare. Vid. P. Petau, de Trin. lib. viii, cap. 9. « Sacramentum hoc » magnum est, et quidem venerandum, non scrutandum. » Quomodo pluralitas in unitate, et hac unitate, aut ipsa » in pluralitate? Scrutari hoc temeritas est, credere pietas est, nosse vita et vita æterna est. » S. Bern., de Consid. t. i. l. 5, cap. 8, p. 453.

Non igitur quærendum est quid tantum mysterium sit in se, sed quid Deus de illo revelaverit et Ecclesia definerit velut de fide credendum: itaque, sepositis cunctis disputationibus ad fidem non pertinentibus, paucis verbis de sublimi hac veritate in quinque capitibus disseremus. Primum erit de præcipuis erroribus qui circa hoc mysterium variis temporibus exstiterunt; secundum, de existentia hujus mysterii; tertium, de processionibus; quartum, de relationibus, notionibus et missionibus divinis, et quintum, de modo recte loquendi de sanctissima Trinitate.

tantum; hæc autem obscuritas tollitur in vita beata, juxta Apostolum, et omnia erunt aperta: ergo beati actus fidei elicere non poterunt. 2^o Hinc sequitur ipsum fidei habitum in eis non existere; admitti enim non potest habitus superfluus, nullum habens objectum; at talis esset habitus fidei in eis qui nullos actus hujus virtutis elicere possunt, et in hoc datur discrimen inter fidem et alias virtutes quæ in actus externos prodire non debent: hæc quippe animam ornant et perficiunt; non vero fides, quæ ex natura sua habet imperfectionem quoad objectum. Ergo.

Absolute tamen non repugnat Deum quasdam perfectiones vel aliquos perfectionis gradus revelare in cælo, et beatos ea propter infallibilem Dei auctoritatem credere. Ita Theologus Pict., qui advertit dici posse piam animi dispositionem credendi Deo, si exigeret, remanere in beatis.

Dubitari non potest quin beati in cælo perfecte scient futuram corporum resurrectionem, judicium generale venturum, suam beatitudinem fore æternam: at communius dicunt theologi eos has non scire veritates per fidem divinam sicut nos, sed illas in Deo videre intuitive. Nos ignorantiam nostram hic fatemur.

Generaliter docent theologi animas in purgatorio deventas divinam habere fidem; 1^o enim adhuc peregrinantur a Domino, vident per speculum et in ænigmate et nondum facie ad faciem; 2^o æternam beatitudinem expectant: fides autem est fundamentum spei. Ergo.

FINIS TRACTATUS DE FIDE.

TRACTATUS DE TRINITATE.

MYSTERIUM sanctissimæ Trinitatis est caput omnium religionis christianæ mysteriorum. In eo consistit quod in unico Deo tres sint personæ realiter distinctæ. Recte definitur: *Unicus Deus in tribus personis*; vel *tres personæ in unico Deo*, ut ex dicendis patebit. Unde dicitur una voce *Trinitas*, quæ vox primum reperitur apud Tertullianum adversus Praxeam, n^o 3 et 12, etc., et a theologis scholasticis explicatur *trium unitas*. Alii volunt hanc vocem tres personas tantum directe indicare. Vid. P. Petau, de Trin. lib. viii, cap. 9. « Sacramentum hoc » magnum est, et quidem venerandum, non scrutandum. » Quomodo pluralitas in unitate, et hac unitate, aut ipsa » in pluralitate? Scrutari hoc temeritas est, credere pietas est, nosse vita et vita æterna est. » S. Bern., de Consid. t. i. l. 5, cap. 8, p. 453.

Non igitur quærendum est quid tantum mysterium sit in se, sed quid Deus de illo revelaverit et Ecclesia definerit velut de fide credendum: itaque, sepositis cunctis disputationibus ad fidem non pertinentibus, paucis verbis de sublimi hac veritate in quinque capitibus disseremus. Primum erit de præcipuis erroribus qui circa hoc mysterium variis temporibus exstiterunt; secundum, de existentia hujus mysterii; tertium, de processionibus; quartum, de relationibus, notionibus et missionibus divinis, et quintum, de modo recte loquendi de sanctissima Trinitate.

CAPUT PRIMUM.

DE PRÆCIPUIS ERRORIBUS QUI CIRCA MYSTERIUM SANCTISSIMÆ TRINITATIS VARIIS TEMPORIBUS PRODIERUNT.

Hos errores historice tantum et breviter exposituri sumus, eosdem postea confutaturi, dogmata catholica illis opposita astruendo.

1° Simon Magus, primus hæresiarcha, impudenter asserens se esse Verbum Dei, pulchritudinem Dei, Paracletum, et etiam Omnipotentem, eo ipso mysterium sanctissimæ Trinitatis negabat. S. Iren. adversus Hæres. 1, 1, c. 23.

2° Valentinus, alter hæreticus in medio secundi sæculi existens, docuit Ens supremum esse unicum et ab ipso varia emanasse genia quæ vocabat *Eones*: sicque philosophiam Platonicam religioni christianæ accommodans, originem rerum per deliria explicare conabatur.

3° Cataphrygæ et deinde Praxeas, versus finem secundi sæculi, de quibus loquitur Tertullianus, lib. de Præscript., capitibus ultimis, dicebant Christum esse Filium et Patrem sicque distinctionem personarum tollebant.

4° Noetus Ephesinus vel Smyrnæus, in medio tertii sæculi, errores Praxeæ renovans, dicebat Christum eundem ipsum esse Patrem et Spiritum sanctum, ait S. Aug., de Hæres.

5° Sabellius, discipulus Noeti, juxta quosdam, referente S. Aug., loco citato, vel saltem paulo post ipsum dogmatizans, contendebat sicut unam in Deo dari essentiam, sic et unicam personam sub triplici nomine, Patris et Filii et Spiritus sancti, designatam.

6° Paulus Samosatenus, episcopus Antiochensis circa annum 262, mysteria religionis christianæ emolliens,

ut ea Zenobiæ facilius persuaderet, docuit et ipse unicam in Deo esse personam diversis nominibus insignitam. Damnatus fuit in concilio Antiocheno, anno 269, et episcopatu dejectus. Plures alii, ut Photinus, e Galatia oriundus, Priscillianistæ, etc., eosdem tenuerunt docueruntque errores.

Omnes hujusmodi hæretici vocati sunt *Patripassiani*, quia Patrem passum esse profitebantur.

7° Alii circa Trinitatem errarunt, vel substantiam divinam dividentes, ut Cerdoniani, Marcionitæ, Appellistæ et Manichæi, qui omnes duos admittebant Deos, unum bonum et alterum malum; vel divinitatem personarum negantes, ut Arius, presbyter Alexandrinus, qui errores Sabellii recenter damnatos volens devitare, et aliunde percipere non valens quomodo tres personæ omnino æquales in unica subsisterent essentia, græce *ὁμοία*, docuit solum Patrem esse æternum et increatum, Filium ab ipso ante omnia creatum, et Spiritum sanctum esse creaturam creaturæ, id est a Filio creatum fuisse. Damnatus est in primo concilio generali, anno 325 Nicææ celebrato. Discipuli ejus, vocati Ariani, valde multiplicati sunt, et universam Ecclesiam longo tempore vehementer quassarunt.

Inter eos distinguuntur 1° Aetiani, ab Aetio, et communius Eunomiani, ab Eunomio, Aetii discipulo, e Capadocia oriundo, ab Arianis facto episcopo, et anno 394 mortuo. « Eunomius, inquit S. Aug., lib. de Hæres., in » dialectica prævalens, acutius et celebris defendit hanc » hæresim, dissimilem per omnia Patri asserens Filium » et Filio Spiritum sanctum. » Unde Eunomiani sunt dicti etiam *Ἀνόμοιοι*, id est, dissimiles. 2° Semiariani, qui dicebant Filium similis essentiae esse cum Patre, non vero ejusdem, græce *ὁμοούσιον*, et non *ὁμούσιον*.

8° Macedonius, patriarcha Constantinopolitanus in medio quarti sæculi, de Patre et Filio recte sentiens, negavit Spiritum sanctum esse Deum, asserens illum esse meram creaturam donorum Dei ministrum. Ab episcopatu fuit depositus anno 381, in primo concilio Constan-

tinopolitano, generali II, in quo conditum est Symbolum intra Missam decantari solitum, cui postea adjecta est vox *Filioque*. Discipuli ejus vocati sunt Macedoniani.

9^o Joannes Philoponus, celebris grammaticus sexti sæculi, docebat tres personas in Deo communem et simul propriam habere naturam; sicut tres homines communem habent humanitatem, et tamen unusquisque propriam habet naturam seu substantiam: unde sequebatur tres esse Deos, et ideo hujus doctrinæ sectatores appellati sunt *Tritheistæ*.

10^o Joachimus, abbas Cisterciensis in fine duodecimi sæculi, asserebat Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum non natura, sed consensione voluntatum perfecte uniri, et unicum efficere Deum, fere sicut multi cives unum faciunt populum. In errorem Tritheistarum evidenter incidebat: doctrina ejus damnata est in concilio Lateranensi quarto, non vero ipsius persona, quia opera sua judicio Sedis Apostolicæ subjecerat. Eundem errorem penitus collapsum renovavit *Sherlock*, doctor Anglus, anno 1707 vita functus, cujus systema ab Universitate Oxoniensi reprobatur anno 1695.

11^o Circa medium decimi sexti sæculi, plures viri literati, in civitate Vicensi coadunati, de materiis religionis secum sæpe conferentes, arbitrati sunt Christianismum superstitionibus esse refertum et reformatione indigere. Statuerunt unicum esse Deum qui omnia, virtute Verbi sui, creavit ac gubernat, Christum esse prophetam in veteri Lege promissum ut mundum exemplis suis informaret, sed merum hominem, ante B. Virginem Mariam non exstantem; Spiritum sanctum Dei esse virtutem seu operationem. Solam admittendam esse Scripturam ratione interpretatam profitebantur; ideoque rejiciebant quidquid clare non percipiebant. Præcipuus inter eos fuit Lælius Socinus cui Faustus Socinus, nepos ejus, postea adjunctus est: hinc patroni hujus doctrinæ nuncupati sunt *Sociniani* et etiam *Unitarii* et *Antitrinitarii*, quia unicam in Deo volunt esse personam. Valde multiplicati sunt præsertim in Polonia et in

Germania. Aliter non sentiunt recentes Arfani inter reformatos iam numerosi, et ferme omnes hodierni Protestantæ multique ore tenus catholici, qui Christum esse Deum simpliciter confiteri erubescunt.

Eis adjungendi sunt quidam nostri temporis philosophi, qui Triinitatem in Deo ex sola ratione explicare volentes dicunt, ut D. Cousin: *Dieu est unité, variété et rapport de l'unité à la variété; ensemble il est infini, fini et rapport du fini à l'infini; unité qui se développe en triplicité, et triplicité qui se résout en unité, etc.*; vel ut Hegel: *Que les termes de Père, de Fils et de Saint-Esprit représentent l'infini, le fini et l'union de tous les deux, etc.*

A fortiori his sociandi sunt cuncti pantheistæ naturam Dei impie deturpantes.

Errant etiam circa Trinitatem Græci schismatici, Ecclesiam Romanam redarguentes propter additionem vocis *Filioque* Symbolo Nicæno insertam, et docentes Spiritum sanctum a Filio non procedere, sed tantum a Patre.

Cunctos hujusmodi errores in decursu præsentis Tractatus refellemus, dogmata catholica eisdem opposita stabiliendo.

CAPUT SECUNDUM.

DE EXISTENTIA TRINITATIS.

Probatum est in philosophia, ex multis Scripturæ sacræ locis constat, et ab omnibus conceditur unicum esse Deum: admittendum est igitur mysterium sanctissimæ Trinitatis, si 1^o tres sint personæ in Deo realiter distinctæ, et 2^o unaquæque persona sit Deus. Porro utrumque in duplici articulo demonstrabimus.

tinopolitano, generali II, in quo conditum est Symbolum intra Missam decantari solitum, cui postea adjecta est vox *Filioque*. Discipuli ejus vocati sunt Macedoniani.

9^o Joannes Philoponus, celebris grammaticus sexti sæculi, docebat tres personas in Deo communem et simul propriam habere naturam; sicut tres homines communem habent humanitatem, et tamen unusquisque propriam habet naturam seu substantiam: unde sequebatur tres esse Deos, et ideo hujus doctrinæ sectatores appellati sunt *Tritheistæ*.

10^o Joachimus, abbas Cisterciensis in fine duodecimi sæculi, asserebat Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum non natura, sed consensione voluntatum perfecte uniri, et unicum efficere Deum, fere sicut multi cives unum faciunt populum. In errorem Tritheistarum evidenter incidebat: doctrina ejus damnata est in concilio Lateranensi quarto, non vero ipsius persona, quia opera sua judicio Sedis Apostolicæ subjecerat. Eundem errorem penitus collapsum renovavit *Sherlock*, doctor Anglus, anno 1707 vita functus, cujus systema ab Universitate Oxoniensi reprobatur anno 1695.

11^o Circa medium decimi sexti sæculi, plures viri literati, in civitate Vicensi coadunati, de materiis religionis secum sæpe conferentes, arbitrati sunt Christianismum superstitionibus esse refertum et reformatione indigere. Statuerunt unicum esse Deum qui omnia, virtute Verbi sui, creavit ac gubernat, Christum esse prophetam in veteri Lege promissum ut mundum exemplis suis informaret, sed merum hominem, ante B. Virginem Mariam non exstantem; Spiritum sanctum Dei esse virtutem seu operationem. Solam admittendam esse Scripturam ratione interpretatam profitebantur; ideoque rejiciebant quidquid clare non percipiebant. Præcipuus inter eos fuit Lælius Socinus cui Faustus Socinus, nepos ejus, postea adjunctus est: hinc patroni hujus doctrinæ nuncupati sunt *Sociniani* et etiam *Unitarii* et *Antitrinitarii*, quia unicam in Deo volunt esse personam. Valde multiplicati sunt præsertim in Polonia et in

Germania. Aliter non sentiunt recentes Arfani inter reformatos iam numerosi, et ferme omnes hodierni Protestantæ multique ore tenus catholici, qui Christum esse Deum simpliciter confiteri erubescunt.

Eis adjungendi sunt quidam nostri temporis philosophi, qui Triinitatem in Deo ex sola ratione explicare volentes dicunt, ut D. Cousin: *Dieu est unité, variété et rapport de l'unité à la variété; ensemble il est infini, fini et rapport du fini à l'infini; unité qui se développe en triplicité, et triplicité qui se résout en unité, etc.*; vel ut Hegel: *Que les termes de Père, de Fils et de Saint-Esprit représentent l'infini, le fini et l'union de tous les deux, etc.*

A fortiori his sociandi sunt cuncti pantheistæ naturam Dei impie deturpantes.

Errant etiam circa Trinitatem Græci schismatici, Ecclesiam Romanam redarguentes propter additionem vocis *Filioque* Symbolo Nicæno insertam, et docentes Spiritum sanctum a Filio non procedere, sed tantum a Patre.

Cunctos hujusmodi errores in decursu præsentis Tractatus refellemus, dogmata catholica eisdem opposita stabiliendo.

CAPUT SECUNDUM.

DE EXISTENTIA TRINITATIS.

Probatum est in philosophia, ex multis Scripturæ sacræ locis constat, et ab omnibus conceditur unicum esse Deum: admittendum est igitur mysterium sanctissimæ Trinitatis, si 1^o tres sint personæ in Deo realiter distinctæ, et 2^o unaquæque persona sit Deus. Porro utrumque in duplici articulo demonstrabimus.

ARTICULUS PRIMUS.

DE DISTINCTIONE PERSONARUM IN DEO.

Plurima hic notare juvat.

1^o Substantia in genere, græce *ὄντα*, est ens in se subsistens, seu non indigens subjecto cui inhæreat, ut homo, lapis, domus, etc. Eodem sensu theologi sæpe aliam usurpant vocem, nempe naturam: unde substantia et natura in Deo idem significant.

2^o Nomine *personæ*, græce *ὑπόστασις*, intelligitur substantia intelligens, singularis et completa. 1^o *Substantia*, id est ens per se subsistens, non vero modus. 2^o *Intelligens*; substantiæ enim ratione destitutæ et completæ, ut equus, lapis, etc., sunt *supposita*, nunquam vero dicuntur personæ. 3^o *Completa*, id est totum efficiens, non vero partem alicujus entis: hinc mens humana, licet sit substantia, non est persona, quia unitur corpori et est pars hominis; separata vero a corpore, erit persona, quia efficiet totum.

Quæstio est igitur an realiter tres existant personæ divinæ, eandem habentes naturam seu substantiam.

3^o Vox *Trinitas* non invenitur in Scriptura, nec in ea alicubi legitur de verbo ad verbum unicam in Deo esse naturam vel substantiam, et tres in ea personas realiter distinctas. Illæ quippe voces prius ignotæ, a Patribus secundi sæculi aliisque Ecclesiæ doctoribus usurpatæ sunt ut genuinus Scripturæ sensus adversus hæreticos assignaretur, atque vera fides integra servaretur.

4^o Mysterium in eo consistit quod mens non percipiat quo modo tres personæ inveniantur in uno Deo.

His notatis, sit

PROPOSITIO.

Tres sunt personæ in Deo realiter distinctæ, Pater, Filius et Spiritus sanctus. Hæc propositio est contra Sabelianos et Socinianos.

Hæc propositio est de fide catholica, ut pote definita in tribus Symbolis, Apostolorum scilicet, Constantinopolitano et S. Athanasii in quo dicitur: « Fides catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur, neque confundentes personas, neque substantiam separantes: alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti; sed Patris, et Filii, et Spiritus sancti una est divinitas, æqualis gloria, cœterna majestas. »

*Probat*ur insuper Scriptura sacra, SS. Patrum testimoniis, præscriptione et praxi Ecclesiæ.

1^o *Scriptura sacra*. Joan. xiv, 16: *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclætum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum*; et xv, 26: *Cum autem venerit Paraclætus quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me*. At in his textibus videmus Patrem qui rogatur, Filium qui rogat, Spiritum sanctum qui mittitur: ergo revera tres sunt personæ in Deo.

Matth. xxviii, 19: *Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*. Unde sic: Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, sunt tres personæ, vel tres qualitates, ut volebant Sabeliani; at dici non potest esse qualitates: ridiculum quippe foret baptizare in nomine qualitatum, sicut delegatus a principe tribus nominibus, v. g., Petri, Pauli et Joannis, insignito, stulte diceret se loqui in nomine Petri et Pauli et Joannis. Ergo.

1^o Joan. v, 7: *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum et Spiritus sanctus; et hi tres unum sunt*. Nihil expressius desiderari potest: tres numerantur tes-

tes; tres autem non essent testes, si tres non existerent personæ. Ergo.

In multis aliis Scripturæ textibus distinguitur Pater et Filius; v. g., Ps. II, 6: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu; ego hodie genui te*; Joan. I, 14: *Gloriam quasi unigeniti a Patre*; ibid. III, 16: *Ut Filium suum unigenitum daret*; ibid. XVI, 28: *Exivi a Patre*; I Joan. V, 20: *Ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus*, etc. Porro ubi est Pater et Filius, certe duæ sunt personæ distinctæ; nullus quippe dicitur filius nisi sit persona ab altera in similitudinem naturæ procedens. Ergo.

Similiter Spiritus sanctus est persona distincta; legitur enim apud Luc. III, 21 et 22: *Jesu baptizato et orante, apertum est cælum, et descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum*. Solius personæ, non vero meræ qualitatis est formam sic induere. In variis Scripturæ sacra locis tribuuntur Spiritui sancto actiones quæ evidenter denotant personam: v. g., I, loqui, docere, futura prædicere, ut apud Joan. XVI, 13: *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem; non loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet loquetur, et quæ ventura sunt annuntiabit vobis*. 2º Testimonium reddere, Joan. XV, 26: *Cum autem venerit Paracletus... testimonium perhibebit de me*. 3º Intelligere profunda Dei, I Cor. II, 10: *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei*. 4º Aliquid præcipere, ut Act. XIII, 2: *Dixit illis Spiritus sanctus*, etc. 5º Dona gratiarum prout vult distribuere, I Cor. XII, 11, etc. Porro hæc omnia soli personæ tribui possunt: ergo, etc. Ergo 1º.

2º *SS. Patrum testimoniis*. Jam unum textum S. Bernardi retulimus; Sociniani concedunt omnes Patres concilio Nicæno posteriores nobis consentire: sola igitur quærenda sunt testimonia Patrum qui ante illud concilium scripserunt.

S. Justinus, Apologia I ad Antoninum Pium, n. 6, loquens de Deo vero, ait: « Eum, et Filium qui ab eo venit... et Spiritum propheticum colimus et adoramus. »

Tertullianus, lib. adversus Praxeam, cap. 2, Patripassianos redarguens, ait: « Et nihilominus custodiatur » œconomia sacramentum, quæ unitatem in trinitatem » disponit, tres dirigens, Patrem, et Filium, et Spiritum » sanctum; tres autem, non statu, sed gradu, non substantia, sed forma. » Ergo illi Patres tres habebant personas in Deo.

Et vero Patripassiani objiciebant catholicis quod tres colerent Deos; certe si Ecclesiæ doctores persuasum habuissent tres in Deo non esse personas, calumniam efficaciter repulissent, asserendo Filium et Spiritum sanctum esse tantum qualitates unius Dei, vel nomina diversa: id tamen non fecerunt. Ergo 2º.

3º *Præscriptione*. Constat ex Symbolis Nicæno et Constantinopolitano, idque fatentur Sociniani creditum fuisse in initio quarti sæculi tres esse personas in Deo: ergo illud mysterium ab ipsis Apostolis semper creditum fuit; vel enim res ita se habet, vel mysterium istud fuit excogitatum et ab omnibus ecclesiis adoptatum: porro talis innovatio impossibilis fuit, tum propter vigilantiam Episcoporum eorumque sollicitudinem in reprimenda omni novitate doctrinæ, tum quia illius aliquid existeret vestigium. Præterea sæpe martyres distinctionem personarum in Deo coram iudicibus ac tortoribus aperte confessi sunt. Ergo 3º.

4º *Praxi Ecclesiæ*. Omnibus retro sæculis ubique in Ecclesia tres invocatae sunt personæ in Deo; in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti baptizatur, cætera sacramenta administrantur, cæremoniæ ecclesiasticæ incipiuntur et terminantur; fideles sanctissimam Trinitatem semper invocant: praxis igitur totius Ecclesiæ est publica fidei mysterio SS. Trinitatis professio. Ergo. Videatur recens et eximium opus DD. *Ginouilhac*, Episc. Gratianop., *Histoire du dogme cathol.*, etc., t. I.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1º. Apud Joan. X, 30, Christus ait: *Ego et Pater unum sumus*; et XVI, 15: *Omnia quæ Pater habet, mea*

sunt. Ergo nulla est distinctio personalis inter Patrem et Filium.

R. Nego conseq. Textus enim allati probant quidem unitatem substantiæ, sed non destruunt distinctionem personarum; imo eam evidenter supponunt: ubi enim est Pater et Filius, ibi est distinctio personarum. Unde illi textus optime explicantur in sensu nostro, secus vero contradictionem involverent. Ergo.

Obj. 2^o. In Scripturis sæpe actiones tribuuntur rebus inanimatis, v. g., I Cor. XIII, 4, dicitur de charitate: *Non æmulatur, non agit perperam, non quærit quæ sua sunt.* Ergo ex eo quod actiones tribuantur Spiritui sancto, non sequitur illum esse personam distinctam.

R. Nego consequentiam et paritatem. Rationes disparitatis sunt: 1^o quod multa tribuantur Spiritui sancto quæ rebus inanimatis nunquam tributæ sunt, ut velle, intelligere, præcipere, nec etiam figurative tribui possent; quis, v. g., de charitate dicere posset, sicut de Spiritu sancto dictum est, Act. x, 19, 20: *Dixit ei (Petro): Ecce viri tres quærent te. Surge itaque, descende, et vade cum eis nihil dubitans: quia ego misi illos?* 2^o Quod si actiones quandoque per figuram rebus inanimatis tribuantur, in cæteris res illæ exhibentur ut inanimatæ; dum Spiritus sanctus communius describitur ut persona. 3^o Quod ubi de rebus inanimatis agitur, facile percipitur ex subjecta materia et ex adjunctis ibi adesse figuram, v. g., quando legitur: *Lex dicit, Lex præcipit, Caritas non æmulatur, etc.*; at in locis Scripturæ in quibus actiones tribuuntur Spiritui sancto, nihil ostendit adesse figuram; imo pleræque locutiones figuram excludunt, ut istæ: *Non loquetur a semetipso, sed quæ audiet loquetur; docebit vos omnem veritatem, etc.* Ergo.

Obj. 3^o. Spiritus sanctus dicitur donum Dei; in ipso baptizari debemus, juxta hæc verba sancti Joannis Baptistæ, Marc. i, 8: *Ego baptizavi vos aqua: ille vero baptizabit vos Spiritu sancto.* At persona dici non potest donum, nec in persona baptizari, id est abluui, possumus. Ergo.

Nego min. Nam 1^o Sociniani fatentur Christum esse personam, nec tamen negant illum esse donum Dei: ergo nihil vetat quin Spiritus sanctus, licet vere persona, vocetur donum; non quidem donum accidentale, ut gratia, sed donum in se subsistens. 2^o Rectissime dicitur nos baptizari seu abluui in Spiritu sancto, id est, per gratiam celestem quam Spiritus sanctus infundit in nos. Ergo.

Eodem sensu legitur in Act. II, 4, Apostolos repletos fuisse Spiritu sancto, id est, operatione Spiritus sancti in eis habitantis eosque sanctificantis: hæc aliaque similia minime ostendunt Spiritum sanctum non esse personam.

Obj. 4^o. Textus I Joan., *Tres sunt qui testimonium, etc.*, rejiciendus est ut apocryphus; 1^o quia in veteribus manuscriptis, tum græcis, tum latinis, non invenitur; 2^o quia veteres Patres, adversus Sabellianos, Arianos et Macedonianos decertantes, illo nunquam usi sunt: illum tamen certe non omisissent; ergo. Ita Sociniani et Joannes Clericus, inter Protestantes; Erasmus et Richardus Simon, inter Catholicos.

R. Nego ant. et contendo præfatum textum esse authenticum, idque ob varias rationes. 1^o Ille textus invenitur ut genuinus in cunctis exemplaribus Novi Testamenti, non solum apud Catholicos, sed apud Protestantes et schismaticos Græcos nunc usitatis, et in versione Armeniaca: ergo non fuit insertus a tempore quo illæ Ecclesiæ sunt divisæ; et si quandoque fuit adjectus, quomodo tanta facta est omnium Ecclesiarum consensus? 2^o Fere cuncti recentiores critici, viri doctissimi, sive catholici sive hæretici, multis compulsis exemplaribus etiam vetustissimis, consenserunt præfatum textum esse authenticum, et codices in quibus deest esse mendosos, ut videre est apud continuatorem Estii, Calmet et Vence, speciali dissertatione, art. 2. Notant laudatum versiculum ab aliquo scriptore ex inadvertentia omitti potuisse, et tunc alios scriptores exemplari vitiato utentes, eandem omissionem transmitttere debuisse; contra vero, additionem fieri non potuisse nisi ex malitia; facile adverti et statim rejici de-

buisse. 3° Si plures Patres eundem textum ignorasse videantur, id forte est quia ipsorum opera ad nos integra non venerunt, vel quia exemplari mutilato usi sunt: alii non pauci eum citant vel evidenter supponunt genuinum, ut antiquus auctor sub nomine S. Athanasii, S. Cyprianus, de Unitate Ecclesiæ: « De Patre, et Filio, et Spiritu sancto scriptum est: *Et hi tres unum sunt.* » S. Fulgentius hunc S. Cypriani textum, adversus Arianos disputans, citat: atqui nemo non videt formale horum et multorum aliorum Patrum testimonium silentio aliorum multo præstare. *Un passage positif vaut mieux tout seul que cent omissions*, inquit Bossuet. 4° Idem probat contextus; versiculus enim octavus, *Et tres sunt qui testimonium dant in terra*, etc., versiculum septimum manifeste supponit; secus enim quid significaret conjunctio et? et quis esset sensus totius versiculi? Ergo.

Inst. Illa verba, *Et hi tres unum sunt*, eodem sensu intelligenda sunt in versu septimo ac in octavo: sed in octavo intelliguntur de unitate testimonii: ergo et in septimo.

R. Nego maj. Nam 1° aperte videtur tres qui in versu octavo numerantur, spiritum, aquam et sanguinem, non esse unum ratione substantiæ: hæc igitur verba, *Et hi tres unum sunt*, sensu metaphórico intelligenda sunt, de unitate scilicet testimonii: at nihil obstat tres versiculi septimi, nempe Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, unam esse substantiam, sicut tota traditio intellexit: ergo verba, *Et hi tres unum sunt*, litteraliter accipi debent. 2° Verba versiculi octavi nobis objecta, *Et hi tres unum sunt*, sic exprimuntur in textu græco, *Et hi tres in unum sunt*, id est, in unum testimonium conspirant. 3° Hæc verba in multis codicibus, tum græcis, tum latinis, desunt, et plures suspicantur ea textui fuisse addita, sive Arianorum fraude, sive Scribarum incuria, ut arbitratur Grotius. 4° Omnes Scripturæ sacræ interpretes verba versus octavi sensu metaphórico, et verba versus septimi sensu litterali accipienda esse putant: ergo temere aliter sentiunt Sociniani. Ergo.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE DIVINITATE UNIUSCUIUSQUE PERSONÆ SANCTISSIMÆ TRINITATIS.

Certum est de fide catholica tenendum Patrem esse Deum, ut ex tribus Symbolis et omnium consensione patet: si qua enim persona Trinitatis sit Deus, maxime Pater: at negari non potest saltem unam personam Trinitatis esse Deum. Ergo. Restat igitur ut in duplici propositione demonstremus Filium esse Deum, et item Spiritum sanctum.

PROPOSITIO PRIMA.

Filius est Deus, Patri consubstantialis. Est contra Arianos et Semiarianos.

Prob. Illud procul dubio tenendum est ut inconcussum quod est de fide catholica, probatur Scriptura sacra, traditione, præscriptione et ratione theologica: atqui talis est propositio nostra.

1° *Est de fide catholica.* Clare enim continetur in tribus Symbolis fidei, et velut dogma fundamentale totius religionis christianæ ab omnibus catholicis habetur. 2° *Prob. Scriptura sacra.* Quædam tantum, brevitate causa, seligimus testimonia ex innumeris quæ citari possent.

Isai. ix, 6: *Parvulus natus est nobis... et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis...* Hæc verba ex omnium consensu spectant ad Messiam, seu Filium Dei: atqui probant illum esse Deum; vocatur enim simpliciter Deus, et attributa divinitatis ipsi tribuuntur: ergo.

Joan. i, 1: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum... Omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil quod factum est.* Unde

sic : Verbum erat in principio ; ergo Patri est coæternum ; erat apud Deum, id est Patri consubstantiale ; simpliciter dicitur Deus, per ipsum omnia facta sunt : certe clarius exprimi non poterat illum vere esse Deum.

Joan. x, 30 : *Ego et Pater unum sumus*; et xiv, 9 : *Philippe, qui videt me, videt et Patrem. Ego et Pater*, en distinctio personarum; *unum sumus*, indicat substantiæ unitatem, proindeque divinitatem Filii : quod Judæi optime intellexerunt, cum illum lapidare voluerint propter blasphemiam, dicentes : *Tu homo cum sis, facis teipsum Deum*. Unde S. Ambros., de Spiritu sancto, l. 3, c. 16, ait : « Cum enim dicit *Ego et Pater*, revelatur » æqualitas; cum dicit *unum sumus*, unitas declaratur. » Æqualitas confusionem excludit, unitas separationem. » Æqualitas Patrem Filiumque distinguit; unitas Patrem » Filiumque non separat. »

I Joan. v, 20 : *Filius Dei venit et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus et vita æterna*. Hæc verba, *Hic est verus Deus*, ad Filium referenda sunt, non vero ad Patrem, ut somniarunt Sociniani : alioquin sensum exprimerent absurdum, scilicet, Patrem verum Deum, esse verum Deum. Ergo.

Philip. ii, 6 : *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo*. Si vere non fuisset Deus, non semetipsum exinanivisset, non tantum in similitudine et habitu, sed realiter inventus esset homo : ergo, etc. Ergo 1º probatur ex Scriptura sacra, etc. Multa alia similia omittimus.

2º *Traditione*. Fatentur adversarii sibi contrarios esse cunctos Patres qui post concilium Nicænum, anno 325 celebratum, scripserunt : videamus ergo quid Patres trium primorum sæculorum circa hoc punctum senserint.

S. Justinus, Apol. I, n. 63 : *Qui cum Verbum sit primogenitum Dei, Deus etiam est*. In Dialogo cum Try-

phone, n° 53 et seq., probat, præter Creatorem universorum, alium admittendum esse Deum, nempe Christum. Athenagoras, in Apologia pro Christianis, anno 177 imperatori Marco Aurelio et filio ejus Commodo præsentata, ait, n. 10 : « Quis igitur non miretur, cum » atheos vocari audiat eos qui Deum Patrem, et Filium » Deum, et Spiritum sanctum asserunt, ac eorum et in » unione potentiam, et in ordine distinctionem demons- » trant? »

S. Theophilus, ad Autolyceum, l. 2, n. 22 : « Verbum » igitur, *inquit*, cum Deus sit et ex Deo genitum, illud » Pater universorum, cum ita visum fuerit, mittit. »

Origenes contra Celsum, lib. 3, n. 41 : « Sciant isti » criminatores hunc Jesum, quem ab initio Deum Deique » Filium credimus, eum esse Verbum ipsum, veritatem » ipsam, sapientiam ipsam. »

S. Cyprianus, lib. de Idolorum vanitate : « Hic (Filius » Dei) in virginem illabatur, carnem Spiritu sancto coo- » perante induit, Deus cum homine miscetur. Hic Deus » noster, hic Christus est, qui mediator duorum, homi- » nem induit, quem perducit ad Patrem. » Hæc sane sufficiunt ad probandum quid Patres trium primorum sæculorum senserint circa Verbi divinitatem. Ergo 3º.

3º *Præscriptione*. Constat 318 patres concilii Nicæni, ex omnibus Ecclesiæ catholice locis coadunatos, Filium esse Deum Patri consubstantialem docuisse : ergo tunc universa Ecclesia dogma illud tenebat. Porro inde concludendum est illud ab Apostolis sic creditum fuisse; vel enim res ita se habet, vel dogma istud decursu temporis fuit introductum : at posterius dici non potest. Nam 1º mutatio dogmatis adeo essentialis impossibilis fuit, propter vigilantiam episcoporum qui adversus minimas novitates statim reclamabant; 2º aliqua hujus mutationis vestigia remanere deberent, et nulla tamen inveniuntur; 3º dogma illud concordat textibus Patrum et sententiis Apostolorum jam relatis. Ergo.

4º *Ratione theologica*. Quando enim Christus in terris apparuit, a quatuor annorum millibus erat expectatus

et gentibus desideratus ut hominum Salvator et mundi Reparator, magnificis Prophetarum oraculis fuerat prænuntiatus; a tempore quo cœpit prædicare, illimitatam manifestavit potestatem; subjectam sibi esse naturam probavit, ægrotos sanando, mortuos suscitando, ventis et mari imperando, ita ut exclamarent turbæ mirantes, Matth. ix, 33 : *Nunquam apparuit sic in Israel.* Si Deus non esset, populos præmunire debuisset contra persuasionem in quam naturaliter incidebant de divinitate ejus, et confiteri, exemplo Joannis, se purum esse hominem : atqui, nedum hoc fecerit, e contra, se unum esse cum Patre professus est; Judæos ipsi exprobrantes quod se Filium Dei faceret, non reprehendit, imo clare affirmavit se talem esse, dicens ad principem sacerdotum hoc expresse quærentem : *Tu dixisti.* Matth. xxvi, 63 et 64. Dixit se lucem esse mundi, se sapientiam et ipsam veritatem, se prius esse quam Abraham fieret; omnimodam potestatem sibi arrogavit in cœlo et in terra; voluit homines ipsum glorificare, sicut glorificant Patrem; misit Apostolos in mundum universum ut eadem prædicarent : hi annuntiarunt Christum Filium Dei esse unicum, ante omnia genitum, per quem omnia facta sunt; ante ipsum omne genu flectendum esse in cœlis, in terra et in inferno. Unde si Christus non est Deus, potestate sua abusus est ad decipiendos homines et usurpandos honores divinos; Judæi merito illum velut impostorem et blasphemum crucifixerunt, quia, cum homo esset, se Filium Dei proprium fecit, et scandalum fuit gentibus, quarum idololatriam mutavit, sed non destruxit, quinimo Deus hæc omnia veris prodigiis confirmavit : atqui Sociniani et Ariani hæc consecraria non admittunt; ergo 4^o; aliunde, etc... Ergo. Vide P. Petau, de Trinitate, lib. ii; Witsasse, de Trin., quæst. vi, art. ii; Abbadiæ, *Traité de la Divinité de J.-C.*; Massillon, *sermon de la Divinité de J.-C., pour la Circoncision*, et præsertim eximium opus jam citatum : *Hist. du dogme cath.*

Solvuntur objectiones.

Obj. 1^o. Joan. xvii, 3, sic Christus Patrem alloquitur : *Hæc est vita æterna ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti, Jesum Christum* : in hoc textu Pater dicitur solus Deus : ergo Filius non est Deus.

R. Dist. min. Pater dicitur solus Deus, per exclusionem idolorum, *conc.*; per exclusionem Filii et Spiritus sancti, *nego min.* Ibi enim agitur de conversione gentium ad Deum : debent ergo gentes idola derelinquere, ut soli Deo vero Patri et Filio ejus Jesu Christo adhæreant : ergo nihil ostendit Filium unum non esse Deum cum Patre; nam Pater, et Filius, et Spiritus sanctus non tres sunt dii, sed unicus Deus qui cognoscendus est ut vita æterna obtineatur. Eodem sensu dicitur, Act. xvi, 31, fidem in Dominum Jesum necessariam esse ad salutem, quamvis fides in Patrem non minus necessaria sit, quia Pater et Filius unicum efficiunt Deum. Ergo.

Obj. 2^o. Joan. xiv, 28 : *Pater major me est*, inquit Christus : ergo Filius non est vere Deus.

R. Dist. textum : Pater major me est, quatenus sum homo, *conc.*; secus, *nego.* Etenim de fide est Christum esse simul Deum et hominem : ut Deus, Patri est similis et æqualis; sed ut homo, Patre revera est inferior : porro ibi de humanitate sua loquitur : *Si diligeretis me*, inquit, *gauderetis utique, quia vado ad Patrem* : non ibat ad Patrem ut Deus, sed ut homo. Ergo.

Eadem distinctione plures alii Scripturæ sacræ textus explicantur, v. g., Joan. vi, 30 : *Descendi de cœlis, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me*; ibid. xv, 15 : *Quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis*, etc.

Obj. 3^o. Joan. x, 34, Christus dixit se eo sensu Deum esse quo judices olim dicti sunt dii, id est figurative. Ergo.

R. Nego ant. Ibi enim Christus respondens Judæis eum de blasphemia accusantibus, quia cum homo esset, se

faceret Deum, dicit : *Nonne scriptum est in lege vestra, quia ego dixi : Dii estis?* etc. Sensus est : Si iudices ab ipso Deo vocati sunt dii, ne scandalizemini quia dixi, *Filius Dei sum*. Considerate si merito hoc nomen assumo : *operibus credite*. Nedum inficietur ergo se vere esse Deum, subjungit, v, 38 : *Pater in me est, et ego in Patre*. Ergo.

Obj. 4^a. Christus dixit, apud Lucam, xviii, 19, euidam principi eum vocanti magistrum bonum : *Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi solus Deus*. Ergo negavit se esse Deum.

R. Nego conseq. Christus probat, e contra, esse Deum ; contradictionem enim exprobrat principi eum vocanti bonum, et tamen ut Deum non agnoscenti, quasi diceret : Tu me dicis bonum : agnosce ergo me esse Deum, quia *nemo bonus, nisi solus Deus*. « Recte me appellabis bonum, inquit S. Aug., *Contra Maximianum*, lib. 2, » cap. 23, n. 5, si me noveris Deum. Nam quando me » nihil aliud quam hominem putas, quid me dicis bonum?

» Quærebat quippe ille cui hoc respondit Jesus, non » bonum qualecumque, sed bonum quo fieret beatus : » imo ipsam beatitudinem veram, id est, vitam desiderabat æternam, et interpellaverat tanquam hominem » Christum, nesciens eum esse etiam Deum. » *Ibid.* Ergo.

Obj. 5^a. Marc. xiii, 32 : *De die autem illo vel hora (iudicii) nemo scit, neque angelus in cælo, neque Filius, nisi Pater* : ergo Filius non est Deus.

R. Dist. ant. Nemo scit, neque Filius ad manifestandum, *concedo* ; secus, *nego*. Etenim ipse Filius venturus est iudicare vivos et mortuos, ipse prænuntiat et describit circumstantias ultimi iudicii : igitur diem et horam ejus cognoscit, sed hæc manifestare non debet, et sub hoc respectu se ea ignorare dicit. Vide *Bossuet* verba nobis objecta specialiter explicantem, *Méditations sur l'Évangile*, 77, 78 et 79^e jour.

Plures sunt aliæ objectiones ex Scriptura sacra depromptæ, quæ facile solvantur si attendatur Christum

esse simul Deum et hominem : v. g., *Sedere ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo*, Matth. xx, 23 : *Cum autem subjecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subjectus erit ei qui subiecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus*, I Cor. xv, 28, etc.

Ut autem difficultates ex sanctis Patribus a Socinianis excerptæ diluantur vel potius evanescant, notandum est sanctos doctores ante exortam Arii impietatem scribentes, fere omnes Christum vocavisse Deum, vel proprietates soli Deo convenientes ei tribuisse : si quid ergo minus correctum ipsis aliquando exciderit, id benigne ex aliis testimoniis positivis interpretandum est ; modus enim loquendi de altissimis religionis christianæ mysteriis nondum erat determinatus ad hanc præcisionem quam Ecclesia servari jussit, ut vera fides a cavillationibus hæreticorum vindicata, in tuto semper esset. Hinc antiqui verbis et locutionibus usi sunt quæ jam usurpari nequeunt : *Securi loquebantur*, inquit S. Aug., *quia nullus erat hostis*.

Insuper sequentes attendendæ sunt notiones : 1^o Pater est principium a nullo procedens ; Filius vero a Patre procedit ; 2^o Pater est invisibilis, inaccessibleis ; Filius, caro factus, est visibilis et sub hoc respectu minor Patre.

PROPOSITIO SECUNDA.

Spiritus sanctus est Deus Patri et Filio consubstantialis.
Est contra Macedonianos. ®

Hæc propositio est de fide catholica, ut pote definita in concilio Constantinopol., adversus Macedonianos, et in aliis Symbolis fidei expressa.

Prob. 1^o Scriptura sacra. Isai. vi, 8 et 9 : *Audivi vocem Domini* (hebraice Jehova) *dicentis : Quem mittam ? et quis ibit nobis ? Et dixi : Ecce ego, mitte me. Et dixit : Vade, et dices populo huic : Audite audientes, et nolite intelligere ; et videte visionem, et nolite cognoscere*. B. Pau-

lus hæc verba referens, in Act. xxviii, 25, ait : *Bene Spiritus sanctus locutus est per Isaiam prophetam ad patres nostros, dicens : Vade ad populum istum et dic ad eos : Aure audietis, et non intelligetis...* Unde sic : Qui ab Apostolo vocatur Spiritus sanctus, idem est ac *Jehova* apud Isaiam memoratus : ergo est Deus. Act. v, 3, B. Petrus dicit Ananiæ : *Cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto... non es mentitus hominibus, sed Deo* : ergo Spiritus sanctus est Deus. Neque dici potest Ananiam mentitum esse simul Spiritui sancto et Deo, sicut somniarunt Sociniani ; sensus enim naturalis textus hanc interpretationem evidenter non admittit. Ergo. I Cor. xii, 6 et 11 : *Divisiones operationum sunt, idem vero Deus qui operatur omnia in omnibus... Hæc autem qui operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult. Spiritus qui dividit singulis est ipse Deus qui operatur omnia in omnibus.* Ergo.

Eadem Epist. I Cor. iii, 16 : *Nescitis quia templum Dei estis et Spiritus Dei habitat in vobis ? Solus Deus potest habere templum* : ergo, etc. Ergo 1°.

Prob. 2° ex SS. Patribus. Athenagoras in legatione pro Christianis, n. 24 : « Quomodo enim Deum » dicimus, et Filium ipsius, et Spiritum sanctum, unitos » secundum virtutem, Patrem, et Filium, et Spiritum » sanctum. »

Tertull. adversus Praxeam, cap. 13 : « Duos deos et » duos dominos nunquam ex ore nostro proferimus ; » non quasi non et Pater Deus, et Filius Deus, et Spiritus » sanctus Deus, et Deus unusquisque. »

Origenes, lib. 1 de Principiis, in præf. n. 4, numerans dogmata necessario credenda, statuit : *Honore ac dignitate Patri et Filio sociatum esse Spiritum sanctum.* Dicere autem Spiritum sanctum Patri et Filio honore ac dignitate esse sociatum, est certo docere illum cum Patre et Filio esse Deum. Ergo.

S. Basilius et S. Ambrosius specialem seorsim composuerunt librum de Spiritu sancto, in quo dogma divinitatis ejusdem Spiritus ex professo defenderunt. Ergo 2°.

Videantur auctores jam citati, ubi de divinitate Verbi.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Christus dicit apud Joan. xvi, 13, de Spiritu sancto : *Non loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet loquetur* : at si esset Deus, loqueretur a semetipso. Ergo.

R. Nego min. Nam, ut infra ostendemus, Spiritus sanctus a Patre et Filio procedit, sicut Filius a Patre generatur : ergo recte dici potest eum non loqui a semetipso, sicut Christus dicit Joan. vii, 16 : *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me...*

Dicitur autem, *quæcumque audiet loquetur*, non quasi nondum audiisset, sed quia ipsius missio externa nondum advenerat.

Obj. 2°. Ille non est Deus qui gemit, contristatur et exstingui potest : atqui 1° Spiritus sanctus gemit : *Postulat pro nobis gemitibus inerrabilibus*, Rom. viii, 26 ; 2° contristatur : *Nolite contristare Spiritum sanctum*, Eph. iv, 30 ; 3° exstingui potest : *Spiritum nolite exstinguere*, I Thess. v, 10. Ergo.

R. Distinguo maj. Ille non est Deus qui gemit, contristatur vel exstingui potest realiter et quoad substantiam, *conc.* ; metaphorice et quoad effectus, *nego maj.* Porro metaphorice tantum et quoad effectus dicitur de Spiritu sancto quod gemat, contristet, etc. Sensus enim textuum allatorum est : 1° Spiritum sanctum per gratiam suam nos adjuvare ad postulandum, et gemitus inenarrabiles in nobis producere ; 2° omne malum sibi contrarium reprobare et sub hoc respectu contristari, id est, tristem videri, sicut dicitur in Gen. vi, 6, Deum poenituisse *quod hominem fecisset* ; 3° gratiam ejus in cordibus nostris diffusam, per peccatum expelli, sicque charitatem ejus exstingui. Ergo inde minime sequitur Spiritum sanctum non esse Deum.

Obj. 3°. Concil. Nicæn. et conc. Constantinopol. expresse non definierunt Spiritum sanctum esse Deum : ergo saltem dogma non est de fide.

R. Nego conseq. Etenim concil. Nicænum dicit : *Credo in Spiritum sanctum*, sicut dicit, *Credo in Deum*, et concil. Constantin. dicit de Spiritu sancto : *Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur* : certe hæc soli Deo conveniunt : ergo duo illa concilia dogma de divinitate Spiritus sancti sufficienter enuntiarunt ut sit de fide.

Obj. 4^o. Plures sancti Patres noluerunt Spiritum sanctum vocare Deum : ergo persuasum non habebant illum reipsa esse Deum.

R. Nego conseq. Videtur quidem plures ex sanctis Patribus, inter Arianos et Macedonianos degentes, noluisse Spiritum sanctum expresse vocare Deum, ut infaustus persecutionis effectus devitarent : an bene vel male in hoc egerint, non sibi concordant auctores. Sed quidquid sit, certum est illos Patres, sicut cæteros, recte credidisse Spiritum sanctum esse Deum ; 1^o enim illud semper exhibent ut ejusdem naturæ cum Patre et Filio ; 2^o Ecclesia, quæ Arianos et Macedonianos damnavit, eos pariter rejecisset ; 3^o positivi eorum textus a nobis citati, et multi alii qui citari possent, sufficienter ostendunt illos de divinitate Spiritus sancti non dubitasse ; 4^o S. Hilarius et S. Basilius præcipue dicuntur divinitatem Spiritus sancti dissimulasse : sed evidenter constat eos divinitatem ejus credidisse ; sic quippe se habet S. Hilarius in Matth. : « Baptizamur in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ut quorum est una divinitas, » sit una largitio ; nomenque Trinitatis unus est Deus. » Et S. Basilius, Epist. 8 : « Confiteri oportet Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum, uti eloquia divina, et qui ea sublimius intellexere docuerunt. » Ergo, si quædam verba minus accurata in operibus eorum inveniuntur, vel perfidia hæreticorum addita fuerunt, vel benigne et sensu catholico interpretanda sunt.

Sic pariter explicatur silentium Patrum qui adversus Arianos disputantes, de divinitate Spiritus sancti nihil dixerunt : indirecte enim Ariani divinitatem Spiritus sancti negabant. Patres directe eos confutantes demons-

trando Filium esse Patri consubstantialem, indirecte eos refellebant circa Spiritus sancti divinitatem.

COROLLARIUM PRIMUM. — Ergo tres personæ Trinitatis sunt consubstantiales.

Unica enim est substantia divina tribus personis communis : licet ergo vox *consubstantialis*, græce *ὁμοῦστος*, non inveniatur in Scriptura, recte usurpata est ad significandam identitatem naturæ Filii cum Patre, et Spiritus sancti cum Patre et Filio.

COROLLARIUM SECUNDUM. — Ergo admittenda est personarum divinarum circuminsessio.

Circuminsessio est mutua personarum divinarum in se existentia, vi cujus Pater est in Filio, Filius in Patre, uterque in Spiritu sancto, et Spiritus sanctus in Patre et Filio : atqui tres personæ divinæ sic in se mutuo existunt, cum unaquæque totam substantiam divinam habeat. Unde Christus ait apud Joan. xiv, 11 : *Non creditis quia ego in Patre, et Pater in me est.* Eadem est ratio pro Spiritu sancto. Ergo.

COROLLARIUM TERTIUM. — Ergo tres personæ divinæ perfecte sunt æquales.

Cum enim eandem habeant naturam seu substantiam, eandem habent scientiam, eandem voluntatem, eandem potentiam, eandem denique perfectionem. Unde in Symbolo S. Athanasii dicitur : « In hac Trinitate nihil prius » aut posterius, nihil majus aut minus ; sed totæ tres » personæ coæternæ sibi sunt et coæquales. »

COROLLARIUM QUARTUM. — Ergo existit mysterium sanctissimæ Trinitatis.

In eo quippe mysterium istud consistit, quod tres sint personæ divinæ in una divinitate : atqui, *ex probatis*,

constat tres esse personas divinas in una divinitate : ergo.

Ariani, post Arianos Sociniani et multi recentes increduli plurima contra sanctissimum mysterium istud congerunt objecta ex ratione petita; ut hæc melius solvantur, *quædam notanda sunt*, scilicet :

1° Existentiam mysterii Trinitatis sola ratione demonstrare non intendimus, etiam supposita revelatione, sicque libenter deserimus Claudianum Mamertum presbyterum quinti sæculi, Petrum *Abeilard* duodecimi sæculi, Raymundum *Lulle* decimi quarti sæculi, aliosque plures hoc in puncto subtilius argumentantes et nihil probantes.

2° Neque possibilitatem hujus mysterii ex sola ratione probare volumus : ad hoc quippe ipsius convenientiam cum ratione demonstrare oporteret; verum talis convenientia ratione apprehendi non potest, alioquin mysterium evanesceret.

3° Sola igitur auctoritate Dei loquentis mysterium sanctissimæ Trinitatis cognoscimus et fide credimus.

4° Adversarii illud impugnantes nihil proficiunt, nisi clare ostendant repugnare tres personas esse in uno Deo : neque valent argumenta propter obscuritatem insolubilia, quia lux ex revelatione procedens abjici aut negari non potest ob aliquam obscuritatem.

S. Aug., contra sermonem Arianorum, cap. 16, t. VIII, p. 635, advertit quamdam sanctissimæ Trinitatis similitudinem reperiri in anima nostra ad imaginem Dei facta : numerat memoriam, intelligentiam et voluntatem, quæ licet a se distinctæ, totum indivisibile constituunt, et una sine aliis non agit quidquam. *Bossuet*, *Élévations sur les mystères*, 6° *Élev. sur la Trinité* (t. VIII, 49), ait : *Nous sommes, nous entendons, nous voulons*. Ostendit, esse, intelligere et velle tria esse distincta unam tamen substantiam constituentia, vel in unica substantia existentia.

Ilæ autem comparationes, quæ utiliter aliquando proferuntur mentesque ad credendum juvant, evidenter tamen haberi non possunt ut sub omni respectu accu-

ratæ; imperfectæ sunt imagines intellectuales perfectissimi Entis in sæcula sæculorum viventis.

Deveniamus ergo ad objecta rationis quæ proponi solent.

Solvuntur objecta ex ratione petita.

Obj. Tres et unus in eodem subjecto manifestam implicat contradictionem : ergo repugnat tres esse personas in uno Deo.

R. Dist. ant. Tres et unus in eodem subjecto et sub eodem respectu manifestam implicat contradictionem, *conc.* ; sub diverso respectu, *nego antecedens*. Porro non dicimus tres personas unicam esse personam, sed tres personas unicum esse Deum : ut ostenderetur in hac locutione claram exprimi repugnantiam, demonstrandum foret substantiam divinam et personam esse quid unum et idem sub omni respectu, aut substantiam divinam tribus personis communicari non posse; verum id ab adversariis non demonstratur : ergo.

Inst. 1°. Repugnantia quæ clare percipitur reipsa existit : atqui adversarii dictam repugnantiam clare percipiunt : ergo.

Nego min. Quod enim in se clarum est, non quibusdam tantum, sed omnibus in iisdem circumstantiis constitutis tale videtur : at non omnes prædictam repugnantiam percipiunt, siquidem plerique Christiani, docti sicut indocti, a decem et octo sæculis mysterium Trinitatis admittunt et venerantur : ergo adversarii sibi illudunt vel mentiuntur, quando affirmant se manifestam percipere repugnantiam inter trinitatem personarum et unitatem Dei.

Inst. 2°. Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se : atqui tres personæ divinæ sunt eadem uni tertio, nempe essentiæ divinæ; ergo vera datur repugnantia in eo quod tres sint personæ distinctæ et unicus Deus.

R. Dist. maj. Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, sub eo respectu sub quo sunt eadem uni tertio, *conc.* ; secus, *nego maj.* *Ratio distinctionis patet.* Porro

tres personæ divinæ identificantur sub respectu substantiæ, et eo sensu perfecte sunt æquales: sed non identificantur sub respectu personalitatis, et ea ratione manent distinctæ: ergo.

Inst. 3^o Natura divina tres habet personas: ergo si unaquæque persona integram habeat divinitatem, tres habet personas, et tunc redit manifesta repugnantia.

R. Dist. conseq. Tres habet personas, id est habet divinitatem tribus personis terminatam, *conc.*; habet tres personas explicite, *nego conseq.* Etenim persona divina sub duplici respectu considerari potest, scilicet, ut naturæ divinæ identificata, et ut aliis personis opposita: sub priori respectu, alias habet personas, v. g., Filius habet paternitatem et spirationem passivam, siquidem integram habet divinitatem in qua paternitas et spiratio passiva existant, et hæc est mirabilis coexistentia et circuminsessio in corollario secundo exposita; sub posteriori vero respectu, alias non habet personas, quia personæ divinæ, licet divinitati omnino identificatæ, a se realiter distinguuntur, et in hoc consistit mysterium nobis impenetrabile. Ergo.

Inst. 4^o Si tres personæ divinitati omnino identificentur, jam a se non realiter, sed virtualiter tantum distinguuntur, sicut diversi respectus alicujus objecti: ergo revera non sunt personæ distinctæ.

R. Dist. ant. Si tres personæ divinitati omnino identificentur sub omni respectu, *conc.*; secus, *nego ant.* Porro personæ divinæ non identificantur divinitati sub omni respectu, ut jam ostendimus. Ergo.

Insuper demonstrandum foret repugnare divinitatem sub triplici respectu terminari, aut tres illos respectus a se realiter non esse distinctos, aut in Deo tres non efficere personas distinctas: atqui nihil horum Sociniani et increduli demonstrant: ergo.

Exemplum in confirmationem antecedentis adductum pro nobis magis quam contra nos probat; diversi enim respectus ejusdem objecti a substantia objecti virtualiter tantum distinguuntur, v. g., longitudo et latitudo a

trabe; illæ quippe qualitates nihil aliud sunt quam ipsa trabs talis longitudinis et latitudinis: verum, licet longitudo totam habeat latitudinem, et latitudo totam longitudinem, utraque tamen respective ad alteram considerata, realiter est distincta et alteri opposita. Cur ergo repugnaret in unica substantia divina diversos existere respectus realiter a se invicem distinctos, et virtualiter tantum a substantia quam terminant separatos?

Inst. 5^o Paternitas, filiatio et spiratio passiva sunt perfectiones: atqui unaquæque persona Trinitatis has non habet perfectiones, cum aliis personis opponatur: ergo non est Deus.

R. Dist. maj. Paternitas, etc., sunt perfectiones relativæ, *concedo*; perfectiones absolutæ, *nego*.

Eodem sensu distincta minore, dicimus perfectiones absolutas tribus personis divinis competere, dum perfectiones relativæ singulis personis sunt propriæ; scilicet paternitas Patri, filiatio Filio et spiratio passiva Spiritui sancto: communes esse non possunt, siquidem ipsæ constituunt personas easque inter se per oppositionem distinguunt. Porro non perfectius est Patri habere paternitatem, quam Filio habere filiationem, etc. Natura quippe divinitatis per solam revelationem nobis manifestata, sic necessario existit. Ergo.

Inst. 6^o Si unaquæque persona Trinitatis sit Deus, est infinita: atqui repugnat tres esse personas infinitas: ergo.

R. Nego min. Repugnat quidem tres esse substantias infinitas: at demonstrari non potest repugnare tres esse personas eandem substantiam infinitam habentes; personæ enim divinæ in sensu abstracto spectatæ non exhibentur ut infinita absoluta, sed ut terminationes ejusdem infiniti: ergo.

Inst. 7^o 1^o Nomen *Deus* personam sonat et ita semper intellectum est; 2^o persona definitur substantia intelligens, completa: ergo tot sunt substantiæ quot personæ; 3^o in catholico dogmate personæ divinæ a se dependentes essent et successive procederent, quod evidentes arguit

imperfectiones; 4^o B. Paulus asserit philosophos Deum cognovisse, non tamen trinum habuerunt Deum: ergo, etc.

R. Omnes illæ difficultates ex dictis facile solvuntur; suum enim habent fundamentum in rebus naturalibus: porro natura divina per revelationem nota, rebus naturalibus comparari non potest.

Philosophi, Mahumetani aliique Deum cognoscere possunt ut creatorem et mundi gubernatorem, licet distinctionem personarum non agnoscant, quia, deficiente revelationis face, divinam lustrare non possunt naturam. Ergo, etc.

Quæritur an mysterium sanctissimæ Trinitatis notum fuerit ante Christum.

R. 1^o. Probabile videtur Patriarchas, Prophetas aliosque viros sanctitate sua vel scientia conspicuos, mysterium istud aliquo modo novisse; præsumendum est enim Deum rectam Scripturarum intelligentiam eis dedisse: at si mysterium sanctissimæ Trinitatis non expresse reveletur in Veteri Testamento, saltem pluribus in locis insinuat vel supponitur: v. g., 1^o in Gen. 1, 26, Deus ait: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*; cap. III, 22: *Ecce Adam quasi unus ex nobis*; et cap. XI, 7: *Venite, descendamus et confundamus ibi linguam eorum*. Verba in plurali numero, *faciamus, descendamus, confundamus*, et præsertim ista, quasi unus ex nobis, pluralitatem personarum in Deo supponunt; hæc enim hypothese admissa, recte intelliguntur: rejecta vero, sensum litteralem et obvium non habent. Ita multi senserunt Patres et plerique theologi ac Scripturæ interpretes, qui ex his verbis Trinitatis existentiam probare conantur.

Similiter in Ps. II, 7: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu; ego hodie genui te*; quæ verba B. Paulus applicat Christo, Act. XIII, 33, et Heb. I, 5, in quibus exprimitur Pater generans et Filius genitus: item Ps. CIX, 1 et 3: *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis... Ex utero ante luciferum genui te*. Testatur

Christus, Matth. XXII, 24, hæc de se dicta fuisse: idem docet Apost., Hebr. I, 13. Ergo.

R. 2^o. Nihil probat populum Judaicum veram habuisse notitiam mysterii sanctissimæ Trinitatis: arbitratur Theodoretus, lib. de Curatione græcarum affectionum, Serm. 2, hanc notitiam ipsis denegatam fuisse ob eorum proclivitatem ad idololatriam: « Sapientissimus Deus, *inquit*, nequaquam illis manifeste omnia Trinitatis mysteria tradidit, ne ex ea cognitione multitudinis deorum occasionem surerent, ad impietatem Aegyptiorum propendentes. »

In opere recens edito, doctissimus D. Drach mysterium sanctissimæ Trinitatis apud veteres Judæos notum fuisse contendit et habitum ut de fide, non autem eodem modo apud omnes. Tres juxta ipsum erant classes, nempe 1^o justi, qui mysterium istud non secus ac nos cognitum habebant; 2^o legis doctores, qui ex Scriptura et traditione verum lumen, licet inferius, hauserant; 3^o vulgus, qui perobscuras vel nullas illius mysterii notiones habebat.

Ad hæc statuenda multa ratiocinia criticasque disquisitiones affert eruditus auctor: plurima exponit curiosa circa cæremonias quasdam, circa modum quo magnum nomen Dei scriptum erat, etc. Permultos, aliquando valde subtiles, citat textus ex libris magnæ auctoritatis apud Judæos excerptos, ex *Zohar*, v. g., ex *Sepher-Yetzira*, cujus systema cabalisticum totum nititur dogmate Trinitatis, et ex variis rabbinorum operibus. (*Harmonie entre l'Eglise et la Synagogue*, t. I, p. 277 et suiv.)

R. 3^o. Si quædam Trinitatis vestigia in scriptis antiquorum philosophorum videantur, tam imperfecta et tenuia sunt, ut plerique Patres negaverint eos mysterium istud novisse: qui autem volunt illos aliquam ideam Trinitatis habuisse, ut S. Justinus, Clemens Alex., Eusebius, S. Aug., dicunt eam ex Judæis per colloquia vel librorum sacrorum lectionem sumpsisse.

CAPUT TERTIUM.

DE PROCESSIONIBUS DIVINIS.

Nomine *processionis*, hic intelligitur origo vel emanatio unius personæ ab alia : sic inter homines filius a patre et matre procedit : hæc processio dicitur a theologis transiens et ad extra. Sed in Deo processio unius personæ ab alia vel ab aliis non potest esse transiens et ad extra, quia unica est substantia divina in qua omnia sunt necessaria; est ergo necessaria, æterna et immans.

De fide est 1º Patrem a nullo procedere et esse fontem duarum aliarum personarum. Hinc Symbolum S. Athan. ait : « Pater a nullo est factus, nec creatus, nec genitus. »

De fide est 2º Filium a Patre procedere : hoc quippe definitum est in concil. Nicæno I, ubi dicitur de Filio : « Et ex Patre natum ante omnia sæcula : Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero ; » item in Symbolo S. Athanasii : « Dominus noster Jesus Christus... » Deus est ex substantia Patris ante sæcula genitus. »

Hoc dogma Scriptura sacra evidenter fundatur : *Ex utero ante luciferum genui te*, Ps. cix ; *Filius meus es tu ; ego hodie genui te*, Ps. ii ; *Pater... dedit et Filio vitam habere in semetipso*, Joan. iii, 26 ; *et scio eum quia ab ipso sum, et ipse me misit*, Joan. vii, 29, etc.

De fide est 3º Filium a Patre procedere per generationem, et ipsius processionem aliter exprimendam non esse. siquidem et Scriptura et Symbola illum semper exhibent ut generatum, quod patet ex textibus modo citatis et ex multis aliis in quibus vocatur *Filius, Genitus, Unigenitus, Primogenitus*. Quicumque divinitatem Verbi admittunt, hæc latentur : non est igitur ratio cur in his probandis immoremur.

De fide est 4º Spiritum sanctum a Patre procedere, ut

propriis verbis fert Scriptura, Joan. xv, 26 : *Cum autem venerit Paracletus quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit ; et ut definitum fuit in concilio Constantinop. contra Macedonianos : « Et in » Spiritum sanctum, Dominum, et vivificantem, qui ex » Patre procedit. »* In hoc rursus nobis consentiunt hodierni hæretici et schismatici qui adhuc mysterium SS. Trinitatis admittunt.

At Græci negant Spiritum sanctum a Filio procedere, contenduntque particulam *Filioque* immerito additam fuisse Symbolo Nicæno. Contra quos sit

PROPOSITIO PRIMA.

Spiritus sanctus a Patre et Filio procedit.

Prob. Hæc propositio tenenda est quæ est de fide, probatur Scriptura et traditione : atqui, etc.

1º Est de fide. Clare exprimitur in Symbolo S. Athanasii : « Spiritus sanctus a Patre et Filio, non factus, » nec creatus, nec genitus, sed procedens. » Sic ab universa Ecclesia catholica creditur, et ita definierunt concilia generalia Lateranense IV, Lugdunense II et Florentinum ; legati Græcorum præsentés adhæserunt. Ergo.

2º Prob. Scriptura sacra. Joan. xvi, 14 : *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis.* Unde sic : Spiritus sanctus est Deus, ex probatis et ex Græcorum consensu : atqui tamen aliquid accipit a Filio, nempe scientiam vi cuius annuntiatorus est : illam autem non accipit in tempore et accidentaliter, nam in Deo omnia necessaria et æterna sunt : ergo eam habet a Filio per processionem.

Galat. iv, 6 : *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra.* Ibi agitur de Spiritu sancto : at vocatur Spiritus Filii Dei : ergo dicendum est illum a Filio sicut a Patre procedere. Ergo 2º Scriptura sacra, etc.

3^o *Traditione*. S. Athan., lib. de Incarnatione Dei Verbi, part. 2, ait: « Narrat enim (David) apud Deum » Patrem Filium esse fontem Spiritus sancti. »

S. Basilius, contra Eunomium, lib. 3, n. 1: « Quem- » admodum enim Filius ordine quidem a Patre se- » cundus est, quoniam ab illo est... ita profecto et » Spiritus sanctus et si tum ordine, tum dignitate, se- » cundus a Filio est. »

S. Epiphanius, Hæres. 62, n. 4: « A Patre Filioque » non alienus, sed eadem ex substantia, eadem divini- » tate, ex Patre et Filio et cum Patre ac Filio subsistens » semper Spiritus sanctus. »

S. Cyrillus Alex., lib. 1 de Adoratione in spiritu et veritate: « Spiritus est Patris et Filii qui substantialiter » ex utroque, nimirum ex Patre per Filium profluit. » Hæc testimonia ex Patribus Græcis ante schisma existentibus deprompta manifesta sunt, et abunde sufficere debent. Ergo.

Dices 1^o: Expresse dicitur in Scriptura Spiritum sanctum procedere a Patre, non autem dicitur illum procedere a Filio. Ergo.

R. 1^o. *Nego secundam partem antecedentis*. Non quidem propria voce dicit Scriptura Spiritum sanctum a Filio, sicut a Patre, procedere; sed dicit æquivalenter, *ut probavimus*: atqui hoc sufficit: ergo.

2^o *Nego conseq.* Etiam si enim sileret Scriptura circa processionem Spiritus sancti a Filio, non ideo dogma illud deserendum esset; siquidem plurima sunt de fide tenenda quæ sola traditione ad nos transmissa sunt: atqui traditione constat Spiritum sanctum a Filio sicut a Patre procedere: ergo.

Dices 2^o: Concil. Constantinop. definiens Spiritum sanctum ex Patre procedere, nihil dixit de Filio: ergo non arbitrabatur illum a Filio procedere.

R. Nego conseq. Macedoniani enim docebant Spiritum sanctum esse creaturam; Patres concilii Constantinop. definirunt illum esse Deum ex Patre procedentem, sicut Filium, cujus divinitatem agnoscebant Macedoniani,

cum Patre et Filio simul adorandum: ergo directe occurrebant errori quem damnare intendebant, nec opus erat ut aliud definirent.

Cæterum, si Filium excludere voluissent, dixissent Spiritum sanctum a solo Patre procedere: ergo.

COROLLARIUM PRIMUM. — Duæ sunt processionēs in Deo.

Tot enim sunt processionēs, nec plures, nec pauciores, quot sunt personæ procedentes: atqui duæ sunt tantum personæ procedentes: ergo.

COROLLARIUM SECUNDUM. — Spiritus sanctus a Patre et Filio procedit, tanquam ab unico principio.

Procedit enim a Patre et Filio, tanquam ab unico principio, si Pater et Filius illum producendo a se invicem non distinguuntur: atqui a se invicem non distinguuntur; personæ enim divinæ a se non distinguuntur, nisi aliqua sit oppositio inter eas, sicut inter Patrem et Filium: porro nulla est oppositio inter spirationem Patris et spirationem Filii: ergo. Ita S. Thomas, part. 1^a, q. 36, art. 4, et omnes theologi.

Nota. Spiritus sanctus procedit per spirationem, non vero per generationem: unde dici non potest Filius, genitus, etc., sicut Verbum, sed procedens: ita volunt Scriptura sacra, Symbola fidei et traditio. Quæ sit autem ratio fundamentalis hujus disparitatis non inquirimus, quanquam hac de re longius et subtilius disserant theologi: malumus dicere cum S. Aug. *Contra Maximianum*, l. 2, cap. 14, n. 1: « Quid inter nasci et procedere in- » tersit, de illa excellentissima natura loquens, expli- » care quis potest? Non omne quod procedit nascitur, » quamvis omne procedat quod nascitur; sicut non omne » quod bipes est homo est, quamvis bipes sit omne » quod homo est. Hæc scio: distinguere autem inter » illam generationem et hanc processionem nescio, non » valeo, non sufficio. »

Omnes docent Filium esse verbum Patris internum, et Spiritum sanctum amoris Patris et Filii terminum. Vide eximium opus *Bossuet, Elévations sur les mystères, 11^e semaine, élévation 5^e*. Aliquam in nobis, quamvis imperfectam, reperiri Trinitatis imaginem docet S. Aug., Conf. lib. 13, cap. 11, uti jam diximus, et post ipsum generatim theologi ac doctores, quatenus scilicet mens nostra simplicissima existit, cognoscit et vult. Ab iis autem altis disquisitionibus, ad doctrinam fidei catholice non attinentibus, sæpiusque subtilioribus, censemur hic abstinendum.

PROPOSITIO SECUNDA.

Particula Filioque Symbolo Constantinop. merito addita est.

Prob. De fide est, ut ostendimus, Spiritum sanctum ex Filio procedere: ergo id contra novos insurgentes hæreticos exprimi potuit. Unde concilium Florentinum hanc habet definitionem cui Græci et Latini subscripserunt: « Definimus explicationem verborum illorum, *Filioque*, » veritatis declarandæ gratia, et imminente tunc necessitate, licite ac rationaliter Symbolo fuisse appositam. » *Labbe, t. 13.*

Dices: Concilium Ephesinum, III generale, vetuit ne aliquid Symbolo Constantinopolitano adderetur: ergo vox *Filioque* immerito ei addita est.

R. Nego conseq. Nam 1^o ubi de disciplina agitur, Ecclesia suæ prohibitioni derogare potest, quando id expedire judicat: at prohibitio de qua agitur pertinet tantum ad disciplinam; manifestum est enim contra fidem non esse alias veritates certo revelatas Symbolo addere: sic conc. Nicæn. quædam addidit Symbolo Apostolorum, et conc. Constantinop. quædam Symbolo Nicæno: prohibitio igitur synodi Ephesinæ spectat tantum ad additiones auctoritate incompetenti factas, et in omni casu ad solam disciplinam pertinet.

2^o Vox *Filioque* non est præcise additio, saltem quoad doctrinam; novam enim non exprimit veritatem, sed veritatem subauditam et ab omnibus creditam convenientiori verbo clarius explicat. Ergo.

Quæritur quandonam vox *Filioque* Symbolo Constantinop. addita fuerit.

R. Certum est 1^o illam insertam et in Ecclesia Latina communiter usurpatam fuisse nono sæculo: nam Photius, Nicolao I summo pontifici scribens, exprobrat Latinis quod sacrum Symbolum falsare aggressi fuissent; et Ratramnus, Corbeiensis monachus, hanc suppositionem non negat, sed factum explicare ac defendere tentat.

Certum est 2^o hanc additionem apud Gallos exstitisse in octavo sæculo: nam conc. Forojuliense, anno 794 celebratum, hæc habet, *Labbe, t. VII*: « Sed et postmodum » propter eos hæreticos qui susurrant Spiritum sanctum » solius esse Patris, et a solo procedere Patre, additum » est: *Qui ex Patre Filioque procedit.* »

3^o Eadem particula *Filioque* legitur ut Symbolo addita in III concilio Toletano, anno 589 celebrato: ergo tunc temporis prædicta additio jam facta erat in Hispania.

Hæc tantum certa sunt. A quo autem et quo tempore facta fuerit additio, nescimus. Constat autem illam ab Ecclesia catholica adoptatam fuisse; hoc nobis sufficiat.

CAPUT QUARTUM.

DE DIVINIS RELATIONIBUS, NOTIONIBUS ET MISSIONIBUS.

1^o *Relatio* in genere est respectus unius rei ad rem aliam, v. g., filii ad patrem et patris ad filium: in Deo relationes sunt respectus unius personæ ad aliam personam, vel ad essentiam divinam. Certum est personas divinas a se invicem distingui non posse, nisi per relationes oppositionis inter eas existentis: *probavimus* au-

tem tres esse personas realiter distinctas et duas processiones : ergo quatuor existunt relationes, scilicet paternitas, filiatio, spiratio activa et spiratio passiva, quia Pater non intelligitur ut Pater nisi respective ad Filium, Filius non intelligitur ut Filius nisi respective ad Patrem, etc. Nunquam igitur personæ divinæ considerari possunt, abstractione facta a relationibus unicuique propriis : nam relationibus abstractis, evanescent personæ quæ solis relationibus distinguuntur.

Illæ autem relationes sunt reales, id est, existunt independenter a cognitione nostra : contra vero relationes personarum ad essentiam divinam non sunt reales, per solam enim mentis abstractionem personæ ab essentia divina distinguuntur.

2^o *Notiones* divinæ sunt notæ quibus personæ innotescunt et a se invicem discernuntur : eo ipso enim quod tres sint personæ distinctæ, necesse est ut unaquæque aliquid proprium habeat. Quinque vulgo numerantur ejusmodi notæ ; scilicet paternitas, filiatio, spiratio activa et spiratio passiva, quibus theologi addunt, post S. Thomam, innascibilitatem, quæ propria est Patri illumque a duabus aliis personis distinguit.

3^o *Missio* divina duo includit, nempe processionem personæ missæ a mittente, et effectum quemdam externum quo præsentia personæ missæ manifestetur.

Pater mitti non potest, quia a nemine procedit.

Filius a Patre missus est in mundum ut illum redimeret, quod ex pluribus Scripturæ locis evidenter constat : *Non misit Deus Filium suum in mundum ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum*, Joan. III, 17.

Spiritus sanctus missus est a Patre et Filio ad dona supernaturalia in animas infundenda : *Paracletus Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia*, Joan. XIV, 26.

Hujusmodi autem missiones nullam arguunt imperfectionem aut dependentiam in personis missis, quia non fiunt per imperium, nec per consilium, nec per transitum de loco in locum, sed tantum per processio-

nem et novum modum existendi in creaturis, vel respectu creaturarum ; personæ enim missæ jam erant in creaturis, uti dicitur de Verbo, Joan. I, 10 : *In mundo erat* ; sed non agebant in eas eodem modo quo post missionem agunt. Unde tota mutatio est ex parte creaturarum et non in persona divina. Sic voluntas salvandi mundum tribus personis fuit communis : per communem voluntatem facta est Filii Incarnatio, Incarnatio autem facta jam Filio est propria.

CAPUT QUINTUM.

DE MODO RECTE LOQUENDI DE SANCTISSIMA TRINITATE.

Inter nomina quibus personæ sanctissimæ Trinitatis designari possunt, alia sunt singulis personis propria et alia tribus personis communia, quæ tamen uni præ aliis propter aliquam rationem attribuuntur, et ideo dicuntur a theologis appropriata.

1^o Prima persona proprie vocatur *Primum principium*, *innascibilis*, et præcipue *Pater* ; ipsi tribuuntur potentia, sapientia et bonitas ; unde dicitur, Pater creaturarum, Creator, Omnipotens, et ideo decantamus in Symbolo : *Credo in Deum, Patrem omnipotentem, factorem cæli et terræ*. Potentia enim in Deo est velut origo et principium ejus decretorum et actionum, tum internarum, tum externarum ; sapientia potentia exercitium dirigit, et nihil facere potest nisi bonum.

2^o Secunda persona proprie dicitur *Filius* et *Unigenitus*, quia per generationem procedit, et *Verbum*, quia est terminus divinæ intelligentiæ ; ideo etiam dicitur *Imago* vivens in qua Pater seipsum et omnia videt, *Sermo* internus, *Sapientia* et *Splendor* Patris. Ipsi tribuuntur intelligentia et cuncta sapientiæ opera, quia sapientia ad intellectum pertinet, et Deus omnia per sapientiam suam facit ac dirigit.

3^o Nomina propria tertiæ personæ sunt : *Spiritus*, id

est terminus spirationis seu desiderii vel amoris Patris et Filii; *Amor, Charitas*, quia per amorem procedit, et *Donum*, sive quia procedit ut amor, et amor est ratio omnis doni, sive quia ipse nobis datur et in nobis dignatur inhabitare. Ipsi appropriantur omnia quæ ex amore et bonitate procedunt, ut animas per gratiæ effusionem visitare, purificare, sanctificare, inflammare, consolari: unde dicitur est *Paracletus*, quod nomen idem significat ac consolator.

His prænotatis, quædam tradendæ sunt regulæ recte de sanctissima Trinitate loquendi.

Regula I. Nomina substantiva quæ significant naturam divinam vel attributa absoluta, id est, attributa quæ non spectant ad personas, sed ad ipsam divinitatem, nunquam usurpantur possunt in numero plurali, quia substantia est unica. Hinc dici non potest, *tres dii, tres divinitates, tres substantiæ, tres sapientiæ*, etc., sed dici potest, *tres personæ* et etiam *tres subsistentiæ*; unaquæque enim persona propriam habet subsistentiam, id est modum existendi.

Regula II. Nomina adjectiva in numero plurali dici possunt de tribus personis, quia hæc loquendi ratio non significat multiplicari attributa, sed tantum subjecta: porro tres personæ sunt tria subjecta eadem attributa possidentia. Sic dici potest, intelligendo de personis, *sunt tres omnipotentes*, id est, tres personæ omnipotentiam habentes. Hæc autem locutio vitiosa esset si tres intelligerentur substantiæ omnipotentes: unde in Symbolo S. Albanasii legitur: *Non tres æterni, sed unus æternus; non tres omnipotentes, sed unus omnipotens*, id est, non tres dii æterni et omnipotentes.

Regula III. Voces quæ significant personarum originem dici possunt de Deo, non vero de divinitate: sic dici potest, *Deus generat, Deus generatur, Deus spirat*: sensus est enim personam divinam generare, generari, spirare aut spirari.

At dici non possent, *divinitas generat*, etc., quia hæc locutio supponere videtur esse substantiam generantem, etc.

Regula IV. Uti licet nominibus distinctionem inter personas indicantibus, modo distinctionem naturæ aut diversitatem inter personas non importent, nec importare videantur. Sic 1° recte dicitur, *Pater est alius, Filius est alius*; non vero, *Pater est aliud, Filius est aliud*, quia in usu communi vox *alius* indicat personam, et vox *aliud* significat aliam rem seu substantiam. 2° E contra dici potest, *Filius est unum cum Patre*, id est una substantia; et non, *Filius est unus cum Patre*, quia pluralitas personarum excluderetur. 3° Hæc locutiones, *Deus est trinus, trinitas est in Deo*, sunt legitimæ; non vero istæ, *Deus est triplex, vel triplicitas est in Deo*: ratio patet. 4° Optime dicitur personas divinas esse *æquales*, quia eandem habent naturam; non autem, *personæ divinæ sunt diversæ, discrepantes, differentes, dissimiles, dispares*, quia ultimæ illæ voces aliquam naturæ differentiam significarent. 5° Absolute dici possent *similes*, in quantum hæc vox naturæ dissimilitudinem excluderet; verum, quoniam Ariani illa abusi sunt, dicentes Filium natura similem esse Patri, intelligentes eum eandem tamen non habere substantiam, sed aliam similem, caute adhibenda est.

Hæc sufficiant de Trinitate, *cui honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.* Rom. XVI, 27.

TRACTATUS
DE INCARNATIONE.

Incarnatio, Græce *σάρκωσις*, secundum vim nominis, est unio cum carne; et secundum usum Ecclesiæ, est unio naturæ divinæ et humanæ in unica persona Verbi divini, ex qua fit unus Christus.

1° *Unio naturæ divinæ et humanæ*; quia utraque natura perfecta est in Christo, ut patebit ex dicendis.

2° *In unica persona*; persona enim, ex dictis in Tractatu de Trinitate, est substantia intelligens, singularis et completa seu totum efficiens: porro natura divina et natura humana secum unitæ unicum efficiunt totum: ergo et unicam personam, quod ad fidem pertinere infra ostendemus.

3° *Verbi divini*; ratio est quia persona Verbi, naturam humanam assumendo, eam perficit, non vero ab ea perficitur.

4° *Ex qua unus fit Christus*, qui scilicet duplicem habet naturam.

Vox *incarnatio* litteraliter non reperitur in Scriptura, sed æquivalenter in his verbis: *Et Verbum caro factum est*. Ea usus est S. Irenæus in secundo sæculo, de Hæres. lib. 3, cap. 19, alias 21: deinde facta est communis et reperitur in Symbolis fidei.

Præsentem Tractatum in decem dividemus capita: primum erit de existentia mysterii Incarnationis; secundum, de ipsius natura; tertium, de ejus convenientia; quartum, de ejus necessitate; quintum, de ejus causis; sextum, de dotibus Christi; septimum, de ejus titulis; octavum, de ejus satisfactione; nonum, de cultu ipsi et imaginibus ejus debito; et decimum, de cultu sanctis in celo regnantibus, eorumque reliquiis ac imaginibus debito.

CAPUT PRIMUM.

DE EXISTENTIA MYSTERII INCARNATIONIS.

Demonstravimus in Tractatu de vera Religione Christum, religionis christianæ institutorem, esse Messiam a Deo promissum; sicque gentiles, Judæos et omnes incredulos hoc in puncto confutavimus: constabit igitur mysterium Incarnationis existere, si probetur Christum esse simul Deum et hominem.

Christus idem est ac Filius Dei et Verbum, cujus divinitatem in præcedenti Tractatu demonstravimus: ergo certum est illum esse Deum, et hæc propositio a nemine divinitatem Verbi confitente rejicitur. Nobis inquirendum est igitur 1° an Christus fuerit homo; et 2° quam habuerit originem ut homo.

ARTICULUS PRIMUS.

AN CHRISTUS FUERIT HOMO

Non fuit homo nisi habuerit corpus et animam sibi unita.

1° Simon Magus, Menander, Saturninus, Basilides alique Phantasiastæ primi et secundi sæculi dicebant Christum non habuisse corpus, sed in phantasmate tantum apparuisse et passum esse. Vide Tertul., lib. de Præscr., cap. 46.

2° Valentinus dixit, referente Tertul., ibid., cap. 49, Christum quoddam habuisse corpus spirituale, e celo delatum et per Mariam virginem, quasi aquam per fistulam, transmeasse, nihil ab illa accipiens vel mutuans.

Post hunc venerunt, teste adhuc Tertul., ibid., Heraclæon, quidam Marcus, Colarbasus, Cerdo, Marcion et Lucanus, qui volebant Christum venisse tantum in phantasmate; item Manes, a quo Manichæi. Deinde Apelles, Marcionis discipulus, magistrum derelinquens, dicebat Christum habuisse carnem sideream.

4° Arius negavit Christum humanam habuisse animam, sed Verbum Dei corpus tantum assumpsisse dicebat. Apollinaris, Laodiceæ episcopus, docuit Christum habuisse animam ratione et intellectu destitutam et tantum sentientem. Damnatus est in concil. Alexand., anno 362.

5° Quidam alii, de quibus Magister Sententiarum et Hugo Victorinus loquuntur, fatebantur Verbum Dei carnem et animam assumpsisse, sed has substantias sibi unitas non fuisse. Contra hos omnes sint propositiones sequentes.

ALERE FLAMMAM
VERPROPOSITIO PRIMA.

Christus verum habuit corpus humanum.

Prob. Scriptura sacra, Symbolis fidei et rationibus theologis.

1° *Scriptura sacra.* Joan. 1, 14: *Et Verbum caro factum est*: at corpus phantasticum non esset caro, sed tantum umbra carnis: ergo.

Luc. xxiv, 39: *Videte manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum; palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet sicut me videtis habere.* Quid expressius desiderari potest? B. Paulus, Rom. 1, 3: *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem*; et Hebr. x, 5: *Hos-tiam et oblationem noluit; corpus autem optasti mihi.* Certe hæc et multa alia quæ præmittimus, de corpore mere phantastico dici non possent. Ergo 1°.

2° *Symbolis fidei*, in quibus Filius Dei dicitur *caro factus, ex Maria virgine natus, passus, crucifixus, mortuus et sepultus*: porro hæc omnia supponunt corpus verum et solidum: ergo 2°.

3° *Rationibus theologis.* 1° Tota redemptio nostra innixa est opprobriis, passionibus, cruce et morte Christi: ergo Christus habuit corpus. 2° Christus propriis verbis dixit et semper supposuit se habere corpus: « Est » autem veritas Christus, inquit S. Aug., lib. de Diver-sis quæst.; non igitur phantasma corpus ejus. 3° Christus exemplo opprobriorum et laborum suorum nos

excitat ad persecutiones fortiter superandas; repugnat autem illi exemplis illusoriis nos sic excitare: ergo, etc. 4° Divinitas Christi non clarius exprimitur in Scriptura quam ipsius corporis existentia: ergo vel habet corpus reale, solidum et humanum, vel fictus est Deus: ergo 3°, etc.; aliunde, etc. Ergo.

Dices 1°: Rom. viii, 3, Apostolus loquens de Christo, ait: *Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis*: ergo Christus veram non habuit carnem.

R. Nego conseq. Apostolus enim non dicit simpliciter Deum misisse Filium suum in similitudinem carnis, sed in similitudinem carnis peccati; et sensus est, Filium, licet peccatum non noverit, tamen habuisse carnem similem carni peccato infectæ. Ergo nobis manifeste favet textus objectus.

Dices 2°: I Cor. xv, 47: *Primus homo de terra, terrenus; secundus homo de cælo, celestis.* Ergo corpus Christi delapsum est de cælo, vel est sidereum.

R. Nego conseq. Manifestum est enim ibi Apostolum Christum vocare cælestem per oppositionem ad Adam, ratione ipsius originis, doctrinæ et finis, ac concludit: *Igitur sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem celestis.* Ergo.

Hæc igitur propositio est de fide.

PROPOSITIO SECUNDA.

Christus vere habuit animam humanam.

Prob. Scriptura sacra, Symbolis fidei, testimoniis Patrum et rationibus theologis. (R)

1° *Scriptura sacra.* Joan. x, 15: *Animam meam pono pro ovibus meis*; ibid. 17, 18: *Ego pono animam meam ut iterum sumam*: nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a meipso.

Matth. xxvi, 38: *Tristis est anima mea usque ad mortem*; Marc. xiv, 33: *Cæpit pavere et tædere.* Affectiones in his locis expressæ ad divinitatem non pertinent, ut

patet : ergo ad animam sentientem et intelligentem. Ergo.

2^o *Symbolis fidei.* In Symbolo Nicæno dicitur, *et homo factus est* : at non esset homo si mentem humanam non haberet. In Symbolo S. Athanasii legitur de Christo : *Perfectus Deus et perfectus homo, ex anima rationali et humana carne subsistens.* Ergo 2^o.

3^o *Testimoniis SS. Patrum,* qui omnes docuerunt Christum esse hominem perfectum, proindeque mente humana donatum, et Apollinaristas prodeuntes statim confutaverunt. Ergo.

4^o *Rationibus theologicis.* 1^o De fide est Christum pro nobis passum esse : atqui repugnat illum passum esse modo belluarum, sine intellectu : ergo habuit animam, non tantum sentientem, sed rationabilem. 2^o Christus oravit, Patri se obtulit, officium mediatoris inter Deum et homines exercuit : hæc autem facere non potuit ut Deus, ex omnium consensu, nec facere potuisset ut homo, si animam tantummodo sentientem habuisset : ergo 4^o.

Nostra igitur propositio est de fide.

PROPOSITIO TERTIA.

Corpus et anima Christi erant unita.

Hæc propositio est de fide.

Prob. Scriptura sacra, Symbolis fidei et ratione.

1^o *Scriptura sacra.* Christus enim vocatur *homo et Filius hominis* : atqui homo ex corpore et anima sibi unitis coalescit : ergo.

2^o *Symbolis fidei.* *Et homo factus est. Perfectus homo, ex anima rationali et humana carne subsistens* ; homo, et homo perfectus habet corpus et animam sibi unita : ergo.

3^o *Ratione theologica.* Christus mortuus est et resurrexit : atqui mors et resurrectio intelligi non possunt sine unione mentis et corporis, siquidem mors in eo consistit quod mens a corpore separetur, et resurrectio in eo quod mens iterum corpori uniatur : ergo.

Multo plures afferri possent probationes, sed in re tam evidenti superflue forent.

ARTICULUS SECUNDUS.

QUAM ORIGINEM HABUIT CHRISTUS UT HOMO.

Certum est animam ejus ipsiusque unionem cum corpore a solo Deo venisse, et quidem immediate, ut fit pro cæteris hominibus, modo nobis inscrutabili. De sola igitur origine corporis moveri potest difficultas.

Cerinthus, tempore Apostolorum, et Carpoceras, in secundo sæculo, dixerunt Christum via naturali ex Maria et Joseph natum esse, ac purum hominem usque ad suum baptisma mansisse, quo tempore Filius Dei in ipsum descendit seque illi uniit : inde concludebant beatam Mariam non fuisse virginem in conceptu, nec in partu, nec post partum.

Jovinianus in quarto sæculo docuit beatam Mariam fuisse quidem virginem in conceptu, sed more aliarum mulierum peperisse, ideoque non mansisse virginem in partu.

Helvidius, e secta Ariana, quem S. Epiph., Hæresi 78, et S. Aug., Hæresi 84, commemorant, integrum composuit librum ad probandum beatam Mariam plures habuisse liberos ex S. Joseph post Jesum primogenitum suum, quem conceperat et pepererat sine virginitatis sue detrimento : unde virgo fuit ante partum et in partu, non vero remansit virgo post partum.

Contra hos hæreticos catholici docent 1^o corpus Christi natum esse de Maria et conceptum fuisse virtute Spiritus sancti, 2^o beatam Mariam fuisse virginem ante partum et in partu, et 3^o virginem mansisse etiam post partum.

PROPOSITIO PRIMA.

Corpus Christi ex Maria genitum est.

Hæc propositio est de fide, ut pote clare contenta in

Symbolo Nicæno : *Et incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria virgine.*

Prob. Scriptura sacra. Matth. i, 16 : Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus qui vocatur Christus. — Ibid. 20, 21 : Nolite timere accipere Mariam conjugem tuam, inquit Angelus ad Joseph; Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem Filium, et vocabis nomen ejus Jesum.

Luc. i, 36 : Ecce concipies in utero, et paries Filium, et vocabis nomen ejus Jesum : sunt verba archangeli beatæ Mariæ loquentis, et mysterium Incarnationis annuntiantis. Ergo.

Variis in locis Maria vocatur mater Christi, at non esset mater Christi, si corpus ejus non peperisset. Ergo.

Dices : Christus, apud Joan. ii, 4, dixit ad Mariam : Quid mihi et tibi est, mulier? At non ita locutus fuisset propriæ matri : ergo.

R. Nego min. Christus enim, simul Deus et homo, respondet matri effectum divinitatis petenti, videlicet miraculum, et recte dicit nihil sub hoc respectu sibi et illi commune esse. Unde S. Aug., lib. de Fide et Symbolo, cap. 4, n. 9 : « Nec nos ad negandam Christi matrem cogit, quod ab eo dictum est, Quid mihi et tibi est, mulier? sed admonet potius ut intelligamus secundum Deum non eum habuisse matrem, cujus mater personam parabat ostendere, aquam in vinum vertendo. »

Ibidem ostendit S. Doctor Christum morientem ut hominem, matrem suam agnovisse eamque discipulo suo dilecto commendasse. Explicat etiam quomodo hæc verba, *Quæ est mater mea? et qui sunt fratres mei?* Matth. xii, 48, non probent Christum non habuisse matrem; alioquin sequeretur Apostolos non habuisse patres, cum ipsis præceperit dicens : *Et patrem nolite vocare vobis super terram; sensum enim tradit addens : Unus est enim Pater vester qui in cælis est, Matth. xxiii, 9. Sensus est igitur oportere ut ministerio sacro recte et libere fungamur, contradicentibus patre et matre, etc.*

PROPOSITIO SECUNDA.

Beata Maria fuit virgo in conceptu, et corpus Christi virtute Spiritus sancti formatum est.

Propositio est de fide.

Prob. Scriptura sacra, Symbolis fidei et unanimi traditione.

1º Scriptura sacra. Matth. i, 18 : Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto; et ibid. v. 20 : Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.

Apud Luc. xi, 28 et seq. Angelo mysterium Incarnationis nuntianti Maria, de thesauro virginitatis suæ sollicita, statim dixit, v. 34 : *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus, dixit ei : Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Nihil expressius dici potest. Ergo.*

2º Symbolis fidei. Legitur enim in Symbolo Apostolorum : Qui conceptus est de Spiritu sancto; et in Symbolo Nicæno : Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine. Ergo.

3º Unanimi traditione. Nullus ex sanctis Patribus propositioni nostræ adversatur; omnes e contra eam velut ad fidem catholicam pertinentem docent. Ergo.

PROPOSITIO TERTIA.

Beata Maria fuit virgo in partu.

Tertullianus, lib. de Carne Christi, cap. 23, et Origenes, Homilia 24 in Lucam, aperte hanc propositionem negant, dicentes sigillum virginitatis Mariæ fractum fuisse in partu. Plures alii Patres idem persensisse videntur; sed plerique eorum, dicit Petavius, lib. 14, cap. 5, n. 5, intelligi possunt sensu catholicorum, qui omnes tenent beatam Mariam mansisse integram in partu.

Prob. 1º Scriptura sacra. Isai. vii, 14 : Ecce Virgo

concipiet, et pariet Filium: hæc verba, testante S. Matth. 1. 22, de beata Maria intelligenda sunt, et indicant eam virginem concepisse et virginem peperisse. Ergo.

2° *Symbolo Apostolorum*. Non solum enim dicitur in illo Symbolo Christum conceptum esse, sed et natum ex *Maria Virgine*: porro catholici semper intellexerunt per hæc verba beatam Mariam fuisse virginem in partu sicut in conceptu. Unde patres concilii Chalcedonensis, Marcianum imperatorem alloquentes, de B. Maria dixerunt: « Quomodo et Dei genitrix sit virgo vocitata propter eum » qui virginitatem ejus dignatus est sacrare, etiam post partum, utrumque, ut decebat Deum, integritate signare? » *Labbe*, t. iv. Ergo.

3° *SS. Patrum testimoniis*. S. Greg. Nyss., Oratione de Natali Christi: « Puer pannis involutus et positus in præsepio, et virgo post partum incorrupta mater Filium complectitur. »

S. Amb., *Epist. 7 ad Siricium papam*: « Hæc est virgo quæ in utero concepit, virgoque peperit Filium. Sic enim scriptum est: *Ecce Virgo in utero accipiet et pariet Filium*. Non enim concepturam tantummodo virginem, sed et parituram virginem dixit. »

S. Aug. de *Catechizandis rudibus*, c. 22: « Natus enim de matre (Christus), quæ, quamvis a viro intacta conceperit, semperque intacta permanserit, virgo concipiens, virgo pariens, virgo moriens, tamen fabro desponsata erat. » Multi alii Patres, et Græci, et Latini, non minus clari, citari possent. Ergo.

4° *Præscriptione*. Stalim atque Jovinianus gloriosam B. Mariæ virginitatem temerare ausus est, velut hæreticus dampnatus est, primo in concilio Romano a summo pontifice Siricio, anno 389, et deinde in concilio Mediolanensi, a S. Ambr. Ergo tunc omnibus persuasum erat B. Mariam mansisse virginem in partu: hæc autem persuasio tam firma et tam universalis non exstitisset, si ab Apostolis non descenderet. Ergo.

In de concludunt theologi B. Mariam Christum gestasse et edidisse sine dolore et ulla ex miseris quas mulieres

gravidæ et parturientes experiri solent, docentque illam legi purificationis subjectam non fuisse.

PROPOSITIO QUARTA.

Beata Maria semper mansit virgo post partum.

Propositio est de fide, et probatur traditione et ratione theologica.

1° *Est de fide*. Helvidius quippe, qui eam præcise negabat, semper habitus est ut hæreticus, ut patet ex *Historia ecclesiastica*, ex S. Epiphano discipulos ejus inter hæreticos annumeranti (Hæresi 78) sub nomine *Antidicomaritarum*, et ex S. Aug. qui, Hæresi 84, idem affirmat. Ergo.

2° *Traditione*. Patet ex S. Aug. et ex S. Epiphano citatis; item ex integro S. Hieronymi libro adversus Helvidium; ex S. Ambros., lib. de *Instit. virg.*, cap. 5, n. 35, qui sic habet: « Fuerunt qui eam (Mariam) negarent » virginem perseverasse: hoc tantum sacrilegium... in damnatum non putamus relinquendum. » Ergo 2°.

3° *Ratione theologica*. Beata Maria Josepho desponsata, id est conjugata, ut in *Tractatu de Matrimonio* probamus, virginitatem servabat: hoc patet ex ipsius responsione ad Angelum. et ex agendi ratione Joseph quando advertit eam esse gravidam. Tam hujus virtutis erat amatrix ut, Angelo nuntiante, titulum matris Dei non acceperit, quin prius certiorata fuerit se mansuram virginem: quis hæc sciens credere posset sanctissimam Virginem, a proposito resilientem, virum postea cognovisse? Ergo.

Hinc mos invaluit ut proprio nomine non vocetur, quin qualitas virginis addatur, et frequenter antonomastice Virgo, sanctissima Virgo, etc., appellatur.

Communius docetur sanctum Joseph semper etiam fuisse virginem: unde Jacobus, Joseph, Simon et Judas, qui, Matth. xiii, 55, dicuntur fratres Jesu, erant tantum ejus consanguinei. Sic Abraham dicebat ad Loth, filium

fratris sui, Gen. xiii, 8 : *Ne, queso, sit iurgium inter me et te, et inter pastores meos et pastores tuos; fratres enim sumus.*

R. Dices 1º cum Helvidio: Legitur apud Matth. i, 18: Antequam convenirent, inventa est, etc. Ergo postea convenerunt.

R. Nego conseq. Unum enim hic significatur, videlicet, Mariam et Joseph non convenisse, et tamen Christum fuisse conceptum: neutiquam vero inde concludi potest eos postea convenisse, quod variis exemplis ostendit S. Hieron. adversus Helvidium; v. g.: si dixerimus: Antequam Helvidius pœnitentiam ageret mortuus est, antequam iudices causam examinarent sententiam tulerunt, numquid inde concludi posset Helvidium post mortem pœnitentiam egisse, aut iudices post sententiam causam discussisse? Ergo *a pari*, etc.

Quædam alia Scripturæ verba ab Helvidio allegata eadem facilitate explicari possunt; v. g.: *Non cognoscebat eam donec peperit Primogenitum suum*, Matth. i, 25: sensus est enim Joseph Mariam non cognovisse antequam pareret Christum, et nihil ultra exprimitur. Particula *donec* non semper significat rem quæ nondum facta est deinde faciendam esse. Sic, ait S. Hier., *corvus non revertebatur donec siccarentur aquæ super terram.*

Vox *primogenitus* non significat necessario alios postea natos esse, ut vult Helvidius; nam ille dicitur primogenitus in Scriptura qui aperit vulvam, id est, qui primus nascitur, sive alii sequantur, sive non, ut clare videtur in lib. Num. xviii, 15: unde intra mensem redimendus erat, et non expectabatur an alii nascerentur.

Quæritur an et quibus mysterium Incarnationis innotuerit ante Christum.

R. 1º. Probabile videtur Deum illud revelasse Adamo, promittendo illi Redemptorem his verbis, Gen. iii, 15: *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum.* In hebræo et samaritano habetur, *et ipsum*, id est, semen ejus, conteret caput tuum: eodem modo legerunt SS. Irenæus, Cypria-

nus, Hieronymus ac plures alii: at illa verba, supposita Incarnatione, optime intelliguntur, et, seclusa Incarnatione, valde obscura sunt. Ergo.

R. 2º. Probabilius adhuc videtur Patriarchas et præsertim Prophetas mysterium istud, saltem quoad substantiam, cognovisse; nam Deus, iterum prænuntians Messiam, dicit Abraham, Isaac et Jacob: *Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*, Gen. xxii, 18, etc., *Non dicit: Et seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno: Et semini tuo qui est Christus*, inquit B. Paulus, Galat. iii, 16.

Prophætæ autem multa valde dilucida prædixerunt de Christo venturo, ut ostendimus in Tractatu *de vera Religionem*: saltem præsumendum est illos intellexisse quæ prænuntiabant: at plurimæ eorum locutiones recte intelligi nequeunt, nisi admissa Incarnatione. Ergo.

R. 3º. Nihil probat vulgus Judæorum veram habuisse notitiam Incarnationis, etiam quoad substantiam; silent enim circa hoc factum Scriptura et traditio. Certum est tamen eos promissum Salvatorem, et ministerio ejus novum fœdus Dei cum hominibus expectavisse: quid autem circa naturam hujus Salvatoris, quem vocabant Messiam, sciverint, nescimus; probabile est quod, traditionibus et publicis documentis instructi, crediderint, saltem modo confuso, eum speciali ratione cum Deo unitum fore. Nihil ultra determinare possumus.

R. 4º. Fuerunt inter Gentes qui aliquam Incarnationis habuerunt notitiam; quod probatur 1º exemplo Balaam qui, Num. xxiv, 17, doctrinam Altissimi, ut ipse ait, prænuntians, hæc habet: *Videbo eum, sed non modo: intuebor illum, sed non prope. Orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israel*; et Job qui, xix, 25, dicit: *Scio quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum, et in carne mea videbo Deum meum: in carne quippe sua Deum videre non potest nisi incarnatum*; 2º testimonio plurimorum Patrum et doctorum qui, ut S. Aug. de Civit. Dei, lib. 18, c. 47, opinantur Christum, Dei et hominum mediatorem, pluribus inter gentes revelatum fuisse; 3º traditionibus in Oriente sparsis, quæ

videntur dogmati nostro aliquo modo suffragari; sic, v. g., tenetur apud Indos Deum *Vichnou* pluries humanitatem induisse, *Journal asiatique*, t. IV, p. 9, etc. *Ann. de Phil. chrét.*, passim; 4^o juxta plures, possibilitate salutis apud Gentes sicut apud Judæos; ut certum enim docetur salutem semper fuisse possibilem apud Gentes: at possibilis non fuit nisi mediante fide in Christum venturum. Ergo.

Cum autem S. Thomas alique dicant fidem explicitam non fuisse necessariam, sed tantum fidem implicitam qua crediderint *Deum esse liberatorem hominum*, secundum modos sibi placitos, S. Th. 2 2, q. 2, art. 7, ad 3^{um}, ex hac quarta ratione recte concludi non potest veram incarnationis notitiam exstitisse.

Impossibile est ergo determinare quid præcise noverint homines, ante Christum, de tanto et tam salutari mysterio. Nunc vero grati et lætantes dicere debemus cum Apostolo, I Tim. III, 16: *Manifeste magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.*

CAPUT SECUNDUM.

DE NATURA INCARNATIONIS.

Plures, admissa Verbi divini Incarnatione, in illa explicanda graviter errarunt, alii volentes duas in Christo fuisse personas, alii unicam naturam, et alii unicam voluntatem. Ecclesia autem catholica docet unicam esse personam, duas naturas et duas voluntates in Christo. Agemus itaque in hoc capite, 1^o de unitate personæ in Christo, 2^o de duplici ejus natura, et 3^o de duplici illius voluntate.

ARTICULUS PRIMUS.

DE UNITATE PERSONÆ IN CHRISTO.

Nestorius, primo monachus, deinde presbyter Antiochenus, et anno 428, ob famam eloquentiæ et sanctitatis,

patriarcha Constantinopolitanus creatus, docuit 1^o beatam Mariam non esse *θεοτόκον*, id est Deiparam; quia Verbum divinum naturæ humanæ non erat unitum hypostatice, sed tantum moraliter, fere sicut vir sanctus Deo unitur; 2^o in Christo duos esse filios Dei, unum naturalem, scilicet Verbum æternum, et alterum adoptivum, nempe filium Mariæ; 3^o admittendam non esse communicationem idiomatum, id est legitime dici non posse, *Deus natus est, passus est, mortuus est*, etc.

Quidam Dorotheus episcopus, et Anastasius presbyter, Nestorii familiares, hos errores propalare cœperunt in concionibus publicis, eo præsentem nec contradicentem, imo approbante et confirmante. Plebs christiana horrore commota est, tales audiendo blasphemias.

Nascentes errores fortiter oppugnavit S. Cyrillus, patriarcha Alexandrinus, eosque Romam detulit, ad Cælestinum I, summum pontificem, qui, synodo coacta, eos damnavit, atque jussit ut Nestorius sententia excommunicationis et depositionis ministerio Cyrilli percuteretur, nisi intra decem dies impia dicta retractaret, quod recusavit.

Mandatum exsecutus est Cyrillus, et sententiam reo denunciavit epistola in concilio episcoporum Ægypti exarata, qua duodecim anathematis ei proponebat subscribendos.

Nestorius, superbia tumens, subscribere noluit, sed, e contra, anathematis anathematis Cyrilli opposuit, contendens eos Apollinaristarum erroribus esse plenos, quod Joanni, patriarchæ Antiocheno, Theodoreto, episcopo Cyrensi, aliisque pluribus episcopis Orientalibus persuasit, atque Theodosium Juniorem, imperatorem, adversus Cyrillum exacerbavit. Concilium œcumenicum postulavit quod jam petierant catholici.

Sub Theodosio igitur imperatore, coadunata est synodus Ephesina, tertia generalis, die Pentecostes, anno 431, in qua damnatus ac depositus fuit Nestorius, et Theodosius eum postea relegavit Oasim, in Ægypto, ubi miserime mortuus est. Sed res non sic composita est: exci-

videntur dogmati nostro aliquo modo suffragari; sic, v. g., tenetur apud Indos Deum *Vichnou* pluries humanitatem induisse, *Journal asiatique*, t. IV, p. 9, etc. *Ann. de Phil. chrét.*, passim; 4^o juxta plures, possibilitate salutis apud Gentes sicut apud Judæos; ut certum enim docetur salutem semper fuisse possibilem apud Gentes: at possibilis non fuit nisi mediante fide in Christum venturum. Ergo.

Cum autem S. Thomas alique dicant fidem explicitam non fuisse necessariam, sed tantum fidem implicitam qua crediderint *Deum esse liberatorem hominum*, secundum modos sibi placitos, S. Th. 2 2, q. 2, art. 7, ad 3^{um}, ex hac quarta ratione recte concludi non potest veram incarnationis notitiam exstitisse.

Impossibile est ergo determinare quid præcise noverint homines, ante Christum, de tanto et tam salutari mysterio. Nunc vero grati et lætantes dicere debemus cum Apostolo, I Tim. III, 16: *Manifeste magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.*

CAPUT SECUNDUM.

DE NATURA INCARNATIONIS.

Plures, admissa Verbi divini Incarnatione, in illa explicanda graviter errarunt, alii volentes duas in Christo fuisse personas, alii unicam naturam, et alii unicam voluntatem. Ecclesia autem catholica docet unicam esse personam, duas naturas et duas voluntates in Christo. Agemus itaque in hoc capite, 1^o de unitate personæ in Christo, 2^o de duplici ejus natura, et 3^o de duplici illius voluntate.

ARTICULUS PRIMUS.

DE UNITATE PERSONÆ IN CHRISTO.

Nestorius, primo monachus, deinde presbyter Antiochenus, et anno 428, ob famam eloquentiæ et sanctitatis,

patriarcha Constantinopolitanus creatus, docuit 1^o beatam Mariam non esse *θεοτόκον*, id est Deiparam; quia Verbum divinum naturæ humanæ non erat unitum hypostatice, sed tantum moraliter, fere sicut vir sanctus Deo unitur; 2^o in Christo duos esse filios Dei, unum naturalem, scilicet Verbum æternum, et alterum adoptivum, nempe filium Mariæ; 3^o admittendam non esse communicationem idiomatum, id est legitime dici non posse, *Deus natus est, passus est, mortuus est*, etc.

Quidam Dorotheus episcopus, et Anastasius presbyter, Nestorii familiares, hos errores propalare cœperunt in concionibus publicis, eo præsentem nec contradicentem, imo approbante et confirmante. Plebs christiana horrore commota est, tales audiendo blasphemias.

Nascentes errores fortiter oppugnavit S. Cyrillus, patriarcha Alexandrinus, eosque Romam detulit, ad Cælestinum I, summum pontificem, qui, synodo coacta, eos damnavit, atque jussit ut Nestorius sententia excommunicationis et depositionis ministerio Cyrilli percuteretur, nisi intra decem dies impia dicta retractaret, quod recusavit.

Mandatum exsecutus est Cyrillus, et sententiam reo denunciavit epistola in concilio episcoporum Ægypti exarata, qua duodecim anathematis ei proponebat subscribendos.

Nestorius, superbia tumens, subscribere noluit, sed, e contra, anathematis anathematis Cyrilli opposuit, contendens eos Apollinaristarum erroribus esse plenos, quod Joanni, patriarchæ Antiocheno, Theodoreto, episcopo Cyrensi, aliisque pluribus episcopis Orientalibus persuasit, atque Theodosium Juniorem, imperatorem, adversus Cyrillum exacerbavit. Concilium œcumenicum postulavit quod jam petierant catholici.

Sub Theodosio igitur imperatore, coadunata est synodus Ephesina, tertia generalis, die Pentecostes, anno 431, in qua damnatus ac depositus fuit Nestorius, et Theodosius eum postea relegavit Oasim, in Ægypto, ubi miserime mortuus est. Sed res non sic composita est: exci-

tante Joanne Antiocheno, ingens tunc exortum est schisma quod diu totum conturbavit orbem christianum, et cujus reliquiae adhuc exstant in Oriente.

Ex unico capite fluunt cuncti errores Nestorii, nempe ex negatione unionis hypostaticae Verbi divini cum natura humana. Si enim Verbum moraliter tantum uniatur naturae humanae, dici non potest unicam esse personam in Christo, hominem esse Deum et Deum esse hominem, beatam Mariam esse matrem Dei, etc. Contraria vero parent, si unica sit persona in Christo.

Sequentia praenotanda sunt : 1° Verbum divinum est immutabile : incarnari igitur non potest nisi naturam humanam assumendo et sibi in unitate personae conjungendo. Ad hoc autem non requiritur ut inter utramque substantiam existat proportio entis ; sufficit proportio habitudinis. Haec enim unio, quae dicitur hypostatica seu personalis, nihil aliud est quam aetissima relatio, cujus natura nos fugit.

Illa relatio, quamvis non necessaria, nullam importat mutationem in Verbo ; nam Verbum divinum, ut pote infinitum et essentialiter in se subsistens ut persona, in dicta unione tenere non potest locum subjecti, quod imperfectionem argueret ; sed naturam humanam sibi assumit ac terminat, et, unione facta, unica subsistit persona Verbi. Verbum ergo recte dici non potest pars Christi, quasi Christus esset totum perfectius Verbo non incarnato.

2° Natura humana in Christo suam conservat integritatem, id est, omnes perfectiones suas essentielles, non autem suam personalitatem, et illam non amittit, nisi maximam acquirendo perfectionem sibi indebitam, videlicet aetissimam cum Verbo divino unionem. Utraque natura intelligit, vult, operatur, sed cuncti actus sunt personae et soli personae tribuuntur, quia, ut aiunt theologi, persona est principium quod, et natura humana est principium quo.

3° In quo praecise sita sit essentia unitatis personalis, et quomodo partes dignitatis totius personae fiant parti-

cipes, non intendimus explicare : in hoc altissimum existere mysterium nobis inscrutabile libenter fate-mur. At factum non est dubium. Nonne absolute de eodem individuo, v. g., de Petro ex duplici substantia coalescente, merito dicitur : Est liber, intelligens, doctus, bonus, parvus, altus, speciosus, deformis, aegrotus, mortuus, etc. ? Ergo.

Supposita unione hypostatica inter naturam divinam et naturam humanam in Christo, cum ipse sit simul Deus et homo, in sensu vero et reali dici potest : Deus ex Maria natus, vixit, passus, crucifixus, mortuus est, resurrexit, etc.

Nobis igitur probandum est 1° unicam esse personam in Christo, 2° beatam Mariam esse matrem Dei, et 3° admittendam esse communicationem idiomatum.

PROPOSITIO PRIMA.

Unica est persona in Christo, quae est persona Verbi divini, humanitatem complens et perficiens.

Prob. Illa propositio tenenda est, quae est de fide, probatur Scriptura sacra, SS. Patrum testimoniis et rationibus theologicis : atqui talis est propositio nostra.

1° *Est de fide.* Definita est enim in tribus conciliis generalibus, nempe in Ephesino, anno 431 ; in Chalcedonensi, anno 451 ; in Constantinop. II, anno 553, et expresse habetur in Symbolo S. Athanasii, his verbis : « Unus omnino, non confusione substantiae, sed unitate » personae. Nam sicut anima rationalis et caro unus » est homo, ita Deus et homo unus est Christus. » Ergo 1°.

2° *Probat Scriptura sacra.* Joan. I, 14 : *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Unde, vel caro factum est per unionem hypostaticam, vel per unionem moralem, vel per conversionem aut commixtionem suae naturae in naturam humanam : alii modi excogitari non possunt. Atqui duo posteriora dici nequeunt : 1° non per

unionem moralem ad sensum Nestorii, id est, per dilectionem, per gratiam, aut per inhabitationem sicut in templo; alioquin dici posset Verbum fieri Petrum, quia Deus eum diligit, in illo per gratiam operatur et inhabitat, quod evidenter est absurdum: ergo; 2° non per conversionem suæ naturæ in naturam humanam, aut per aliquam cum illa commixtionem, quia divina natura sic mutari non potest. Ergo.

Philip. II, 6: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinaniavit, formam servi accipiens.* Hic exprimitur Deus et homo: atqui tamen unica est persona quæ simul est æqualis Deo, et formam servi accipit. Aliunde si Verbum, de quo hic agitur, moraliter tantum naturæ humanæ uniretur, non se exinaniasset, nec formam servi accepisset. Quis dicet Deum se exinaniasse et formam servi accepisse, quia diligit Petrum et in illo per gratiam inhabitat? Ergo.

3° *SS. Patrum testimoniis.* S. Irenæus, adversus Hæres. I. 3, cap. 16, n. 2: «*Unum et eundem esse Verbum Dei, et hunc incarnatum pro salute nostra, Jesum Christum Dominum nostrum.*»

S. Ambros., I. de Incarnat., c. 5, n. 35: «*Non alter ex Patre et alter ex Virgine, sed idem aliter ex Patre, aliter ex Virgine.*»

S. Aug., Tract. 59 in Joan., n. 18: «*Anima et caro Christi cum Verbo Dei una persona est, unus Christus est.*» Alios omittimus: sunt unanimis. Ergo 3°.

4° *Rationibus theologicis.* Videlicet, 1° Christus sæpe vocatur Deus; atqui dici non posset Deus, si unio inter Verbum et naturam humanam esset tantum moralis: numquid Petrus recte dici potest Deus, quia Deus eum diligit et cum illo habitat? 2° Christo tribuuntur tanquam uni personæ proprietates Dei et hominis; dicitur homo, filius hominis, etc., et simul Deus; nascitur, laborat, orat, jejunat, crucifigitur, moritur et aliunde Deum vocat Patrem, antequam Abraham fieret existit, iudicaturus est mundum, etc.: atqui hæc unitatem per-

sonæ evidenter supponunt: ergo. 3° In systemate Nestorii, efficacia redemptionis destrueretur: vel enim redemptio tunc personæ Verbi, vel personæ humanæ tribueretur: atqui neutrum dici posset; non prius, quia natura divina satisfacere non potest; non posterius, quia satisfactiones non essent pretii sufficientis, ut pote finiti. 4° Sacramentum Eucharistiæ evanesceret, præcipua enim virtus ejus ex conjunctione hypostatica humanitatis cum divinitate deducitur. 5° Inde sequeretur totam Ecclesiam in idololatriam lapsam esse; adorat enim Christum ex Maria natum: at Christus ex Maria natus, purus esset homo: ergo. 6° Non solum Verbum incarnatum esset, sed et duæ aliæ personæ sanctissimæ Trinitatis; nam vi circuminsessionis, ubi una est persona per externam operationem, ibi sunt aliæ: ergo 4°, etc.; aliunde, etc. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Christus humanitatem suam appellat templum: *Solvite templum hoc, et in triduo excitabo illud.* Joan. II, 19. Ergo Filius Dei habitat in Christo sicut in templo. Ita Nestorius.

R. 1°. *Nego ant.* Christus enim non humanitatem suam, sed corpus tantum vocat templum Dei, *ut ex versu 21 patet*: at Nestoriani non consensissent corpus Christi esse personam: ergo.

R. 2°. *Dist. ant.* Christus appellat humanitatem suam templum, sensu quodam sublimi, *concedo*; sensu Nestorii, *nego ant.* Etenim, cum plenitudo divinitatis habitet corporaliter in Christo, ut ait Apost., Coloss. II, 9, dici potest Christum esse templum Dei, nempe propter unionem hypostaticam; nihil vero indicat hæc verba ad sensum Nestorii detorquenda esse, quasi Filius Dei moraliter tantum habitaret in Christo. Ergo.

Obj. 2°. S. Aug., de Civitate Dei, I. II, cap. 2, ait: «*Ipsa veritas, Deus, Dei Filius, homine assumpto, non Deo consumpto, eandem constituit atque fundavit*

» fidem; » plures alii Patres eodem sensu loquuntur. Unde sic : Assumere hominem est assumere personam. Ergo.

R. Nego antecedens ad sensum objecti. S. Aug. enim aliique Patres per hominem quem Filius Dei assumpsit non intellexerunt personam, sed humanitatem; quod patet ex variis eorum testimoniis et sæpe ex ipsometextu; v. g., S. Aug., in loco citato, expresse dicit Christum esse simul Deum et hominem. Ergo.

Similiter plures sancti Patres vocaverunt Christum hominem *theophorum*, id est Deiferum, hominem deificatum, hominem dominicum, etc. Verum, cum illæ locutiones sint æquivocæ et sensu catholico optime intelligantur, quatenus scilicet humanitas in Christo fert Deum sibi hypostatice unitum, et sub hoc respectu est deificata, dominica, etc., nihil ex illis legitime concludere poterant Nestoriani. Patres autem qui ante exortos Nestorii errores scripserunt, a talibus non præcavebant æquivocis, quia illarum non prævidebant abusum; qui vero postea scripserunt, accuratioribus communiter usi sunt verbis. Ergo.

Obj. 3^o. S. Chrysost., Homilia 3 in Epist. ad Hebr., 1, 8, dicit hic Apostolum et « Judæos, et Pauli Samosatemi » assecclas, et Arianos, Marcellumque et Sabellium, et » Marcionem feriisse. Quomodo hoc fecit? Judæos quidem, ostendens duas personas et Deum et hominem. » Ergo duæ sunt personæ in Christo.

R. Nego conseq. Nam 1^o textus S. Chrysost. diverso modo intelligitur; vel ad significandum, contra Judæos, duas esse personas in Deo, ostendens scilicet Filium esse Deum; vel ad exprimendum Christum esse Deum, monstrando duo existere in illo, videlicet Deum et hominem, id est humanitatem. 2^o S. Chrysost. nunquam habitus est ut hæresis Nestorianæ fautor. 3^o Alibi unitatem personæ Christi expressis verbis agnovit, v. g., in Epist. ad Cæsarium : « Pium et valde pium Christum confiteri in » divinitate perfectum et in humanitate perfectum; non » alterum et alterum : absit; sed unum et eundem Do-

» minum Jesum, Deum Verbum, carne nostra amictum. » Ergo.

Obj. 4^o. Verbum divinum est immutabile : at hypostatice naturæ humanæ uniri non potest quin mutetur : ergo.

R. Nego min. Unio enim hypostatica in eo consistit quod Verbum divinum, idem in se permanens, naturam humanam sibi assumat : ergo tota mutatio est in natura humana quæ perficitur.

Inst. 1^o. Posita Incarnatione seu unione hypostatica, Verbum fuit homo, quod antea non erat : ergo veram subiit mutationem.

R. Nego conseq. Ille enim veram non subit mutationem, qui nihil intrinsece perdit nec acquirit : atqui Verbum, naturam humanam assumendo, nihil intrinsece perdit aut acquirit : ergo.

Inst. 2^o. Per unionem hypostaticam Verbum intrinsece fit homo : ergo proprie dictam subiit mutationem.

R. Dist. ant. Verbum intrinsece fit homo, id est, naturam humanam in unitate personæ vere assumit, *concedo*; eam velut modum in se suscipit, *nego ant.* Eadem semper recurrit solutio. In quo præcise unio hypostatica consistat, quæ sit ejus natura, definire non intendimus; sed, ex documentis fidei, nullam importat mutationem in Verbo. Ergo.

Inst. 3^o. Admissa Incarnatione, Verbum est pars Christi ex duplici natura coalescentis : atqui pars minus perfecta est quam totum : ergo.

R. Nego maj. Posita enim Incarnatione, Christus non est præcise aliquid ex divinitate et humanitate coalescens, sed ipsum Verbum, quatenus humanam naturam sibi personaliter assumpsit. Unde S. Aug. contra Maximum, lib. 1, cap. 10 : « Christus una persona est geminæ » substantiæ, quia et Deus et homo est. Nec tamen Deus » pars hujus personæ dici potest. » Ergo.

Inst. 4^o. Unio inter mentem et corpus utrumque perficit : ergo et unio inter Verbum et naturam humanam.

R. Nego conseq. et paritatem. Ratio disparitatis est

quod mens et corpus sint substantiæ incompletæ, ad se invicem destinatae, quæ proinde conjunctæ totum efficiunt completum et perfectius: Verbum autem ab æterno fuit totum completum, ad naturam humanam minime destinatum. Ergo.

Inst. 5º. Ubi est Filius, ibi sunt duæ aliæ personæ, propter mirabilem circuminsessionem: ergo Filius hypostaticè uniri non potest cum natura humana, quin Pater et Spiritus sanctus illi simul uniantur; quod tamen fidei catholiçæ adversatur.

R. Nego conseq. Nam Filius a Patre et Spiritu sancto realiter est distinctus: ergo, licet Pater et Spiritus sanctus cum illo sint ubique, ratione divinitatis, non repugnat illum solum personaliter uniri naturæ humanæ.

Inst. 6º. Incarnatio, in opinione catholicorum, est naturæ divinæ et naturæ humanæ personalis conjunctio: ergo tribus personis eandem naturam divinam habentibus communis esse debet.

R. Dist. ant. Est naturæ divinæ et naturæ humanæ conjunctio in persona Verbi, *concedo*; absolute, *nego ant.* Etenim divinitas spectari potest absolute, abstrahendo a personis et relative ad unamquamque personam: si cum humana natura absolute conjungeretur, hæc unio tribus personis esset communis: sed fides catholica docet unionem istam in sola Filii persona existere. Ergo.

Inst. 7º. Cuncta opera Dei externa tribus personis sunt communia; at Incarnatio est opus Dei externum: ergo.

R. Dist. min. Est opus Dei externum, si spectetur in actu efficiente, *concedo*; si spectetur in actu formali, *nego min.* Fatentur quidem catholici actionem formandi naturam humanam, eamque Verbo divino uniendi, esse opus Dei externum tribus personis commune: at simul contendunt hanc unionem semel factam, seu formaliter spectatam, personæ Verbi esse propriam. Unde sequitur divinitatem personæ Verbi terminatam, seu personam Verbi naturam humanam sibi assumptam regere ut suam, quod aliæ personæ divinæ non faciunt. Ergo.

Inst. 8º. Si hæc unio Verbo sit propria, sequitur Ver-

bum aliquid habere quod duæ aliæ personæ non habent: atqui hoc repugnat: ergo.

R. Dist. maj. Sequitur Verbum aliquid habere, etc., quo non perficitur, *concedo*; quo perficitur, aut mutatur, *nego maj.* *Distinctio liquet ex dictis.*

Cæterum, non contendimus unionem Verbi cum natura humana captum mentium nostrarum non superare; docent e contra omnes catholici altissimum in illa versari mysterium fide credendum et adorandum, non vero temere scrutandum.

Obj. 5º. Humanitas in Christo suam amittere non debuit subsistentiam: ergo duæ sunt personæ in illo.

R. Nego ant. Persona enim est substantia totalis et completa: at humanitas in Christo Verbo divino unita, jam non est substantia totalis et completa, sed pars Christi, et a persona Verbi terminatur, completur et perficitur: ergo propriam non habet subsistentiam.

Inst. Subsistentia seu personalitas est perfectio: at humanitas in Christo est perfecta: ergo sua subsistentia seu personalitate carere non debet.

R. 1º. Multi negant subsistentiam esse perfectionem in se; constituitur enim per negationem conjunctionis cum alia substantia perficiente: atqui talis negatio propriam non constituit perfectionem: *ergo.*

R. 2º. Nego conseq. Etsi enim personalitas vera esset perfectio in se, humanitas eam amittendo in Christo non minus perfecta esset, siquidem non nisi accedente majori perfectione hoc fieret. Ergo.

Obj. 6º. Si persona Verbi et humanitas hypostaticè uniantur, dicere licebit, *Unus de Trinitate passus est*: atqui hæc propositio ab Hormisdæ papa damnata est: ergo.

R. Nego min. Hormisdas enim hanc propositionem non damnavit ut malam vel aliquid mali continentem, sed temeritatem quorundam Scythiæ monachorum hanc loquendi formam definitioni concilii Chalcedonensis inserere volentium repressit, contendens eam intempestivam esse et nullius utilitatis. Cæterum Ecclesia præfata

locutione usa est in concilio Constantinopolit. II, quinto generali, can. 4 et 10.

De illa docte disseruit cardinalis *Noris*, in opere inscripto : *Dissertatio de uno ex Trinitate passo*; et in altero dicto : *Apologia monachorum Scythiae*.

Notandum est nonnullos Calvinistas, quibus ascribendi sunt *Bayle* incredulus, *Richardus Simon* et *Dupin*, auctores catholici, sed a paradoxis et temerariis opinionibus non satis alieni, confitentes cum catholicis unicam esse personam in Christo, causam Nestorianorum defendisse; dicebatur enim 1° Nestorium non docuisse errores ipsi imputatos; 2° controversiam inter illum et S. Cyrillum fuisse tantum de verbis; 3° concilium Ephesinum non fuisse œcumenicum, saltem in prima actione in qua damnatus est Nestorius, quia legati summi Pontificis nondum advenerant, Joannes, Antiochenus patriarcha, multi alii episcopi et ipse Nestorius aberant; 4° iudicium ejus non fuisse canonicum, quia Nestorius absens, nec vocatus, damnatus est, et quia consensus patrum per vim a Cyrillo et Memnone Ephesino, Nestorii oppressoribus, illatam extortus est.

At quisquis est bonæ fidei et solius veritatis amans, his rationibus non commovebitur. Etenim concilium Ephesinum ab omnibus Ecclesiis catholicis semper habitum est ut œcumenicum, etiam in prima actione; tunc S. Cyrillus illi, nomine summi Pontificis, præerat, et legati, post suum adventum, quidquid jam actum erat probaverunt, Nestorius ter fuit vocatus, et venire recusans, ex propriis scriptis et ex quorundam episcoporum depositione, fuit damnatus. Patres erant numero ducenti. Quis credet vim ipsis per Cyrillum et Memmonem illatam fuisse? Si res ita sit, quid ergo faciebat comes Candidianus, ab imperatore præpositus et copiis sufficientibus munitus ut pacem concilii foveret? Quomodo patres ad proprias Ecclesias reversi, contra violentiam sibi factam non reclamassent?

Non magis credibile est tot episcopos sanctos et doctos

veram Nestorii doctrinam non intellexisse, et illum injuste opprimentes, propter quædam verba tantum æquivoca, anathemate sic percussisse. Ergo.

PROPOSITIO SECUNDA.

Beata Maria est vere mater Dei.

Prob. Propositio est de fide, probatur Scriptura sacra, traditione et ratione.

1° *Est de fide*; clare enim continetur in Symbolis fidei, in quibus dicitur Jesum Christum, Filium Dei, ex Maria natum esse; et expresse definita fuit in concilio Ephesino, can. 1 : « Si quis non confitetur Deum esse veraciter Emmanuel, et propterea Dei genitricem sanctam Virginem; anathema sit. » Ergo.

2° *Probatur Scriptura sacra.* Luc. I, 35 : *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Ibid. 43 : *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?* et Gal. iv, 4 : *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere.* Unde sic : Filius Dei natus est ex Maria, factus est ex Maria; ergo Maria vere est mater Filii Dei. Porro Filius Dei est Deus, ut probavimus. Ergo.

3° *Traditione.* Unanimes sunt Patres, saltem a concilio Ephesino: quædam igitur solum referemus testimonia Patrum ante hoc concilium existentium. S. Ignatius mart., Epist. ad Ephes., n. 18; Cotel., t. II : « Deus noster Jesus Christus in utero gestatus est a Maria. » S. Iræneus, adversus Hæres., lib. 3, cap. 20, n. 10 : « Verbum existens ex Maria quæ erat virgo. »

S. Athanasius, Oratione 3 contra Arianos, docet Scripturam duo de Salvatore nostro demonstrare, « illum scilicet Deum semper fuisse... ipsumque postea, propter nos, carne ex virgine Deipara Maria assumpta, hominem factum esse. » Ergo 3°.

4° *Ratione.* Quidquid de naturis in Christo affirmatur personæ ejus merito tribuitur, cum ex duplici substantia unica sit persona : at B. Maria humanam Christi na-

turam vere genuit; merito igitur vocatur Mater Christi qui est Deus, ac proinde Mater Dei. Ergo, etc.; aliunde, etc. Ergo, etc.

Solvuntur objectiones.

Obj. Beata Maria non peperit divinitatem: ergo improprie dicitur mater Dei.

R. Nego conseq. Ut enim sit mater Dei, sufficit quod ortum dederit homini qui recte dicitur Deus: atqui res ita se habet, *ex dictis*: ergo.

Inst. 1°. Mulier quæ peperit filium recte dicitur mater ejus, licet solum genuerit corpus; sed dici non potest mater animæ, quam nullo modo genuit: ergo *a pari* Maria dici potest mater Christi, seu *χριστοτόκος*, ut aiebat Nestorius, non vero mater Dei.

R. Nego conseq. et paritatem. Ratio disparitatis est quod anima in homine, sejuncta a corpore, non sit persona, sed tantum pars substantiæ completæ: unde quæ corporis propria sunt, de anima prædicari nequeunt: contra vero Verbum est persona independentem ab humanitate, quam perficit in Christo, suam personalitatem divinam retinens: quæ igitur humanitatis sunt de persona divina rectissime prædicantur. Ergo.

Hinc sequitur matrem non necessario esse consubstantialem Filio sub omni respectu.

Inst. 2° cum Nestorio. Si beata Maria dicatur mater Dei, excusabuntur gentiles qui matres diis suis tribuunt. Ergo.

R. Nego ant. Gentiles enim duplicem non admittebant naturam in diis suis, unam humanam et alteram divinam. Non ergo eodem sensu matres diis suis tribuebant, quo dicimus beatam Mariam esse Dei genitricem. Ergo.

Non taceamus igitur gloriosum beatæ Mariæ titulum, propter periculum simplices scandalizandi: doceamus eos sanctæ Incarnationis mysterium, et omnes recte nobiscum dicent: *sancta Maria, mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc et in hora mortis nostræ.*

ARTICULUS SECUNDUS.

DE DUPLICI IN CHRISTO NATURA.

Eutyches, presbyter Constantinopolitanus et archimandrita, Nestorii errores fortiter insequens, in oppositam lapsus est hæresim, circa annum 448, docuitque sicut unam personam, ita et unam naturam esse in Christo. Juxta ipsum, natura divina remanebat integra, sed humana in divinam erat conversa, vel ab illa absorpta, sicut aquæ gutta absorbetur in mari. Ante Incarnationem, duæ naturæ erant distinctæ; sed, Incarnatione peracta, ex utriusque confusione unica facta est. Quo autem sensu hæc confusio admittenda esset novator clarius explicare noluit.

Flavianus, patriarcha Constantinopolitanus, concilium viginti et novem episcoporum coadunavit, anno 448, Eutychen pluries vocavit, et venire recusantem damnavit ac sacerdotio spoliavit. S. Leo, summus pontifex, concilium istud approbavit, et egregiam de Incarnatione et Eutychetis errore epistolam ad Flavianum scripsit.

Eutyches aulicos imperatoris sibi conciliavit, et obtinuit ut causa sua in novo concilio examinaretur. Sub Theodosio convocatum ergo fuit concilium Ephesinum, in quo centum et triginta novem episcopi et duo legati summi Pontificis sederunt, anno 449.

Dioscorus, patriarcha Alexandrinus, illi præfuit, et comitibus aulicis fretus, inaudita usus est violentia: omnia acta sunt per fas et nefas, ita ut concilium istud vocatum fuerit *latrocinium Ephesinum*. Summus Pontifex illud in synodo Romana reprobavit, et Dioscorum excommunicavit. Sub Marciano, Theodosii successore, rogante Pulcheria, uxore sua, generale indictum fuit concilium Chalcedoni, pro anno 451, in quo saltem quingenti et viginti aderant episcopi, juxta *Tillemont*, t. xv, et tres legati S. Leonis. In eo damnatus est Eutyches, impia declarata sunt acta *latrocinii Ephesini*, Dioscorus

fuit depositus atque e sede sua dejectus, et epistola B. Leonis ad Flavianum laudata fuit et approbata.

Post concilium Chalcedonense, hæresis Eutylichiana penitus non fuit exstincta, sed sub imperatoribus, qui modo illi favebant, modo adversabantur, varias subiit sortes, diu mundum turbavit, et etiam nunc in Abyssinia, Æthiopia aliisque Orientis partibus plures habet assecclas.

In duas præcipue sectas divisi sunt Eutylichiani, quarum prior dicta fuit *Theopaschitarum*, qui tenent divinitatem in quam humanitas conversa est, passam esse; et posterior *Acephalorum*, id est sine capite; quia, cum Moggum, pseudo-patriarcham Alexandrinum, secuti fuissent, ab eo postea recesserunt, nec alium agnoverunt, donec, versus medium sæculi sexti, quemdam eligerent Jacobum a quo vocati sunt *Jacobitæ*, quod nomen omnibus Eutylichianis nunc exstantibus commune est.

Adversus Eutylichianos scripserunt Theodoretus, episcopus Cyrensis, Vigilus, episcopus Tapsensis, Gelasius papa et multi alii quos indicat Leontius, auctor Græcus in fine sexti sæculi existens, cujus opera referuntur in Bibliotheca Patrum, t. ix.

PROPOSITIO.

Due sunt in Christo naturæ distinctæ et integræ, divina scilicet et humana.

Prob. Hæc propositio est de fide catholica, et probatur Scriptura sacra, SS. Patrum testimoniis et rationibus theologiceis.

1^o *Est de fide.* Concilium enim generale Chalcedonense definivit, actione quinta, « unum eundemque Christum... in duabus naturis, inconfuse, indivise, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter unionem, magisque salva proprietate utriusque naturæ. » *Labbe*, t. iv.

In Symbolo S. Ath. Christus dicitur « perfectus Deus

» et perfectus homo; unus, non confusione substantiæ, » sed unitate personæ. » Ergo 1^o.

2^o *Probatur Scriptura sacra.* Christus dicit de seipso apud Joan. x, 30: *Ego et Pater unum sumus*: en unitas naturæ cum Deo Patre; et ibid. xiv, 28: *Pater major me est*: en manifeste natura humana: ergo duplex est natura in Christo, divina et humana.

Ad Philip. ii, 6: *Qui (Christus) cum in forma Dei esset... exinanivit semetipsum, formam servi accipiens.* Christus habet igitur formam Dei et formam hominis: atqui hæc in illo conciliari non possunt, nisi ratione duplicis naturæ: ergo 2^o.

3^o *Probatur SS. Patrum testimoniis.* S. Ignatius martyr, Epist. ad Eph.: « Medicus unus est, et carnalis et » spiritualis, genitus et ingenitus, seu factus et non factus... ex Maria et ex Deo; » Cotel., t. ii.

S. Greg. Naz., in Carmine 2, quod est de Virginitate: « Deus et mortalis in orbem venit, naturam duplicem » complexus in unum... Deitati beatæ junctus homo, » deitasque homini simul addita Christus. »

S. Hilarius, de Trinitate, lib. 9. n. 3, ait: « Vera » fides est Deum et hominem prædicare, Verbum et carnem confiteri. » Atqui hæc testimonia, ante Eutylichem scripta aliæque multa quæ referri possent, duplicem naturam in Christo ostendunt: ergo 3^o.

4^o *Probatur ratione theologica.* Si enim ex natura divina et ex natura humana unica facta esset natura in Christo, vel quia natura divina absorbuisset humanam, vel quia in eam conversa fuisset, vel quia ex utriusque permixtione et confusione tertia exstitisset, neutra manente integra; vel denique quia divinitas et humanitas, sine commixtione, in novam coaluissent naturam, sicut homo ex anima rationali et corpore conflatur: atqui nihil horum dici potest.

1^o *Dici non potest* naturam humanam a divinitate fuisse absorptam. Nam 1^o natura sic absorpta jam non existeret; consequenter Christus non esset homo. 2^o Christus pro nobis satisfacere non potuisset, siquidem ut homo

tantum, non vero ut Deus, nasci, pati, crucifigi, mori et satisfacere potuit, sicque mysterium redemptionis everteretur. 3^o Beata Maria proprie dici non posset mater Dei, quod tamen fateri volebant Eutychniani. Ergo 1^o.

2^o *Dici non potest* naturam divinam in humanam fuisse conversam, cum divinitas sit immutabilis.

3^o *Nec pariter*, et propter eandem rationem, *dici potest* ex commixtione utriusque naturæ tertiam coaluisse, neutra manente integra.

4^o *Similiter dici nequit* unicam naturam, compositam ex divinitate et humanitate manentibus integris, esse in Christo: ad id quippe requireretur ut utraque natura ante unionem fuisset incompleta, et ad se invicem tenderent seque mutua coadunatione perficerent, sicut corpus et anima in homine: at divinitas et humanitas ea ratione ad se non tendunt, nec utriusque conjunctione divinitas perficitur: non valet igitur comparatio: ergo, etc.; aliunde, etc. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1^o. Hæc verba, *Verbum caro factum est*, veram indicant mutationem in Verbo. Ergo.

R. Nego ant. Veram enim mutationem non indicant necessario, si alio sensu obvio intelligi possint: atqui alio sensu obvio intelligi possunt, nempe de externa accessione quæ Verbo nihil addat vel detrahat. sed tantum novam denominationem novasque functiones illi tribuat: assumendo enim naturam humanam, Verbum idem in se remanet, et tamen habet carnem: ergo, licet mutationem quoad suam naturam non subierit, aliquo sensu tamen factum est caro, et hoc legitime dicitur, sicut de homine dici potest, *factus est presfectus*.

Aliquando tamen verbum *feri* indicat mutationem, ut in hoc exemplo, *ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam*; genuinus autem ejus sensus judicatur ex adjunctis: porro mutatio in natura Verbi est absurda: ergo.

Sic pariter, quando Apostolus dixit: *Exinanivit semetipsum, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo*, Philip. II, 6, non mutationem in Verbo expressit, sed hypostaticam ipsius unionem cum humana natura, qua, licet Deus, vere fuit homo, aliis hominibus similis: hæc verba magnitudinem mysterii incarnationis nobiliter exprimunt, et naturarum distinctionem supponunt, *ut in probatione propositionis ostendimus*, nedum Eutychnianorum hæresi faveant.

Obj. 2^o. In Symbolo S. Athanasii legitur: « Sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus. » Hanc comparisonem sæpe adhibent sancti Patres: ergo ex divinitate et humanitate unica fit natura composita in Christo.

R. Nego conseq. et paritatem. Comparationes enim non urgendæ sunt ultra sensum ad quem adhibitæ sunt: porro Symbolum S. Athanasii et sancti Patres prædictam adhibuerunt comparisonem ad ostendam unitatem personæ in Christo, quod sic exprimit S. Aug., Epist. 137, n. 44: « Sicut in unitate personæ anima unitur corpori » ut homo sit, ita in unitate personæ Deus unitur homini » ut Christus sit. » Ergo nihil ultra concludi potest.

Notandum sanctos Patres, contra Nestorianos disputantes, ante exortam Eutychnianorum hæresim, sæpe usos fuisse verbis et locutionibus ad significandam utriusque naturæ conjunctionem in unitate personæ idoneis, quibus postea abstinerunt et abstinendum jussurunt, propter illorum abusum: si ergo nobis occurrant voces *mixtura, commixtio*, aliæque similes, ne moveamur; sensu enim catholico intelligi possunt, ut in his S. Aug. verbis textum modo citatum immediate sequentibus: « In illa ergo persona (hominis), mixtura est » animæ et corporis; in hac persona, mixtura est Dei et » hominis; si tamen recedat auditor a consuetudine » corporum, qua solent duo liquores ita commisceri, ut » neuter servet integritatem suam. »

Si autem quidam Patres passim dixerint, ut S. Gregorius Nyssen., Oratione 4 contra Eunomium, humanita-

tem in Christo ad id quod divinum est assumptam esse, transformatam esse, etc., id intelligendum de dignitate, et hoc sensu verissimum est; quidquid enim hominis est in Christo, ratione unionis hypostaticæ, dignitatis Verbi divini participat, et recte dicitur, *Deum hominem, hominem Deum natum esse, passum esse*, etc.

ARTICULUS TERTIUS.

DE DUPLICI IN CHRISTO VOLUNTATE.

Gravibus dissidiis ex Nestorianismo et Eutychianismo in toto Oriente sæpe nascentibus nondum sedatis, nova exorta est hæresis, quæ vice sua per diu mundum turbavit, scilicet *Monothelismus*, a duobus verbis Græcis *μὸνος*, *unicus*, et *θέλησις*, *voluntas*, sic dictus. In eo consistit ut asseratur unicam esse in Christo voluntatem et operationem, licet duæ sint naturæ in unitate personæ conjunctæ. Sic ferme ratiocinabantur Monothelitæ: Ex definitionibus Ecclesiæ, contra Nestorianos, unica est persona in Christo: ergo unicum est principium actionis, vel unica *energia*, ut aiebant, siquidem actiones sunt suppositorum; non vero naturæ, nisi sit completa ac proinde suppositum.

Inde concludebant 1° humanitatem in Christo propriam non habuisse energiam, sed fuisse inanime instrumentum quo voluntas divina utebatur; 2° humanas actiones in Christo a sola divinitate per humanitatis organum vitaliter processisse, sicut motus ab anima nostra imperati et per corpus exerciti, sunt vitales; 3° humanas infirmitates, ut famem, sitim, etc., a divinitate pariter vitali modo procedere; 4° omnes actiones a divinitate per organum corporis procedentes, esse *theandricas* seu *deiviriles*, Dei scilicet et hominis simul participantes.

Fautores hujus hæresis fuerunt 1° Sergius, patriarcha Constantinopolitanus, circa annum 622, qui eam imperatori Heraclio instillavit; ei præerat quidam Theodorus

Pharanites; 2° Cyrus, patriarcha Alexandrinus, qui in conciliabulo anno 633 celebrato, statuit unicam esse operationem in Christo; 3° Heraclius imperator, qui anno 639 famosam promulgavit *Ectesim*, qui asserebat unicam esse operationem in Christo, et sic Patres sensisse; 4° Pyrrhus, Sergii in sede Constantinopolitana successor, qui in concilio suo *Ectesim* comprobavit; 5° Paulus, in eadem sedem, Pyrrho ob suspicionem criminis exsule, intrusus: eo excitante, Constans II imperator novum promulgavit edictum, anno 637, sub nomine *Typi* notissimum, quo præscribebat silentium circa unam aut duas voluntates in Christo; 6° mortuo Paulo, Pyrrhus sedem suam iterum occupavit; Petrus, qui ei successit, ejusdem doctrinæ fuit sectator; 7° Macarius, patriarcha Antiochensis, versus annum 648, cujus discipuli, Stephanus presbyter et Polychronius præstigiator, eandem hæresim fortiter propugnaverunt; 8° inter fautores Monothelismi a nonnullis annumeratur summus pontifex Honorius I, qui, a Sergio quasi circumventus, ei rescripsit epistolam, anno 643, qua, pacis amore, vetabat ne una vel duæ dicerentur voluntates in Christo; de illo disseremus infra.

Monothelismum impugnarunt 1° Sophronius qui ex monacho factus est patriarcha Hierosolymitanus; 2° S. Maximus, abbas, cujus exstat Dialogus cum Pyrrho; 3° Severinus papa, qui *Ectesim* reprobavit; 4° Joannes IV, qui eandem hæresim in synodo Romana damnavit; 5° Theodorus papa, qui Pyrrhum sententia excommunicationis et depositionis percussit; 6° Martinus I papa, qui in concilio Romano centum et quinque episcoporum hæresim Monothelitarum, simul cum *Ectesi* Heraclii et *Typo* Constantis, damnavit; ob quam causam a sede sua violenter avulsus, et in Chersonesam ab imperatore Constanti relegatus, ibi martyr occubuit. 7° Tandem sub Constantino Pogonato, id est *Barbato*, concilium generale indictum est Constantinopoli pro anno 608, cui præfuit Agalho summus pontifex per legatos suos, et quod successor ejus Leo II approbavit. In eo percussa est

hæresis et anathema dictum fuit præcipuis Monothelitis, inter quos numeratur Honorius papa.

Notandum in Christo utramque naturam, ut jam diximus, suas retinere proprietates essentielles, utramque igitur intelligere, velle, agere; sed quilibet actus personæ Verbi attribuntur, quia actus sunt personæ; natura enim divina non abstracte, sed quatenus persona Verbi terminatur, humanam sibi assumit naturam in unione hypostatica.

Ingens ergo datur discrimen inter humanitatem in Christo personæ Verbi unitam et pios homines Deo per amorem unitos et gratia ejus directos: hi enim concursu Dei adjuti, cum Deo agunt; verum actiones eorum, licet ad ordinem supernaturalem quandoque elevatæ, remanent humanæ. Quælibet vero actio Christi dicitur *theandrica*, id est, simul Dei et hominis, et una recte appellatur, quia unicæ Christi personæ legitime ac necessario tribuenda est. Theandrica autem actio in Christo existens, in nullo alio individuo, quantumvis sancto et operibus potente, existere potest, siquidem nulla alia existit persona simul Deus et homo.

Hinc constat non totam Trinitatem actiones *theandricas* operari, sed solam personam Verbi humanitati unitam. Sicut natura divina, solum quatenus Verbi personalitate terminata, unitur humanitati in Christo, sic etiam operatio divina in eo existit, non quatenus toti Trinitati communis, sed personæ Verbi propria et in eo quasi contracta.

Nunc sit

PROPOSITIO.

Duplex admittenda est in Christo voluntas et operatio distincta.

Prob. Illa propositio admittenda est, quæ est de fide, probatur Scriptura sacra, SS. Patrum testimoniis, et ratione: atqui talis est propositio nostra.

1º *Est de fide.* Definita enim fuit in sexta synodo ge-

nerali, Constantinopolitana III, contra Monothelitas, actione 4, in qua anathema dictum est nominatim Theodoro, Sergio, Pyrrho, Paulo, Petro, qui fuerunt novæ Romæ antistites, et Honorio qui fuit papa antiquæ Romæ. Ergo 1º.

Prob. Scriptura sacra. Matth. xxvi, 30: *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu*; Luc. xxii, 42: *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat*; Joan. v, 30: *Non quero voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me*: Joan. xi, 38: *Descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me*. Ude sic: Christus, ex textibus citatis, habuit voluntatem a voluntate Patris distinctam: atqui voluntatem Patris habebat ut Deus, quod Monothelitæ non negabant: ergo simul habebat voluntatem humanam. Philip. ii, 8: *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*; Hebr. v, 8: *Didicit ex iis quæ passus est obedientiam*. Unde sic: Christus vere fuit obediens: atqui obedientia ejus fuit actus voluntatis humanæ; fuit enim voluntas actus voluntatis humanæ, vel voluntatis divinæ: atqui voluntas divina obedientiæ proprie dictæ est incapax: ergo. Multi sunt alii Scripturæ sacræ textus qui in confirmationem ejusdem veritatis afferri possent, quos, brevitas causa, omittimus. Ergo 2º.

3º *Prob. SS. Patrum testimoniis.* Quædam tantum seligemus inter eos qui ante Monothelitarum errorem scripserunt. Athanasius, Orat. de Incarnat., n. 21, p. 2, ad hæc verba Christi, *Non mea voluntas, sed tua fiat*, ait: «Duas voluntates sibi ostendit: alteram humanam, quæ est carnis; alteram divinam, quæ Dei est.

S. Ambros. in Lucam, lib. 10, n. 59: «Quod autem ait: *Non mea voluntas, sed tua fiat*, suam ad hominem retulit, Patris ad divinitatem.» Ergo 3º.

4º *Prob. ratione.* 1º Christus, ex Scripturis, Symbolis fidei et conciliorum definitionibus, est perfectus homo: atqui non esset perfectus homo si non haberet voluntatem humanam. 2º Christus non sanavit in natura humana quod non assumpsit: atqui sanavit voluntatem

humanam : ergo eam assumpsit. 3^o De fide est Christum pro nobis oravisse, meruisse, satisfecisse, eximia omnium virtutum exempla nobis dedisse : atqui hæc voluntate divina non procedebant, *ut patet*; ergo a voluntate humana. Ergo 4^o, etc.; aliunde, etc. Ergo, etc.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1^o. S. Dionysius Areopagita, Epist. 4 ad Caium, ait : « Non secundum Deum divina gessit Christus, nec humana secundum hominem : verum, Deo viro facto, novam quamdam theandricam seu deivirilem operationem expressit in vita. » Ergo.

R. Nego conseq. Scripta sub nomine S. Dionysii Areopagite citata a multis eruditis habentur ut apocrypha, ab aliis tamen propugnantur. Quidquid sit, in summa semper fuerunt veneratione tum apud Latinos, tum apud Græcos, adeo ut in Romana liturgia *mirabiles ac plane cælestes* dicantur, et in libris ecclesiasticis Græcorum *opinio majores, admirandi et sublimissimi* nuncupentur. Juxta omnes sunt ad minus quinti sæculi, ac proinde Monothelitas antecesserunt. Igitur, quamvis de authenticitate non constet, quod est advertendum, difficultas ex illis petita solvenda est.

1^o Monothelitæ hæc opera corrumpere tentaverunt, ut advertit concilium Romanum sub S. Martino I, *Labbe, t. vi*; sic *unam quamdam theandricam operationem* scripserant, vocem *unam*, sibi magis faventem, voci *novam* substituentes.

2^o Recte dici potest, sensu catholico, Incarnatione peracta, novam quamdam factam esse operationem theandricam, id est operationem Dei-hominis; Christus enim erat simul Deus et homo : ergo cuncta ipsius opera erant Dei-hominis seu theandrica, sine læsione humanarum facultatum.

Sic pariter catholice explicari possunt aliæ sanctorum Patrum locutiones quas Monothelitæ in sensum suum detorquere conati sunt, v. g., Christum fuisse *sine cogita-*

tionibus humanis, id est terrenis; eum *unam quamdam cognatam operationem per ambas naturas ostendisse*, videlicet, ostendisse externum opus ad quod duæ concurrerunt naturæ completæ, proinde voluntas humana sicut voluntas divina, etc.

Frustra igitur desudaremus in solvendis hujusmodi cavillationibus.

Obj. 2^o. Unica est persona in Christo : ergo unica operatio.

R. Nego conseq. et paritatem. Operatio enim non a persona repetenda est, alioquin tres essent operationes in Deo, siquidem tres sunt personæ, sed a natura. Hinc unica est voluntas seu operatio in Deo, quia unica est natura : at, ratione contraria, cum duæ sint naturæ integræ in Christo, duæ esse debent voluntates et operationes. Ergo.

Inst. Juxta vulgare axioma, actiones sunt suppositorum, seu personarum : ergo, ubi unica est persona, unica est operatio.

R. Nego conseq. Quamvis enim actiones a natura eliciantur, personæ tamen tribuuntur : sic in homine corpus non cogitat, sed anima ; non ægrotat anima, sed corpus, et tamen dicitur, *homo cogitat, homo ægrotat*. Sic in Christo, cum divinitas persona Verbi terminata, humanitati sit unita, operationes ex humanitate procedentes, ab operationibus quæ ex divinitate procedunt distinctæ, personæ Verbi, non vero aliis personis divinis tribuuntur : sunt igitur duplices respectu naturarum et unica respectu personæ, ac vere theandricæ. Ergo.

Queritur an papa Honorius revera damnatus fuerit, in concilio generali sexto, ut hæreticus.

R. Multum variantur theologorum opiniones circa illud factum. 1^o Quidam negant illum fuisse damnatum sive ut hæreticum, sive ut hæresis fautorem, ideoque contendunt vel suspicantur acta sextæ synodi generalis malitia Græcorum fuisse corrupta, duas epistolas Honorii ad Sergium et in Actibus ejusdem synodi revelatas, a Monothelitæ fuisse suppositas vel adulteratas; ita Baronius, Bellarminus, Binius, Sylvius et alii.

2° Alii concedunt Honorium revera fuisse damnatum ut hæreticum, sed ex falsa informatione et iniquissime, atque in hoc sextam synodum a Sancta Sede non fuisse approbatam. Hanc solutionem excogitavit cardinalis Turrecremata; eam fortiter tuetur Sardagna, post alios plures, quamvis difficile explicet quomodo legati Agathonis injustæ damnationi non obstiterint, aut si obstiterint, quomodo nulla fiat mentio illorum oppositionis; si Leo II in hoc decreta synodi non approbaverit, quomodo reservatio nulli legatur; quomodo damnatio Honorii memorata reperitur in duabus litteris Leonis II et in Actibus conciliorum generalium Nicæni II et Constantinopolitani IV.

3° Alii contententes corruptionem sextæ synodi fuisse omnino impossibilem, quia, ex petitione Patrum, imperator statim curavit quinque exemplaria, propria manu subscripta, quinque sedibus patriarchalibus mittenda, Apostolicæ Sedi scilicet, Constantinopolitanæ, Alexandrinæ, Antiochenæ et Hierosolymitanæ; arbitrantes insuper alias suppositiones admitti non posse, dicunt Honorium recte fuisse damnatum, non ut hæreticum, sed ut fautorem hæresis, in ea reprimenda negligentem, eodem modo ac hæreticos loquentem, sicque cum illis anathemate percussis merentem. Ita *Bilhuart*, speciali de facto Honorii dissertatione, t. v. edit. 1830. Vide in opere dicto: *Dictionnaire théologique de Bergier*, édit. de Besançon, t. v, note de Mgr *Gousset*, au mot *Monothélites*.

4° Alii contendunt Honorium vere et juste damnatum fuisse non solum ut hæresis fautorem, sed ut hæreticum. Ita Melchior Canus, lib. 6, cap. 8, cum multis aliis: nolunt tamen aliquid detrimentum inde afferri sententiæ quæ docet summum Pontificem ex cathedra loquentem, id est, aliquid fide credendum definientem et toti Ecclesiæ proponentem, infallibilitatis privilegio, vi promissionum B. Petro factarum, gaudere; nam, inquit, Honorius in epistola ad Sergium non definebat aliquid fide credendum, nec totam Ecclesiam obligare intendebat.

5° Alii denique volunt Honorium ut Pontificem locu-

tum et in hæresim lapsum esse. Ita generatim Protestantés, Jansenistæ, Quesnellistæ, et e catholicis non pauci, inter quos *Richer*, *Vigor*, *Maimbourg*, *Dupin*, etc.

Si in tanta dissensione partem aliquam tueri teneremur, opinionem eorum eligeremus qui dicunt Honorium non ideo damnatum fuisse a synodo VI quasi Monothelismi errore infectum, sed quia ipse inconsulta conniventia ac negligentia usus sit in causa Monothelitarum.

Quidquid sit, certum est nihil ex facto Honorii in gratiam Monothelismi concludi posse; si enim errasset ut Pontifex, quod fieri posse docent gallicanæ opinionis fautores, a concilio generali fuisset correptus. Nec dici potest eum Jansenistis, illius errorem ab episcopis, tum Orientalibus, tum Occidentalibus, ante concilium generale sextum fuisse saltem tacite approbatum; tum quia litteræ Honorii ad omnes episcopos non fuerant directæ; tum quia constat Ecclesiam dispersam in materia fidei errare non posse, ut probatur in Tractatu de vera *Ecclesia*. Ergo.

ARTICULUS QUARTUS.

DE COMMUNICATIONE IDIOMATUM.

PROPOSITIO.

Admittenda est idiomatum communicatio in Christo per nomina concreta.

Nota 1°. In eo consistit idiomatum communicatio, quod attributa Dei homini Christo, et attributa hominis Deo Christo tribuantur, v. g., *Deus est homo; homo est Deus.*

Nota 2°. Nomina alia sunt concreta, et alia abstracta.

Nomina concreta formam et subjectum simul expriment, v. g., *Deus homo*; et nomina abstracta, formam, abstrahendo a subjecto, significant, v. g., *divinitas, humanitas*. His notatis,

Prob. Hæc propositio admittenda est, quæ probatur Scriptura sacra, Symbolis fidei et ratione: atqui, etc.

1° *Scriptura sacra.* Joan. III, 13: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis qui est*

in caelo. Unde sic: Ibi agitur de Christo ut homine, qui *ascendit in caelum*, qui vocatur *Filius hominis*: atqui tamen illi tribuitur proprietates divina, nempe esse simul in caelo et in terra: ergo.

Act. xx, 28: *Attendite vobis et universo gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei quam acquisivit sanguine suo*. Ibi agitur de Christo ut Deo, *regere Ecclesiam Dei*: at illi tribuitur proprietates humana, videlicet Ecclesiam sanguine suo acquisisse. Ergo.

Idem habetur I. Joan. iii, 16: *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit; et in aliis locis*. Ergo 1°.

2° *Symbolis fidei* in quibus dicitur: *Credo in Filium ejus unigenitum, Deum verum de Deo vero, qui conceptus est, natus, passus, crucifixus, mortuus et sepultus est*, etc. Unde sic: *Concipi, nasci, pati, crucifigi, mori, sepeliri*, sunt functiones vel passiones humanitati propriae: atqui tamen tribuuntur Filio Dei unigenito, qui est Deus verus, de Deo vero: ergo 2°.

3° *Ratione*. Quando duae naturae in una persona conjunguntur, attributa utrique propria de eadem persona praedicari possunt, v. g., quia in homine anima rationalis corpori conjungitur, recte dicitur: *Homo est corporeus, homo est spiritualis, est mortalis, est immortalis*, etc. At in Christo natura divina et natura humana in persona Verbi conjunguntur: ergo utriusque attributa de persona Verbi dici possunt. Ergo 3°, etc.; aliunde, etc. Ergo.

Hoc manifestum est consecrarium propositionis in qua, Nestorianos confutando, probavimus unicam esse personam in Christo.

Quaeritur an communicatio idiomatum fieri possit in abstracto, dicendo, v. g., *Humanitas Christi est immensa, omnipotens*, etc.; vel *Divinitas in Christo est passibilis, mortalis*, etc.

R. Affirmant Lutherani, qui, ut refellerent Sacramentarios, corpus Christi simul in pluribus locis existere posse negantes, docuerunt humanitatem Christi, ut

pote divinitati conjunctam, esse ubique: hinc dicti sunt Ubiquistae. Vide *Bossuet, Hist. des Var.*, l. 2, n. 41, et l. 8, n. 45.

Verum hoc evidenter falsum est; nam 1° Christus dixit, Joan. xi, 14 et 15: *Lazarus mortuus est, et gaudeo propter vos ut credatis, quoniam non eram ibi*. Matth. xxviii, 5: *Jesum qui crucifixus est quaeritis: non est hic*: ergo non est ubique ut homo. 2° S. Aug. de Christo ut homine loquens, Epist. 187, cap. 3, n. 40, ait: *Secundum hanc formam non est putandus ubique diffusus*.

3° Christus nasci, mori, sepeliri, descendere ad inferos, resurgere et in caelos ascendere non potuit nisi de loco ad locum transeundo: atqui, dogmate ubiquitatis admissio, de loco ad locum transire non potuisset: fides catholica igitur ex parte rueret: ergo.

Frustra autem allegant Lutherani 1° Christum ut hominem sedere ad dexteram Dei quae est ubique, et 2° inseparabiliter uniri divinitati quae nullos agnoscit limites. Nam 1° dextera Dei sumitur metaphorice, ad significandum personam Verbi, humanitate illi conjuncta, aequalem esse Deo Patri. Ita SS. Patres et Scripturae sacrae interpretes, in versum 44, cap. xxii Evangelii secundum Matth. 2° Inseparabilis conjunctio unius substantiae cum altera eadem necessario non importat utriusque extensionem: sic, licet anima nostra pedi uniat, non sequitur pedem ibi necessario esse ubi est anima, sed tantam animam ibi adesse ubi est pes vivens: ergo *a pari*, ex inseparabili unione humanitatis cum divinitate in persona Verbi, sequitur divinitatem semper esse ubi est humanitas Christi, minime vero humanitatem ibi necessario esse ubi est divinitas.

Ergo dici non potest, *humanitas est immensa*. Non magis dici posset eam esse omnipotentem, vel divinitatem in Christo fuisse passibilem.

Regulae servandae in communicatione idiomatum.

Theologi jubent sequentes semper servari regulas, ut omnis caveatur novitas in sermone:

1° Nomina concreta naturæ, tum divinæ, tum humanæ, de Christo et de se invicem prædicari possunt; v. g., dici potest: *Christus est Deus, Christus est homo, Verbum aut Filius Dei est homo, est mortalis, passibilis, etc. Aliquis homo est Filius Dei æternus, immensus, omnipotens, etc.* Ratio est, quia hæc omnia non referuntur ad naturam seorsim sumptam, sed ad personam Verbi, cui reipsa competunt.

Abstinendum est tamen a propositionibus in se veris, quibus abusi sunt vel abusuri prævidentur hæretici, v. g., sequentes: *Christus est creatura, Filius minor est Patre*; veræ sunt in sensu catholico, sed quoniam Ariani illas in sensum hæreticum usurpabant, non preferendæ sunt sine addito eas ad sensum legitimum determinante, dicendo, v. g., *Christus ut homo est creatura, Filius Dei ut homo minor est Patre.*

2° Nomina abstracta utriusque naturæ de se invicem prædicari nequeunt, neque de Christo: v. g., absurde diceretur: *Humanitas in Christo est divinitas, divinitas est humanitas, Christus est divinitas, etc.* Hæc regula ex supradictis evidenter sequitur.

Fusius de communicatione idiomatum tractant S. Th. 3° parte, q. 16; Sylvius, t. iv; Petavius, l. 4, c. 16, etc.

In dubio an locutio aliqua sit legitima, ab illa abstinendum est, vel aliqua correctione temperari debet, ut omnis æquivocatio tollatur.

CAPUT TERTIUM.

DE CONVENIENTIA INCARNATIONIS.

Theologi unanimi ore docent, post S. Th., 3 part. q. 1, art. 1, Verbi divini incarnationem valde convenientem fuisse, 1° Deo Patri, 2° generi humano, 3° universitati rerum, 4° ipsimet Verbo Dei, 5° naturæ assumptæ, et 6° tempori quo mysterium istud peractum est.

1° Deo Patri. Omnia enim propter semetipsum ope-

ratus est Dominus, et ideo conditus est mundus ut, per visibilia, invisibilia Dei conspiciantur, Rom. 1, 20: at in mysterio Incarnationis mirabiliter fulgent Dei perfectiones, bonitas videlicet, justitia, sapientia et omnipotentia: bonitas quidem, cum Deus, licet infinitus, majus beneficium hominibus præstare non potuisset: unde ipse Christus, Joan. 11, 49: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*; justitia, quia peccatum non fuit impunitum, pretium abunde sufficiens pro illo expiando fuit oblatum, et homo, a diabolo victus, diabolum vice sua superavit; sapientia, quia Deus sic agendo jura justitiæ cum misericordia sapientissime conciliavit, contraria contrariis curavit, scilicet, superbiam humilitate, avaritiam maxima paupertate, voluptatem doloribus et omnis generis infirmitatibus; omnipotentia, quia nihil majus est quam Deum fieri hominem, et tam distantia in unitate personæ jungere. Ergo 1°.

2° Generi humano. Nam 1° tota natura humana in Christo fuit sublimata et ad summum dignitatis fastigium elevata; 2° doctrina cœlesti imbuta; 3° a peccati jugo et dæmonis servitute liberata; 4° omnium virtutum exemplis instructa; 5° in fontibus corruptionis sanata. « Quæ superbia sanari potest, inquit S. Aug., lib. » de Agone christiano, cap. 11, n. 12, si humilitate Filii » Dei non sanatur? Quæ avaritia sanari potest, si pau- » pertate Filii Dei non sanatur? Quæ iracundia sanari » potest, si patientia Filii Dei non sanatur?... Erigat » spem suam genus humanum, et recognoscat naturam » suam; videat quantum locum habeat in operibus Dei! » Ergo 2°.

3° Universitati rerum. Homo enim, ex spiritu et corpore coalescens, quoddam est omnium creaturarum compendium; habet esse cum lapidibus, vivere cum plantis, sentire cum brutis, et intelligere cum angelis: omnia igitur in homine per Incarnationem fuerunt decorata ac nobilitata, et merito Apostolus dixit, Eph. 1, 10, omnia quæ in cœlis et quæ in terra sunt, instaurata esse in Christo. Ergo 3°.

1° Nomina concreta naturæ, tum divinæ, tum humanæ, de Christo et de se invicem prædicari possunt; v. g., dici potest: *Christus est Deus, Christus est homo, Verbum aut Filius Dei est homo, est mortalis, passibilis, etc. Aliquis homo est Filius Dei æternus, immensus, omnipotens, etc.* Ratio est, quia hæc omnia non referuntur ad naturam seorsim sumptam, sed ad personam Verbi, cui reipsa competunt.

Abstinendum est tamen a propositionibus in se veris, quibus abusi sunt vel abusuri prævidentur hæretici, v. g., sequentes: *Christus est creatura, Filius minor est Patre*; veræ sunt in sensu catholico, sed quoniam Ariani illas in sensum hæreticum usurpabant, non preferendæ sunt sine addito eas ad sensum legitimum determinante, dicendo, v. g., *Christus ut homo est creatura, Filius Dei ut homo minor est Patre.*

2° Nomina abstracta utriusque naturæ de se invicem prædicari nequeunt, neque de Christo: v. g., absurde diceretur: *Humanitas in Christo est divinitas, divinitas est humanitas, Christus est divinitas, etc.* Hæc regula ex supradictis evidenter sequitur.

Fusius de communicatione idiomatum tractant S. Th. 3° parte, q. 16; Sylvius, t. iv; Petavius, l. 4, c. 16, etc.

In dubio an locutio aliqua sit legitima, ab illa abstinendum est, vel aliqua correctione temperari debet, ut omnis æquivocatio tollatur.

CAPUT TERTIUM.

DE CONVENIENTIA INCARNATIONIS.

Theologi unanimi ore docent, post S. Th., 3 part. q. 1, art. 1, Verbi divini incarnationem valde convenientem fuisse, 1° Deo Patri, 2° generi humano, 3° universitati rerum, 4° ipsimet Verbo Dei, 5° naturæ assumptæ, et 6° tempori quo mysterium istud peractum est.

1° Deo Patri. Omnia enim propter semetipsum ope-

ratus est Dominus, et ideo conditus est mundus ut, per visibilia, invisibilia Dei conspiciantur, Rom. 1, 20: at in mysterio Incarnationis mirabiliter fulgent Dei perfectiones, bonitas videlicet, justitia, sapientia et omnipotentia: bonitas quidem, cum Deus, licet infinitus, majus beneficium hominibus præstare non potuisset: unde ipse Christus, Joan. 11, 49: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*; justitia, quia peccatum non fuit impunitum, pretium abunde sufficiens pro illo expiando fuit oblatum, et homo, a diabolo victus, diabolum vice sua superavit; sapientia, quia Deus sic agendo jura justitiæ cum misericordia sapientissime conciliavit, contraria contrariis curavit, scilicet, superbiam humilitate, avaritiam maxima paupertate, voluptatem doloribus et omnis generis infirmitatibus; omnipotentia, quia nihil majus est quam Deum fieri hominem, et tam distantia in unitate personæ jungere. Ergo 1°.

2° Generi humano. Nam 1° tota natura humana in Christo fuit sublimata et ad summum dignitatis fastigium elevata; 2° doctrina cœlesti imbuta; 3° a peccati jugo et dæmonis servitute liberata; 4° omnium virtutum exemplis instructa; 5° in fontibus corruptionis sanata. « Quæ superbia sanari potest, inquit S. Aug., lib. » de Agone christiano, cap. 11, n. 12, si humilitate Filii » Dei non sanatur? Quæ avaritia sanari potest, si pau- » pertate Filii Dei non sanatur? Quæ iracundia sanari » potest, si patientia Filii Dei non sanatur?... Erigat » spem suam genus humanum, et recognoscat naturam » suam; videat quantum locum habeat in operibus Dei! » Ergo 2°.

3° Universitati rerum. Homo enim, ex spiritu et corpore coalescens, quoddam est omnium creaturarum compendium; habet esse cum lapidibus, vivere cum plantis, sentire cum brutis, et intelligere cum angelis: omnia igitur in homine per Incarnationem fuerunt decorata ac nobilitata, et merito Apostolus dixit, Eph. 1, 10, omnia quæ in cœlis et quæ in terra sunt, instaurata esse in Christo. Ergo 3°.

4^o *Ipsimet Verbo Dei*. Quamvis enim absolute non repugnet Patrem et Spiritum sanctum incarnari, multo tamen convenientius erat ut Filius incarnaretur: 1^o ut ille per quem omnia facta sunt, opus suum collapsum instauraret; 2^o ut Filius Dei æternus fieret in tempore Filius hominis, et duo non viderentur Filii Dei, unus æternus et alter temporalis; 3^o ut imago Dei æterna et invisibilis imaginem Dei creatam et deformatam reformaret; 4^o ut qui est sapientia Dei, insipientiam hominum deleteret, etc. Ergo 4^o.

5^o *Naturæ assumptæ*. Filius Dei assumere quidem potuisset naturam angelicam; nihil certe videtur ob stare, et hanc possibilitatem supponit B. Paulus, quando nimiam charitatem Dei erga homines exaltans, dicit, Heb. II, 16: *Nusquam enim angelos apprehendit, sed semen Abraham apprehendit*. Convenientius tamen arbitrantur SS. Patres et doctores eum naturam humanam assumpsisse: 1^o quia mali angeli pauciores sunt quam boni qui salvi sunt; homines e contra omnes periissent; 2^o quia, cum angeli abundantiori lumine fuerint illuminati, nec tam fragiles exstiterint, majus fuit eorum peccatum; 3^o quia ex assumptione hominis qui est simul spiritus et caro, substantiæ intellectuales sanctificantur; ex assumptione autem puri spiritus quid advenisset carni? Ergo 5^o.

6^o *Tempori quo mysterium istud peractum est*. 1^o Quia tanti Liberatoris adventus longam expostulare videbatur præparationem; 2^o quia lex Evangelica a Christo instituenda tantæ erat perfectionis, ut opportunum fuerit homines per longum tempus ad eam præparari; 3^o quia tanti doni dilatio, dum homines tamen per fidem in Christum venturum salvari poterant, apta erat ad fidem nostram excitandam et sensus gratitudinis in nobis imprimendos; 4^o conveniens autem non fuisset Incarnationem Verbi ad finem sæculorum procrastinari, alioquin paucissimis hominibus profuisset: ergo convenientissime peracta est in plenitudine temporum, Galat. IV, 4: ergo 6^o, etc.; aliunde, etc. Ergo.

Multæ sunt aliæ rationes convenientiæ apud theologos, præsertim apud Thomassin, qui eas eruditione circa Patres et loquendi modo magnifice exornat, lib. 1 et 2, de Incarn.

CAPUT QUARTUM.

DE NECESSITATE INCARNATIONIS.

Quinque numerantur theologorum opiniones circa illud punctum.

1^o Wiclefus docet, Trialog. lib. 3, cap. 24 et 25, Incarnationem absolute necessariam fuisse, ita ut Deus ab illa non magis abstinere potuerit quam a generatione Verbi. Ad hanc sententiam quodam modo accedere videtur Leibnitz, qui, *Essais de Théodicée*, vult Deum, intuitu sapientiæ suæ, infallibiliter determinatum fuisse ad creandum præsentem mundum in quo conclusa est Incarnatio.

2^o Mallebranche, cui jam præerat Raymond Lulle, contendit, in opere inscripto: *Traité de la nature et de la grâce*, et passim in aliis locis, Deum fuisse prorsus liberum creare vel non creare; sed, ex hypothesi quod crearet, mundum perfectissimum creare debuisset, ut in *Metaphysica* exposuimus, in fine capitis de Libertate Dei.

3^o S. Anselmus et Richardus a S. Victore docuerunt hominem lapsum a Deo reparari debuisset, non autem potuisse nisi per Incarnationem; unde Incarnatio, juxta ipsos, necessaria est ex hypothesi lapsus hominis.

4^o Sunt qui dicunt Deum potuisse hominem lapsum non reparare, sed, ex hypothesi quod illum reparare voluerit, necessariam fuisse Incarnationem.

5^o Denique omnes moraliter theologî affirmant Incarnationem necessariam fuisse, ex hypothesi quod Deus

condignam ab hominibus lapsis exegerit satisfactionem; idque contra Scotistas, qui volunt condignam satisfactionem pro peccato mortali a simplici creatura, ex potentia Dei absoluta et extraordinaria, rependi posse; quia, juxta ipsos, malitia peccati non est infinita, nisi extrinsece et ratione objecti.

PROPOSITIO PRIMA.

Incarnatio non fuit absolute necessaria.

Prob. Scriptura sacra et ratione. 1° Scriptura sacra. Joan. III, 16: Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret; I Joan. IV, 9: In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum. Unde sic: Illud absolute necessarium dici non potest, quod singulari Dei beneficio tribuitur; atqui Incarnatio singulari, etc. Ergo 1°.

2° Ratione. Deus est liber in operibus suis externis, ut probavimus in Metaphysica; at Incarnatio est opus Dei externum: ergo 2°, etc.; aliunde, etc.

Unde ruit pariter systema Leibnitz.

PROPOSITIO SECUNDA.

Incarnatio non fuit necessaria, ex hypothesi quod mundus crearetur.

Prob. 1° Scriptura sacra. In textibus enim Scripturæ modo a nobis allatis, Incarnatio exhibetur ut insigne Dei beneficium: at ut insigne Dei beneficium exhiberi non posset, si, in hypothesi creationis, necessaria fuisset: ergo 1°.

2° Ratione. Si Deus, ex hypothesi creationis, ad optimum teneretur, vel propter gloriam suam essentialem, vel propter gloriam suam accidentalem, vel quia æqualis debet esse proportio inter ipsius potentiam et effectum: atqui nihil horum dici potest.

1° Non propter gloriam suam essentialem. Illa enim glo-

ria in cognitione et amore propriarum suarum perfectionum consistit: atqui, sive Deus mundum creet, sive non; sive perfectiorem, sive minus perfectum efficiat, infinito modo proprias perfectiones cognoscit et amat: ergo 1°.

2° Non propter gloriam suam accidentalem. Hæc quippe gloria in eo sita est ut ipsius attributa creaturis innotescant et ab eis laudentur: atqui Deus non tenetur sua attributa quantum potest manifestare; alioquin 1° a creatione abstinere non potuisset, quod tamen negat Mallebranche; 2° mundum ab æterno creare debuisset, quod repugnat; 3° creaturas in ulteriori gradu perfectionis formare deberet: atqui hoc impossibile est, cum de essentia sit creaturæ ut in perfectione semper augeri possit: ergo 2°.

3° Non quia æqualis debet esse proportio inter potentiam et effectum. De natura quidem est effectus ut capacitatem causæ non excedat; at minime necesse est causam secundum totam capacitatem suam semper agere: sic quotidie fieri videmus in cunctis rebus nos circumstantibus: cur Deus ita agere non posset? Id unum postulat suprema ejus sapientia, ut aptiora semper eligat media ad finem sibi propositum conducentia, et eo sensu dici potest Deum semper facere quod melius est: verum innumeros sibi proponere potest fines juxta suum beneplacitum: ergo 3°, etc.; aliunde, etc. Ergo.

PROPOSITIO TERTIA.

In hypothesi lapsus hominis, Incarnatio non fuit necessaria.

Prob. Ad hoc enim sufficit quod Deus potuerit hominem lapsum non reparare: atqui constat Scriptura sacra, S. Aug. auctoritate, et ratione Deum potuisse hominem lapsum non reparare.

1° Scriptura sacra, Rom. III, 24: Justificati gratis per gratiam ipsius, quæ est in Christo Jesu; Eph. II, 4: Deus qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem

suam qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, convificavit nos in Christo, cujus gratia estis salvati. Innumera alia testimonia tam clara citari possent : porro quod gratis conceditur vel gratiæ et misericordiæ est effectus, non est necessarium : ergo 1^o.

2^o *Auctoritate S. Aug.* Lib. de Natura et Gratia, cap. 5, n. 3 : « Universa massa pœnas debet, et si omnibus damnationis supplicium redderetur, non injuste procul dubio redderetur. » Ergo 2^o.

3^o *Ratione.* Non magis teneri poterat Deus homines lapsos reparare quam angelos : atqui angelos lapsos potuit non reparare, siquidem eos ad æterna supplicia detrusit. Ergo 3^o, etc. Ergo.

PROPOSITIO QUARTA.

Ex hypothesi quod Deus hominem lapsum reparare voluerit, Incarnatio non fuit simpliciter necessaria.

Probatur testimoniis SS. Patrum, consensu doctorum, et ratione.

1^o *Testimoniis SS. Patrum.* S. Athan., Oratione 2 contra Arianos, n. 68, part. 2 : « Etiam sine ullo ejus (Salvatoris) adventu, poterat Deus tantummodo dicere, atque ita solvere maledictionem. » S. Aug., lib. de Agone christiano, cap. 11 : « Sunt stulti qui dicunt : Non poterat aliter sapientia Dei homines liberare, nisi susciperet hominem et nasceretur de femina, et a peccatoribus omnia illa pateretur. Quibus dicimus : Poterat omnino, sed si aliter faceret, similiter vestræ stultitiæ displiceret. » Hæc testimonia sunt clara : multa alia non minus clara referri possent. Ergo 1^o.

2^o *Consensu doctorum.* Etenim communissime theologici hanc tenent sententiam, imo Suarez pronuntiare non dubitat hanc doctrinam ita esse certam, ut negari non possit sine temeritate et aliquo fidei incommodo, disp. 4, sect. 2. Cardinalis de Lugo arbitratur sententiam oppositam ad errorem accedere, de myst. Incarnat. disp. 2, sect. 1, n. 6. Ergo 2^o.

3^o *Ratione.* Incarnatio non est simpliciter necessaria ad reparandum hominis lapsum, si Deus peccata, citra perfectam satisfactionem, dimittere possit : atqui Deus peccata, citra perfectam satisfactionem, dimittere potest : nam 1^o in operibus suis externis est omnino liber ; 2^o secundum totam justitiam suam agere non tenetur, alioquin nec pœnas mitigare nec eas differre posset, quod tamen adversarii non admittunt : ergo, etc. ; aliunde, etc. Ergo.

Nonnulli antiqui doctores censuerunt genus humanum sine Filii Dei Incarnatione reparari non potuisse ; sed loquebantur de præsentis rerum statu, in quo Deus libere statuit se peccata non condonaturum sine perfecta satisfactione : hoc autem propositioni nostræ non adversatur.

PROPOSITIO QUINTA.

Ex hypothesi quod Deus condignam voluerit satisfactionem pro peccato, Incarnatio fuit simpliciter necessaria.

Notandum 1^o satisfacere idem esse ac compensare injuriam alicui illatam, vel reparare honorem ejus injuste læsum : ut satisfactio sit condigna, debet æquivalere injuriæ compensandæ vel honori reparando.

Notandum 2^o gravitatem offensæ repeti ex dignitate personæ quæ offenditur et ex vilitate personæ quæ offendit : v. g., majus peccatum est maledicere principi quam plebeio, et majus adhuc si maledicens sit plebeius quam si esset æqualis principi cui maledicit. Respectu Dei unus inobedientiæ actus est externa negatio supremæ Dei auctoritatis in creaturas, siquidem nolle præstare actum ab illo imperatum est negare eum habere jus talem imperandi actum. Porro hujusmodi negatio in ipsam Dei majestatem cadens, includit malitiam in objecto suo infinitam.

Notandum 3^o valorem satisfactionis ex dignitate personæ satisfaciens præcipue oriri, quia persona satisfaciens se suamque dignitatem alteri subdit. Actus igitur per-

sonæ finitæ nunquam habere possunt valorem infinitum. Unde omnes creaturæ simul sumptæ, obediendo et se humiliando, nunquam satisfactiones Deo vere dignas exhibere possent; contra vero, unus obedientiæ actus ex parte personæ infinitæ supremum Dei dominium testatur et fit infiniti valoris. Actus ergo inobedientiæ erga Deum manet ut externa supremi domini ejus negatio, donec actus obedientiæ supremum ejus dominium convenienter attestans ei opponatur. *His notatis,*

Probatur propositio nostra 1^o auctoritate SS. Patrum.

S. Athan., Orat. 2 contra Arianos, n. 67. « Qui vero, si
» Verbum res creata esset, Dei sententiam abrogare peccatum quæ dimittere (posset), cum hoc Dei proprium
» esse scripserint Propheta? »

S. Basil. in Ps. XLVIII : « Neque fratrem in redemptionem
» quare, sed aliquem qui tuam excedat naturam; neque hominem nudum, sed hominem Deum, Jesum
» Christum, qui solus pro nobis omnibus Deo dare potest placationem. » S. Aug., Enchir. cap. 108 : « Neque per
» ipsum liberaremur unum mediatorem Dei et hominum, hominem Jesum Christum, nisi esset et Deus. »
S. Fulgentius, lib. de Incarnat. et Grat., cap. 4 : « Nul-
» latenus humana natura ad auferendum peccatum
» mundi sufficiens atque idonea fieret, nisi in unione
» Dei Verbi, non naturali confusione, sed solum personali unitate transiret. » Certe hæc testimonia sunt clara. Ergo 1^o.

Prob. 2^o ratione. Ad exhibendam Deo satisfactionem condignam necessaria fuit Incarnatio, si simplex creatura condignæ satisfactionis non sit capax : atqui simplex creatura condignæ satisfactionis Deo exhibendæ est incapax, ut patet ex supra notatis. Contra vero unicus hominis Dei actus obedientiæ valoris est infiniti et inobedientias hominum superat : persona enim infinitæ dignitatis, infinitæ veracitatis se submittit, et adversus negationem supremæ Dei auctoritatis exterius protestatur. Ergo.

Plerique theologi volunt satisfactionem non esse con-

dignam nisi sit ex propriis et alias indebitis; alii vero, et Medina et Vasquez, has condiciones necessarias esse negant, et ideo satisfactionem condignam a perfecta distinguunt. A definienda hujusmodi controversia, pro more nostro, abstinemus.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1^o. Malitia peccati non est simpliciter infinita, alioquin omnia peccata essent æqualia : ergo non repugnat creaturam condigne satisfacere.

R. 1^o. Omnes Thomistæ negant antecedens, et, quoad probationem, dicunt peccata esse æqualia qua parte infinita sunt, non vero sub omni respectu. Rem illustrant exemplo : Supponatur, inquit, linea tenuis in infinitum protensa, et secus eam corpus crassius pariter in infinitum ductum : utrumque erit infinitum ratione longitudinis, non vero sub aliis respectibus : ergo similiter et peccata.

R. 2^o. *Nego conseq.* Ex hypothesi enim quod malitia peccati non sit simpliciter infinita, est saltem, juxta ipsos Scotistas, in summo gradu offensæ et in ordine superiori : atqui simplex creatura non est capax satisfactionis quæ tantam injuriam æquivalenter compenset; injuria enim ex dignitate personæ offensæ æstimatur, et satisfactio ex qualitate personæ satisfaciens : at, quidquid dicatur, ingens datur discrimen inter Deum et simplicem creaturam : ergo.

Inst. 1^o. Inde sequeretur subditum qui principem offendit, nunquam ei condigne satisfacere posse : atqui hoc falsum est : ergo.

R. 1^a. *Nego maj.* Nam ubi dignitas personæ offensæ est finita, defectus satisfactionis, ex parte personæ satisfaciens, perfectione operis compensari potest, ut, v. g., si subditus propriam vitam pro tuenda vita principis generose fundat vel in evidenti periculo se constituat.

R. 2^o. *Nego min.*, et dico non repugnare quod subditus nunquam condigne principi graviter offenso satis-

facere possit, præise quia inferioris est dignitatis. Si princeps æqualis dignitatis satisfaceret, offensus satisfactionem acceptare teneretur, quia injuriam digne compensaret : at quis contendet principem offensum pariter teneri acceptare satisfactionem a subdito sibi oblatam ? Ergo.

Inst. 2º. Charitas perfecta æquivalet peccato illudque delet : atqui homo charitatis perfectæ est capax : ergo.

R. 1º. Dist. maj. Charitas perfecta æquivalet peccato ratione meriti et demeriti, id est, charitas perfecta restituit meritum peccato deperditum, *conc.* ; æquivalet peccato ratione satisfactionis, *nego maj.* Charitas enim honorem læsum directe non compensat, v. g. : subditus qui principem graviter offendit, quantumvis illum postea diligat, honorem ejus non ideo æquivalenter compensat. Ergo.

R. 2º. Distinguo min. Homo charitatis perfectæ est capax, mediante gratia, *conc.* ; propriis viribus, *nego min.* Porro, ex hypothese quod charitas vera esset satisfactio, condigne non satisfaceret, nisi propriis viribus actum perfectæ charitatis eliceret : ergo hæc objectio aliæque multe subtilitates ex eodem principio deductæ funditus ruunt.

Inst. 3º. Supponatur creatura e massa corruptionis non educta, sed a Deo specialiter formata et in magno sanctitatis gradu constituta : atqui talis creatura pro genere humano condigne satisfacere potuisset : ergo.

R. Nego min. Nam 1º illa creatura, quantumvis sancta et perfecta supponatur, nihil haberet ex se, ac proinde satisfactionem ex propriis offerre non posset ; 2º in gradu dignitatis a Deo infinite distante constitueretur ; æqualis igitur satisfactionis prorsus foret incapax : ergo.

Inst. 4º. Creatura *satispati* potest pro peccato : ergo et condignæ satisfactionis capax est.

R. 1º. Negari potest ant. Si enim, ut volunt omnes Thomistæ, malitia peccati sit infinita, et pœnam infinitam mereatur, nunquam creatura pro illa *satispati* poterit, id est, quantumvis longa fuerit ipsius pœna, nunquam erit condigna. Ergo.

R. 2º. Nego conseq. et paritatem. Ratio disparitatis est, quod in *satispassione* sola proportio pœnæ ad delictum attendatur, in satisfactione autem dignitas personæ offensæ præcipue consideratur. Unde, v. g., subditus qui principem offendendo pœnam incurrit, eam subire potest. Numquid ideo condignam satisfactionem principi offenso repen lere valet ? Minime sane. Ergo.

Observandum 1º theologos communius docere hominem in gratia sanctificante constitutum, pro peccato veniali condigne satisfacere posse ; 1º quia testimonia Patrum superius relata et rationes a nobis expositæ de solo peccato mortali intelliguntur, et 2º quia peccatum veniale a peccato mortali essentialiter differt.

Observandum 2º quinque præcedentes propositiones, licet verissimæ nobis appareant, ad fidem catholicam tamen non pertinere, quia nullibi ab Ecclesia fuerunt definitæ.

Observandum 3º de fide esse Deum condignam pro peccatis nostris satisfactionem exegisse : patebit ex infra dicendis de satisfactionibus Christi.

CAPUT QUINTUM.

DE CAUSIS INCARNATIONIS.

Triplex distinguitur causa Incarnationis, efficiens scilicet, meritoria et finalis.

ARTICULUS PRIMUS.

DE CAUSA EFFICIENTE INCARNATIONIS.

In eo sita est natura Incarnationis, quod natura divina et natura humana in persona Verbi hypostaticè uniantur : hypostatica igitur hæc unio personæ Filii Dei propria est. Verum actio externa quæ humanitatem produxit eamque personæ Verbi univit, non soli Verbo, sed toti tribuenda est Trinitati. Nam 1º est opus externum, et

cuncta opera Dei externa tribus personis sunt communia. Unde legitur apud Joan. III, 16 : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*; et Gal. IV, 4 : *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere*. 2^o Concilium Toletanum XI, in professione fidei, hæc habet : « Incarnationem Filii Dei tota Trinitas operata esse credenda » est, quia inseparabilia sunt opera Trinitatis. » *Labbe*, t. VI. 3^o Ita omnes sentiunt, et frustra in re tam evidenti diutius immoraremur. Ergo.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE CAUSA MERITORIA INCARNATIONIS.

Duplex distinguitur meritum : unum *de condigno*, cui præmium ex justitia debetur; et alterum *de congruo*, cui præmium non debetur, nisi ex convenientia, seu ex aliqua congruitate.

Incarnatio considerari potest vel in se, quatenus est unio personalis Verbi divini et naturæ humanæ, vel quoad circumstantias temporis, originis, consecratorum, etc. Nunc quæstio est an Incarnationem aliquo sensu meruerint 1^o Christus, 2^o veteres Patriarchæ, et 3^o beatissima Virgo. De iis quippe qui post Christum vixerunt nulla moveri potest difficultas.

PROPOSITIO.

Nemo Incarnationem de condigno mereri potuit.

Prob. 1^o. Incarnatio semper exhibetur in Scriptura ut singulare Dei beneficium, ut amoris et misericordiæ ejus prodigium : atqui hæc vera non essent, si quis eam de condigno meruisset; quod enim meritum fuit de condigno, ex justitia debetur : porro quod debetur ex justitia, jam singulare beneficium et misericordiæ prodigium vocari non potest : ergo.

Prob. 2^o. Si homo Incarnationem in se sumptam me-

teri potuisset, vel purus homo, vel Christus ut homo : atqui neutrum dici potest.

1^o *Non purus homo*, ne quidem beatissima Virgo Maria, quia omnis vis merendi ex ipsamet Incarnatione futura vel peracta venit; repugnat autem causam meriti sub merito cadere.

2^o *Non Christus ut homo*, quia talis non existit ante Incarnationem. Ergo.

Diximus in propositione, *de condigno*; communiter enim æstimant theologi Patriarchas, Prophetas aliosque sanctos homines, si non ipsam Incarnationem, saltem aliquas ejus circumstantias de congruo meruisse, v. g., accelerationem temporis : sic S. Th., 3 part., q. 2, art. 10 : « Ex congruo meruerunt, *inquit*, sancti Patres » Incarnationem, petendo et desiderando. Congruum » enim erat ut Deus exaudiret eos qui ei obediebant. »

Id a fortiori intelligendum est de beatissima Virgine, quæ humilitate, castitate aliisque virtutibus quibus excellebat, aliquas Incarnationis circumstantias de congruo mereri potuit, nullas vero de condigno, propter rationes superius expositas. Unde honorem suæ electionis ad maternitatem divinam soli Deo rectissime tribuit.

Meruit tamen de condigno eminentem gratiæ statum quem habebat, quando in matrem electa est; docent enim SS. Patres et doctores hominem justificatum augmentum gratiæ de condigno mereri posse, nempe gratiis concessis bene utendo; atqui beatissima Virgo gratiis sibi concessis bene usa fuerat : ergo. Nullo modo autem negamus ipsam simul a Deo, qui propter ejus virtutes propriaque amoris consilia, in illa sibi adeo complacebat, gradus gratiæ merita excedentes obtinuisse.

Christus quædam Incarnationis suæ consecraria de condigno promeruit, v. g., nominis sui exaltationem super omnes cælos, Ecclesiæ institutionem, diffusionem, sanctitatem, perennitatem, sacramentorum efficaciam, gratias hominibus conferendas, mercedem æternam, sive pro se, sive pro iis qui per ipsum salvandi erant, etc.; non vero omnia, scilicet, non ea quæ necessariæ sunt

proprietates ipsiusmet Incarnationis, ut impeccabilitatem, intuitivam divinæ essentiæ visionem, etc.

ARTICULUS TERTIUS.

DE CAUSA FINALI INCARNATIONIS.

Finis ultimus Incarnationis fuit gloria Dei: nam Deus omnia propter semetipsum operatur, nec alium finem ultimum sibi proponere potest; finis vero proximus fuit humani generis redemptio. In hoc omnes consentiunt, exceptis tamen 1° Pelagianis, qui, lapsum hominis negantes, negant eo ipso Christum pro illo redimendo venisse, sed tantum ad illum doctrinam, exemplis et miraculis erudiendum; 2° Petro *Abeilard*, qui, teste S. Bernardo, Epist. 190, cap. 5, eundem ferme docuit errorem; 3° Socinianis, qui, cum Pelagianis circa peccatum originale sentientes, etiam redemptionem negant.

Verum alia exurgit quæstio, an scilicet redemptio generis humani sit unicus finis proximus Incarnationis, adeo ut, Adamo non peccante, Filius Dei incarnatus non fuisset. *Affirmant Thomistæ* et plerique theologi; *negant vero Scotistæ* et cum illis *Leibnitz* et *Mallebranche*, de quibus supra, dicentes Christum, in ea hypothesi, fuisse impassibilem et venisse ut legislatorem et ad majorem Dei gloriam procurandam. Idem ferme senserunt P. *Ame-lotte* alique primi patres congregationis Oratorii. D. *Com-balot*, in opere cui titulus: *Connaissance de Jésus-Christ*, ait Incarnationem necessariam fuisse, etiam abstractione facta a satisfactione, ut homo finem suum supernaturalem attingere posset.

PROPOSITIO PRIMA.

De fide est Filium Dei ad redimendos homines incarnatum fuisse.

Prob. Illud de fide habendum est, quod in Symbolo fidei, in Scriptura sacra et in traditione ut tale evidenter continetur: atqui talis est propositio nostra.

1° *In Symbolo fidei*, nempe Nicæno, clare continetur his verbis: *Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de cælis.*

2° *In Scriptura sacra.* Matth. ix, 13: *Non veni vocare justos, sed peccatores*; Matth. xviii, 11, et Luc. xix, 10: *Venit Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat*; Gal. iv, 4 et 5: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub Lege, ut eos qui sub Lege erant redimeret.* Multi alii textus non minus clari citari possent. Ergo 2°.

3° *In traditione*; unanimes quippe sunt Patres et doctores in hoc puncto, quibus concinit vox totius populi Christiani. Ergo.

PROPOSITIO SECUNDA.

Probabilius nobis videtur quod, Adamo non peccante, Verbum Dei incarnatum non fuisset.

Prob. 1° *Scriptura sacra.* In textibus Scripturæ allatis et in aliis multis clare exprimitur Christum venisse, ut *salvum faceret quod perierat, ut vocaret peccatores, ut eos qui sub Lege erant redimeret, ut peccatum mundi tolleret, etc.*; non alia commemoratur Incarnationis causa: attamen, si ob alios fines Incarnatio ab æterno fuisset decreta, incredibile est Scripturam circa hos fines omnino silere. Insuper Incarnatio exhibetur ut immensum divinæ misericordiæ prodigium erga homines lapsos: at si independentem a lapsu hominis ab æterno decreta fuisset, hic loquendi modus non esset accuratus. Ergo.

Prob. 2° *ex SS. Patribus.* S. Athanasius, Oratione 2 contra Arianos, n. 56: « Verbum nunquam homo factus esset, nisi causa fuisset hominum necessitas. » S. Ambros., lib. de Incarnat., cap. 6, n. 56: « Quæ erat causa Incarnationis, nisi ut caro quæ peccaverat per se redimeretur? » S. Aug., Serm. 174: « Si homo non periisset, Filius hominis non venisset. » Permulti sunt alii textus quos, brevittatis causa, præmittimus. Ergo 2°.

Dices 1°: Alii fines Incarnationis, præter redemptio-

nem hominum, exprimuntur in Scripturis sacris; v. g., Christus dicitur *Magister noster, Pastor bonus, Legislato, Mediator Dei et hominum*, etc. Ergo.

R. Dist. ant. Alii exprimuntur fines qui redemptionis sunt consecraria, *concedo*; qui sunt principales et a redemptione hominum independentes, *nego ant.* Etenim Christus dicitur *Magister*, sed simul lux habitantibus in regione umbræ mortis; venit ut Pastor, sed ad quærendam ovem quæ perierat; ut Legislato, sed ut legem cupiditatibus hominum depravatam instauraret; ut Mediator, sed mundum Deo in se reconcilians, etc. Ergo.

Dices 2º: Testimonia Patrum superius relata ad Christum passibilem referuntur: at si Adam non peccasset, Filius Dei in carne impassibili venisset, juxta Scotistas: ergo illa testimonia nihil probant.

R. Nego conseq. Nullibi legitur in Patribus Christum in impassibili carne venire debuisse, ex hypothesi quod Adam non peccasset: attamen omnino improbable est eos talem non expressisse hypothesim si illam credidissent: ergo de illa minime cogitabant. Ergo.

Quantum ad rationem allatam a D. *Combalot*, scilicet nos finem nostrum supernaturalem visionemque intuitivam attingere non posse, nisi mediante Incarnatione, nihil omnino probare videtur, et difficultas quam solvere intendit, eadem juxta nos remanet. Res ipsa est certa; *modum* autem rei nos effugere fatemur.

Cæterum, quod probabilius nobis et plerisque theologis videtur dicimus, quætionem, ut pote a secretis Dei consiliis pendentem, ulterius premere non volentes.

Imo libenter fatemur quætionem philosophice spectatam esse gravem, immensam, et propositam solutionem quamdam exhibere sublimitatem.

CAPUT SEXTUM.

DE DOTIBUS CHRISTI.

Inter dotes seu qualitates Christi, aliæ spectant ad ipsius animam et aliæ ad corpus. De iis quæ spectant ad

divinitatem non loquimur; de fide est Christum sub hoc respectu omnes perfectiones divinas habere.

ARTICULUS PRIMUS.

DE DOTIBUS CHRISTI QUÆ SPECTANT AD IPSIUS ANIMAM.

Certum est animam Christi, in primo creationis suæ instanti, Verbo divino hypostaticè fuisse unitam; beatissima enim Virgo non solum peperit, sed concepit Filium Dei: *Ecce Virgo in utero habebit et pariet Filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus*, Matth. i, 23. De fide est mysterium Incarnationis in sinu ejus fuisse consummatum; at consummari non potuit sine assumptione mentis et corporis: ergo nullum admittendum est intervallum inter utriusque creationem et hypostaticam eorum unionem cum Verbo Dei. Ita omnes, contra Origenem qui docebat animam Christi ante Incarnationem existitisse, atque ut hoc mysterium fieret meruisse; et contra Paulum Samosatenum ac Photium, qui opinabantur Christum existitisse antequam Deo jungeretur, hancque unionem de cursu temporis meruisse.

Quærent subtiliter theologî an humanitas Christi existere potuisset ante suam cum Verbo divino unionem hypostaticam. Quidam affirmant; alii negant, inter quos P. *Thomassin*, cujus rationes non videntur valde graves. Cum de sola possibilitate speculative sumpta agatur, discussionem circa hoc punctum merito seponimus.

Constat iterum animam Christi, in primo existentia suæ instanti habuisse quidquid essentiam mentis humanæ constituit, alioquin Christus non fuisset *perfectus homo*.

Si quæ sint igitur difficultates, versantur circa qualitates mentis Christi accidentales, et præsertim circa ejus scientiam, sanctitatem et libertatem de quibus in tribus paragraphis dicturi sumus.

§ I. — De scientia Christi.

Christus, ut Deus, habebat scientiam infinitam: de

nem hominum, exprimuntur in Scripturis sacris; v. g., Christus dicitur *Magister noster, Pastor bonus, Legislator, Mediator Dei et hominum*, etc. Ergo.

R. Dist. ant. Alii exprimuntur fines qui redemptionis sunt consecraria, *concedo*; qui sunt principales et a redemptione hominum independentes, *nego ant.* Etenim Christus dicitur *Magister*, sed simul lux habitantibus in regione umbræ mortis; venit ut Pastor, sed ad quærendam ovem quæ perierat; ut Legislator, sed ut legem cupiditatibus hominum depravatam instauraret; ut Mediator, sed mundum Deo in se reconcilians, etc. Ergo.

Dices 2º: Testimonia Patrum superius relata ad Christum passibilem referuntur: at si Adam non peccasset, Filius Dei in carne impassibili venisset, juxta Scotistas: ergo illa testimonia nihil probant.

R. Nego conseq. Nullibi legitur in Patribus Christum in impassibili carne venire debuisse, ex hypothesi quod Adam non peccasset: attamen omnino improbable est eos talem non expressisse hypothesim si illam credidissent: ergo de illa minime cogitabant. Ergo.

Quantum ad rationem allatam a D. *Combalot*, scilicet nos finem nostrum supernaturalem visionemque intuitivam attingere non posse, nisi mediante Incarnatione, nihil omnino probare videtur, et difficultas quam solvere intendit, eadem juxta nos remanet. Res ipsa est certa; modum autem rei nos effugere fatemur.

Cæterum, quod probabilius nobis et plerisque theologis videtur dicimus, quætionem, ut pote a secretis Dei consiliis pendentem, ulterius premere non volentes.

Imo libenter fatemur quætionem philosophice spectatam esse gravem, immensam, et propositam solutionem quamdam exhibere sublimitatem.

CAPUT SEXTUM.

DE DOTIBUS CHRISTI.

Inter dotes seu qualitates Christi, aliæ spectant ad ipsius animam et aliæ ad corpus. De iis quæ spectant ad

divinitatem non loquimur; de fide est Christum sub hoc respectu omnes perfectiones divinas habere.

ARTICULUS PRIMUS.

DE DOTIBUS CHRISTI QUÆ SPECTANT AD IPSIUS ANIMAM.

Certum est animam Christi, in primo creationis suæ instanti, Verbo divino hypostaticè fuisse unitam; beatissima enim Virgo non solum peperit, sed concepit Filium Dei: *Ecce Virgo in utero habebit et pariet Filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus*, Matth. i, 23. De fide est mysterium Incarnationis in sinu ejus fuisse consummatum; at consummari non potuit sine assumptione mentis et corporis: ergo nullum admittendum est intervallum inter utriusque creationem et hypostaticam eorum unionem cum Verbo Dei. Ita omnes, contra Origenem qui docebat animam Christi ante Incarnationem existitisse, atque ut hoc mysterium fieret meruisse; et contra Paulum Samosatenum ac Photium, qui opinabantur Christum existitisse antequam Deo jungeretur, hancque unionem de cursu temporis meruisse.

Quærent subtiliter theologi an humanitas Christi existere potuisset ante suam cum Verbo divino unionem hypostaticam. Quidam affirmant; alii negant, inter quos P. *Thomassin*, cujus rationes non videntur valde graves. Cum de sola possibilitate speculative sumpta agatur, discussionem circa hoc punctum merito seponimus.

Constat iterum animam Christi, in primo existentia suæ instanti habuisse quidquid essentiam mentis humanæ constituit, alioquin Christus non fuisset *perfectus homo*.

Si quæ sint igitur difficultates, versantur circa qualitates mentis Christi accidentales, et præsertim circa ejus scientiam, sanctitatem et libertatem de quibus in tribus paragraphis dicturi sumus.

§ I. — De scientia Christi.

Christus, ut Deus, habebat scientiam infinitam: de

illa non agitur, sed de scientia quam habebat ut homo.

Gnostici et Valentiniani, referente S. Irenæo, adversus Hæres. lib. 1, cap. 16 et 17, docuerunt Christum, sub respectu scientiæ, aliorum puerorum fuisse similem, præceptore usum esse, et elementa scientiæ humanæ didicisse.

Lutherus et Calvinus denegabant Christo ultimi iudicii cognitionem. Grotius, in cap. XXIII S. Marci, dicit non nisi post suam resurrectionem Christum omni scientia fuisse donatum, sicut et omni potestate in cælo et in terra. Quidam veteres sic sensisse videntur.

Communis tamen theologorum sententia est Christum ut hominem, in primo conceptionis suæ instanti, ea donatum esse scientia quæ excludit omnem errorem, dubitationem, incertitudinem seu formidinem errandi, id est, tota scientia quam ipsius conditio, status et dignitas postulabant.

PROPOSITIO.

Christus, ut homo, perfectam habuit scientiam etiam in primo conceptionis suæ instanti.

Prob. Scriptura sacra, quinta synodo generali, sanctis Patribus, et theologorum consensu.

1° *Scriptura sacra. Isai. xi, 2: Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis. Ille textus de Messia proindeque de Christo intelligitur.*

Joan. 1, 14: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis. Hæc verba plenum gratiæ et veritatis, recte non dicerentur de Christo ut Deo: ergo intelligi debent de Christo ut homine: porro perfectam significant scientiam: ergo.*

Coloss. 11, 3: *In quo (Christo) sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi. Qui omnes thesauros sapientiæ et scientiæ possidet, evidenter perfectam habet scientiam.*

Ergo Christus, ut homo, perfectam habuit scientiam

ante suam resurrectionem, idque vi unionis hypostaticæ cum Verbo divino; nam hæc scientia tribuitur Verbo incarnato: at unio hypostatica in primo conceptionis instanti existit: ergo et scientia Christi; nulla quippe est ratio cur aliud assignetur tempus.

2° *Quinta synodo generali quæ, collat. 8, cap. 12, contra Theolorum Mopsuestenum definit nullum admittendum esse profectum in Christo a deterioribus ad meliora; at si perfectam scientiam in primo conceptionis instanti non habuisset, profectus a deterioribus ad meliora admittendus foret: ergo.*

3° *Ex SS. Patribus. S. Greg. Naz., Orat. 20: « Proficiebat ut ætate, ita etiam sapientia: non quod hæc in eo incrementum caperent; quid enim eo quod a principio perfectum erat, perfectius esse possit? sed quod hæc paulatim detegerentur et elucerent. »*

S. Aug., de Peccatorum meritis et remissione, lib. 2, cap. 29: « Ignorantiam nullo modo crediderim fuisse in infante illo in quo Verbum caro factum est... nec illam ipsius animi infirmitatem in Christo parvulo fuerim suspicatus quam videmus in parvulis. » Alia multa taceo. Ergo 2°.

4° *Theologorum consensu. Ab unanimi theologorum sententia recedere periculosa est temeritas: atqui unanimes sunt theologi catholici in propositione nostra admittenda: ergo.*

Dices: Legitur de Christo, Luc. 11, 52: Jesus proficiebat sapientia, et ætate, et gratia, apud Deum et homines. Ergo.

R. Nego consequens. Verba enim hic objecta probant duntaxat indicia sapientiæ in Christo latentis cum ætate crevisse, et Christum quotidie perfectiora sapientiæ opera coram Deo ac hominibus fecisse: revera Patres, ut S. Greg. Naz. supra relatus, et Scripturæ interpretes ea sic intelligenda esse dicunt: ergo nihil ultra concludi potest.

Si Christus a Maria et a Judæis eam comitantibus quaesierit ubi posuerant Lazarum; si ter Petrum interrogaverit dicens: *Simon Joannis, diligis me? etc.*, id fecit ut

se humano loquendi modo accommodaret; at locutiones istæ nullam in eo arguunt ignorantiam, quod agnovit Petrus, dicens: *Domine, tu omnia nosti; tu scis quia amo te*, Joan. XXI, 17. Sic ipse Deus interrogans Adamum, dixit ei: *Ubi es?* Gen. III, 9.

Difficultatem autem petitam ex verbis quibus videtur Christus diem ultimi iudicii ignorare, jam solvimus in Tractatu de Trinitate, ubi de divinitate Verbi agebatur.

Diximus in propositione *Christum habuisse scientiam perfectam*, hoc est, suæ conditioni, dignitati et muneris competentem, sine hæsitatione aut incertitudine aliove errore positivo; non vero scientiam infinitam, quæ soli Deo competit.

Hinc 1^o Christus, ut homo, essentiam divinam intellectu comprehendere non potest, quia infinitam haberet scientiam.

Hinc 2^o plerique theologi, cum S. Thoma, docent Christum, ut hominem, omnia possibilis non cognoscere, alioquin divinam potentiam, ac proinde divinam essentiam attingeret, quod repugnat. Cognoscit igitur omnia existentia, sive præsentia, sive præterita, sive, ut probabilius, et futura, quia ea videt in decretis Dei existentia. Inter mera possibilis autem, quæ cognoscat, quæ ignoret, determinare non valemus.

Quæritur an Christus, ut homo, visione Dei intuitiva perfrui cæperit in primo conceptionis suæ instanti.

R. affirmative, ob varias rationes. 1^o Scientia ejus erat perfecta: atqui non fuisset perfecta si hac visione caruisset: qui enim visionem intuitivam non habet, cognoscit tantum ex parte, juxta Apostolum, I Cor. XIII, 9, videt per speculum et in ænigmate, ibid. v. 12: at qui cognoscit tantum ex parte, qui videt per speculum et in ænigmate, perfectam non habet scientiam: ergo. 2^o Testimonia Patrum superius relata aliaque similia usque ad visionem intuitivam extendenda videntur. 3^o Theologi et doctores unanimi voce hanc visionem tribuunt Christo in ipsomet unionis hypostaticæ instanti. Ergo.

Non dissimulandum tamen hanc conclusionem nullo

evidenti, sive Scripturæ, sive traditionis testimonio inniti: unde theologi unanimiter eam admittentes, non tradunt tanquam de fide.

§ II. — De sanctitate Christi.

Certum est Christum, ut hominem, fuisse sanctum; vocatur enim *Sanctus sanctorum*, Dan. IX, 24; *Quod nasceretur ex te sanctum*, inquit angelus ad Mariam, *vocabitur Filius Dei*, Luc. I, 35; et ipsi dæmones dicebant: *Scio te quis sis, Sanctus Dei*, Luc. IV, 34.

In quo autem constiterit sanctitas Christi ostendendum est per sequentes propositiones.

PROPOSITIO PRIMA.

Christus in primo conceptionis suæ instanti habuit 1^o gratiam habitualem, 2^o dona Spiritus sancti, 3^o virtutes infusas theologicas et morales, 4^o gratias gratis datas.

Prob. 1^o *Christus habuit gratiam habitualem.* Verbum enim caro factum dicitur, Joan. I, 14, *plenum gratiæ*; et ibid. 16, dicitur: *De plenitudine ejus accepimus*; cap. III, 34: *Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur; non enim ad mensuram dat Deus Spiritum.* Atqui hæc probant plenitudinem gratiæ sanctificantis fuisse in Christo, et ita omnes sentiunt.

Non igitur admittendi sunt in Christo defectus quos gratia impugnat in nobis, ut ignorantia, concupiscentia, mentis debilitas, etc.

2^o *Habuit dona Spiritus sancti, sine imperfectionibus quibus apud nos immixta sunt.* Isai. XI, 2, legitur: *Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini.* Ille textus intelligendus est de Christo, ut patet ex contextu; ex S. Irenæo, adversus Hæres. I. 3, cap. 3; ex Tertull. adversus Judæos, cap. 9; ex S. Hieron., in

Isai., ex aliis Patribus et Scripturæ sacræ interpretibus. Ergo.

In Christo autem non fuit, sicut apud nos, ignorantia, deliberatio, salutis incertitudo aliæque imperfectiones quibus dona scientiæ, consilii, fortitudinis, timoris, etc., opponuntur.

3^o *Omnes habuit virtutes infusas, sive theologicas, sive morales, cum perfectionibus suis compatibles. Id necessaria videtur appendix, 1^o unionis hypostaticæ, 2^o plenitudinis gratiæ, 3^o donorum Spiritus sancti. Sic omnes sentiunt.*

Diximus, *cum perfectionibus compatibles*; ratio patet. Unde non habebat fidem neque spem, siquidem illæ virtutes cum scientia perfecta et visione intuitiva conciliari nequeunt; nec etiam virtutes solo facultatum exercitio acquisitas, quamvis actus virtutum sibi infusarum reipsa exercuerit.

4^o *Habuit gratias gratis datas, quæ scilicet in aliorum utilitatem conceduntur; sunt enim, juxta B. Paulum, I Cor. XII, 9 et 10: Gratia sanitatum, operatio virtutum, prophetia, discretio spirituum, genera linguarum, et interpretatio sermonum: atqui, ex narratione Evangelica, constat Christum his omnibus gratiis donatum fuisse.*

Certum est Christum miracula operatum esse vi potentiæ divinæ qua præditus erat, per suam humanitatem quæ fuit eorum causa instrumentalis et moralis, quatenus divinitatem movit ad agendum. An vero fuerit etiam causa physica, subtiliter quærunt theologi: nos autem ab hac investigatione abstinemus.

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
PROPOSITIO SECUNDA.

Christus nunquam peccavit, nec peccare potuit.

Nota. Hæc propositio est contra nonnullos decimi sexti sæculi hæreticos, qui non erubuerunt tribuere Christo in cruce pendenti actus impatientiæ et desperationis.

Prob. Scriptura sacra, SS. Patrum testimoniis, et ratione.

1^o *Scriptura sacra. Joan. VIII, 46: Quis ex vobis arguet me de peccato? II Cor. V, 2: Eum qui non noverat peccatum pro nobis peccatum fecit. Hebr. IV, 15: Tentatum autem per omnia absque peccato. I Joan. III, 5: Ille apparuit ut peccata nostra tolleret, et peccatum in eo non est.*

Alibi Christus dicitur simpliciter justus, sanctus, impollutus, segregatus a peccatoribus, justitia, sanctitas: atqui hæc vera non essent si vel unum admisisset peccatum, sive originale, sive actuale, sive grave, sive leve: ergo 1^o.

2^o *Ex SS. Patribus qui unanimi voce Scripturæ concinentes, docent in innumeris locis Christum semper fuisse sanctum, immaculatum, et ab omni peccati putredine alienum; inutile est eorum testimonia hic specialiter referre. Ergo 2^o.*

3^o *Ratione. Cum Christus, vi unionis hypostaticæ, semper fuerit Filius Dei, si peccatum vel unico instanti habuisset, recte dici potuisset Filium Dei peccasse, seipsum offendisse, penas meruisse, etc.: atqui hæc sunt absurda: ergo 3^o, etc.; aliunde, etc. Ergo.*

Dices 1^o: Verbum, licet impassibile in sua natura, factum est passibile in natura humana: ergo similiter et peccare potuit,

R. Nego conseq. et paritatem. Ratio disparitatis est, quod passibilitas naturalis sit humanæ naturæ appendix; non magis igitur Verbi personam dedecet quam ipsamet humanitas: contra vero cum peccatum sit actus rebellionis erga Deum, manifeste repugnat illud Filio Dei tribui. Ergo.

Dices 2^o: Christus exclamavit in cruce: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Matth. XXVII, 46: atqui hæc verba impatientiam et desperationem indicant: ergo.

R. Nego min. Sensus enim tam indignum Christo verbis hic objectis tribuere non licet, si ea in pio sensu optime intelligi possint; atqui verba prædicta in pio sensu optime intelligi possunt: et sic revera a cunctis Scripturæ

interpretibus intelliguntur, nempe eo sensu quod Christus hic dolorum suorum acerbitatem exprimat eamque Patri suo offerat, atque manifestet cruciatus suos nulla consolatione sensibili leniri : ergo.

Quæritur 1° an in Christo fuerit fomes peccati, seu concupiscentia.

R. negative. Concupiscentia enim, ut vulgo intelligitur, consistit in motibus indeliberatis quibus ad peccatum impellimur : atqui tales motus in Christo nunquam exstiterunt, 1° quia personam Filii Dei dedecuisse, ferme sicut ipsum peccatum; 2° quia hi motus Christo non tribuendi sunt, qui in Adamo ante peccatum non existebant; 3° quia sancti Patres ita judicarunt : unde S. Aug., *Opere imperf.*, lib. 4, n. 37, ait : « Quisquis credit carnem Christi contra spiritum concupivisse, anathema sit. » Ergo.

Neque obijciatur tentatio a dæmone Christo suscitata; erat enim tantum externa, id est, in propositione actus peccaminosi consistebat, non vero in internis motibus concupiscentiæ. Christus sapientissime permisit contra se perversas spiritus maligni suggestiones, ut exemplo suo doceret quid in tentationibus agendum sit; sed nullo modo inclinatus fuit ad assentiendum malo sibi proposito : ergo inde male concluderetur motus concupiscentiæ in ipso exstitisse.

Si autem ante passionem suam Deum Patrem oraverit, dicens, Matth. xxvi, 39 : *Pater mi, si possibile est, trans-eat a me calix iste*; non quia tentabatur et formidabat ne tentationis violentiæ cessurus esset, sed ut ostenderet naturalem animæ suæ repugnantiam, magnitudinem ac intensitatem dolorum quos pro nobis libenter et ex propria electione sufferebat : unde S. Lucas eandem orationem referens, scribit, xxii, 42 : *Pater, si vis, transfer calicem hunc a me* : et, juxta utrumque Evangelistam, Christus addidit : *Verumtamen, non sicut ego volo, sed sicut tu : non mea voluntas fiat, sed tua.* Ergo.

Quæritur 2° an Christus quod perfectius erat semper elegerit.

R. affirmative, idque certum videtur ex sequentibus ipsius Christi verbis, Joan. viii, 29 : *Quæ placita sunt ei facio semper.* Inde concludunt theologi illum non solum divinis præceptis, sed et omnibus consiliis perfectum semper præstitisse obsequium, atque inter varia bona opera, meliora continuo elegisse. Docetur tamen id unionis hypostaticæ necessariam non esse consequentiam.

§ III. — De libertate Christi.

In memoriam revocandæ sunt notiones circa libertatem in genere, quas tradidimus in *Metaphysica*, loquendo de libertate Dei et de libertate humana.

Notandum est duplicis generis esse præcepta Christo, ut homini, a Deo imposita : naturalia, scilicet, v. g., colendi Deum, non mentiendi; et positiva, v. g., moriendi pro hominibus. Hic duo inquiruntur, 1° an Christus reipsa fuerit liber; et 2° quomodo libertas in ipso cum aliis perfectionibus ejus conciliari possit.

Punctum primum. — *An Christus reipsa fuerit liber.*

Certum est 1° illum non habuisse libertatem contrarietatis, cum, ex modo probatis, malum nunquam facere potuerit.

Certum est 2° illum fuisse liberum ab omni coactione, idque a nemine negatur.

Difficultas est igitur an liber fuerit etiam a necessitate : quidam, difficultate conciliandi libertatem Christi cum ipsius impeccabilitate pressi, id negarunt, contententes ad merendum aut demerendum in statu naturæ integræ libertatem a necessitate requisitam non esse, sed sufficere libertatem a coactione, quamvis sit de fide quod in statu naturæ lapsæ ad merendum aut demerendum non sufficiat libertas a coactione, sed requiratur libertas a necessitate.

PROPOSITIO.

Christus in plurimis et præsertim in subeunda morte fuit liber a necessitate

Prob. Scriptura sacra, ex SS. Patribus, et ratione.

1° *Scriptura sacra.* Isai. LIII, 7 : *Oblatus est quia ipse voluit* : hæc verba, juxta omnes, intelliguntur de Christo : porro veram expriment libertatem. Joan. x, 17, 18 : *Ego pono animam meam ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a meipso, et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam : hoc mandatum accepi a Patre meo.* Certe hic agitur de Christo ut homine, siquidem mandatum hoc faciendi accepit a Patre : atqui tamen vera hic exprimitur libertas.

Sic in pluribus aliis locis, v. g. : *Scio quos elegerim ; Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, etc.* ; electio autem est actus veræ libertatis : ergo 1°.

2° *Ex SS. Patribus* : S. Aug., Tract. 37 in Joan., n. 9 : « Audi, stulte : *Nondum venerat hora ejus, non qua cogere mori, sed qua dignaretur occidi.....* Quomodo » sub facti necessitate positus erat qui alio loco dixit : « *Potestatem habeo ponendi animam meam?* etc. »

S. Th. in 3, q. 18, art. 4, ad 3 : « *Voluntas Christi, licet sit determinata ad bonum, non tamen ad hoc vel illud bonum.* »

Eodem modo innumeris locis libertatem Christi expriment alii Patres et doctores. Ergo 2°.

3° *Ratione* ; nam 1° Christus accepit mandatum ; obediens fuit, merita coram Deo, *ut infra dicemus*, acquisivit : atqui hæc libertatem evidenter supponunt. 2° Perfectus fuit homo : at perfectus non fuisset homo, si vera libertate caruisset : ergo 3°, etc. Ergo.

Attamen negare non possumus probationes allatas non esse demonstrationes ; ostendunt quidem Christum veram habuisse libertatem : at immunitas a necessitate in bono estne absolute requisita ad veram libertatem ? Non liquet. Deus enim est vere liber, et tamen non immunis a necessitate in bono.

Satisfactio in eo præcipue consistit, quod gloria Dei per peccatum læsa reparatur : actus ideo satisfactorius debet esse Deo gloriosus, et eo magis satisfactorius erit quo erit Deo gloriosior. Porro actus elicited ab intelligentia ita per divinarum perfectionum cognitionem in bono firmata, ut non habeat facultatem ab illo divertendi, non

cessat esse Deo gloriosus, imo eo magis Deum glorificat, quo magis in perfectionibus Dei fundatur. Quo magis in amore Dei proficiunt justis, eo minus fiunt liberi a Deo divertendi, et tamen magis Deum glorificant ; sancti in cælo regnantes, jam non habent libertatem a necessitate, idque ob fulgorem divini luminis quo illuminantur et voluptatis torrentem quo potantur. Numquid dicendum est Deum minorem ab illis accipere gloriam quam ab hominibus imperfectis, licet justis, in terra adhuc degentibus ?

Maxime igitur gloriosum fuit Deo voluntatem personæ excellentissimæ dignitatis, ut erat Christus, ita per divinarum perfectionum suarum communicationem allicere, ut in ea non remanserit facultas ab illo divertendi vel etiã abstrahendi. Gloria ejus per peccatum læsa sic magnificèntissime compensata, ipse fuit inclinatus ad eandem donationem hominibus per fidem Christo unitis faciendam.

Ea sententia admissa, multæ evanescent difficultates, ut ex dicendis patebit. Quidquid sit, certum est Christum non fuisse in omnibus a necessitate liberum ; v. g., liber non fuit circa præceptorum naturalium substantiam, alioquin ea violare sicque peccare potuisset, quod repugnare demonstravimus ; sed, juxta multos, liber fuit circa illorum circumstantias, v. g., circa intentionem, gradum amoris, tempus, etc., hæc enim sub ipso præcepto non cadunt : libere igitur Christus inter hos actus accidentales de se bonos et optimos eligere potuit, et ita in his præceptis adimplendis mereri.

Punctum secundum. — *Quomodo libertas in Christo cum aliis perfectionibus ejus conciliari possit, præsertim cum ejus impeccabilitate et scientia.*

Præcipuas theologorum sententias hic relaturi sumus breviter adjicientes quid de singulis nobis videatur.

1° Doctissimus Petavius arbitratur, l. 9, c. 8, n. 6, et alii quidam cum illo, expressum de morte subeunda præceptum Christo non fuisse impositum, sed generale

duntaxat mandatum genus humanum salvandi per unum e pluribus mediis sibi oblatis : unde Christus in hac hypothese passionis dolores et mortem crucis propria voluntate elegit.

Sed illa sententia Scripturæ sacræ minus congruere videtur; legitur enim Christum, ubi de morte agitur, mandatum a Patre suo accepisse, obedientem fuisse *usque ad mortem, mortem autem crucis*, Philipp. II, 8 : obedientia autem supponit præceptum.

2º Alii, inter quos *Vasquez*, sentiunt Christum non fuisse quidem liberum circa substantiam præcepti de morte subeunda accepti, neque circa substantiam præceptorum naturalium, quia tunc peccare potuisset : at dicunt illum plene liberum fuisse circa illorum præceptorum circumstantias, videlicet circa motivum, animi præparationem, actus relationem, genus mortis, tempus, locum, etc., et ab hujusmodi circumstantiis abstinere potuisse sine peccato. Verum, ex textibus superius a nobis allatis, constat Christum fuisse liberum in ipsa substantia præcepti : *Oblatus est, quia ipse voluit; Pono animam meam*, etc. Idem patet ex Patribus et ratione. Ergo.

3º Alii arbitrantur præceptum moriendi in cruce Christo fuisse impositum, a quo dispensationem petere et obtinere potuisset, si voluisset; eumque in passione sua et in morte subeunda fuisse liberum atque meruisse, quia facultati dispensationem petendi sponte renuntiavit. Suam opinionem sequentibus Christi verbis fulcire conantur, Matth. XXVI, 53 : *An putas quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones angelorum?* Hæc verba supponunt Christum liberari potuisse. Ergo.

Objiciuntur oracula Prophetarum, circumstantias passionis et mortis Christi prænantiantia; sed respondetur hæc oracula non nisi præviso libertatis Christi exercitio fuisse edita.

4º Quidam denique volunt Christum in subeunda morte liberum fuisse a coactione, non a necessitate. Hæc

opinio, superius relata, multas, ut notavimus, tollit difficultates.

Nos autem, in ea sententiarum diversitate, nihil definire audemus.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE DOTIBUS CHRISTI QUÆ SPECTANT AD IPSIUS CORPUS.

1º De fide est Christum habuisse corpus solidum, terrenum, humanis organis instructum, ejusdem materiæ et formæ, saltem quoad substantiam, ac nostrum, quia fide constat Christum perfectum fuisse hominem.

2º Pariter de fide est corpus et animam Christi inter se fuisse unita, alioquin 1º Christus perfectus non fuisset homo; 2º mori non potuisset; nam mors in animæ et corporis separatione consistit.

3º Iterum de fide est corpus Christi cum persona Verbi hypostatice fuisse unitum, et quidem in primo formationis suæ instanti : *patet ex supradictis*.

4º Certum videtur corpus Christi, non remote tantum et in quantum animæ est conjunctum, sed proxime unitum fuisse Verbo : sic Patres et doctores : « Vides quomodo modo divinitas utrique parti conjuncta, per utramque » declaratur, cum et corpus agat et anima velit, » inquit S. Greg. Nyss., Orat. I, de Christi Resurr.

Docent tamen non nisi mediante anima corpus a divinitate fuisse assumptum, adeo ut Verbum assumere non potuisset merum corpus nullam habens relationem ad animam; nam in tali hypothese certe non fuisset homo, nec pro hominibus satisfacere potuisset.

5º Certum est Christum assumpsisse corpus quoad omnes partes suas integrum, nam 1º Christus fuit perfectus homo, ex dictis; 2º SS. Patres et concilia docent illum assumpsisse corpus simile corpori quod primus parens noster habebat ante peccatum : porro Adami, manibus Dei exiens, corpus habebat integrum : ergo.

Inter partes corporis, aliæ sunt essentielles sine quibus existere non posset, ut caput, pectus, venter, etc.; aliæ sunt integrales, ut manus, pes, etc.; aliæ functionibus vitæ in præsentis statu necessariæ, ut sanguis et cæteri humores; aliæ ad ornatum, ut capilli; aliæ ad ornatum simul et ad quasdam functiones, ut dentes, etc.

6^o Certum est Verbum directe et hypostatice sibi uniisse saltem præcipuas corporis Christi partes; *id sequitur ex dictis*. Sed quæ partes reputari debent præcipuæ? Communiter censent theologi eas ut tales reputandas esse quæ anima rationali informantur: atqui, juxta philosophos, omnes partes organicæ, caro, ossa, nervi, anima informantur, ideoque sensibiles sunt; non ita unguis, capilli, etc. Unde ultimæ illæ partes Verbo non uniuntur.

Verum, cum hæc distinctio firmo non videatur innixa fundamento, alii malunt dicere has partes reputandas esse præcipuas, ac proinde Verbo hypostatice unitas, quæ, teste Scriptura, reperiuntur in Christo resuscitato: atqui testatur Scriptura corpus Christi ex mortuis resuscitati constituisse carne, ossibus aliisque partibus integranibus, eodem modo figuratis et dispositis ac corpora nostra, licet qualitates ejus longe fuerint diversæ.

Cæterum omnes fatentur Verbum hypostatice non fuisse unitum substantiis medium locum inter aimentata et sanguinem tenentibus, lacrymis, sudoribus, sputis, etc.

Queritur 1^o an sanguis Christi hypostatice unitus fuerit personæ Verbi.

R. Sanguis Christi in corpore ejus spectatus, Verbo hypostatice est unitus: nam 1^o persona Verbi dicit, *Sanguis meus*, quod dicere non posset, si ita sibi non uniretur. 2^o Variis in locis Scripturæ dicitur sanguinem Christi pro nobis fundendum esse, nos redemisse, mundasse, etc.: at sanguis Christi hæc præstare non potuit, nisi vi unionis suæ hypostaticæ cum Verbo divino. 3^o In sacra Eucharistia integer Christus ut Deus et homo datur sub specie vini: at vinum in sanguinem directe conver-

titur: ergo. Hinc infertur Christum in cælo nunc habere et semper habiturum esse sanguinem personæ Verbi directe et hypostatice unitum.

Queritur 2^o an sanguis in Passione effusus a divinitate fuerit separatus.

R. 1^o. Omnes consentiunt particulas sanguinis Christi quæ in nonnullis ecclesiis asservari, aut vestigia ejusdem sacri cruoris quæ in sindone sancta, v. g., Taurini servata, conspici dicuntur, in hypothesi quod sint vera, a Verbo divino jam separari.

R. 2^o. Quoad sanguinem in Passione effusum, gravis olim exorta est controversia, quæ incepit agitari Barcinonæ circa annum 1351, et renovata est anno 1462, inter Dominicanos et Franciscanos, Pio II sanctam Sedem tunc occupante. Ille Pontifex maximus, auditis defensoribus utriusque opinionis coram se hoc anno per tres dies disputantibus, solemnem edidit Constitutionem, qua statuit nulli licere proscribere velut hæreticam sententiam quæ negat sanguinem in triduo Passionis effusum divinitati unitum permansisse, donec aliquid in hujusmodi questione per sanctam Sedem definiretur: sancta Sedes nihil ultra definit. Unde unusquisque quam libuerit sententiam amplecti potest.

Quamvis unam præ alia tueri non aggrediamur, probabilius tamen nobis videtur sanguinem effusum in hoc triduo divinitati unitum mansisse. Vid. *Billuart*, de Incarn., Diss. VII, art. 2.

Apud omnes autem certum est divinitatem Verbi corpus Christi in triduo post mortem non deseruisse: nam de fide est Christum sepultum esse, quod personæ Verbi tribuitur: atqui hoc de persona Verbi dici non posset, si divinitas corpus Christi deseruisset: ergo.

Queritur 3^o an Christus fuerit speciosus.

R. Multi theologi affirmant, his Ps. XLIV verbis innixi: *Speciosus forma præ filiis hominum*; sed probandum foret 1^o hæc verba certo intelligenda esse de Christo, et 2^o ad pulchritudinem corporis potius quam ad virtutes animæ referenda esse. Alii, e contra, dicunt illum fuisse deformem, et aliis Scripturæ locis fulciuntur, v. g.,

Isai. LIII, 14 : *Inglorius erit inter viros aspectus ejus*; et LIII, 2 : *Non est species ei, neque decor*. At illa verba probabilius referuntur ad Christum patientem et cruciatus deformatum. Hinc concludendum est in hac quaestione nihil esse certum.

Probabilius aestimat *Legrand*, de Incarnat., Dissert. IX, c. 2, Christum communi forma donatum fuisse, neque valde pulchrum, neque deformem.

De passibilitate corporis Christi.

Unica hic remanet difficultas enusleanda, an scilicet corpus Christi fuerit passibile.

Negarunt 1° omnes Phantasiastæ, de quibus in initio hujus Tractatus egimus; 2° Apollinaristæ, qui docebant Christum anima non donari; 3° quidam Eutyechiani, qui, duce Juliano Halicarnassensi, volebant corpus Christi, ut pote unius naturæ cum Verbo, incorruptibile ac proinde impassibile esse: ideo vocati sunt *Incorrupticolæ*.

Alii plures contenderunt Christum, ob unionem naturæ suæ humanæ cum Verbo et immunitatem ab omni peccato, doloribus et infirmitatibus non fuisse subjectum naturaliter, sed tantum ex miraculo, ut nos redimeret.

Notandum inter humanos dolores, alios esse totæ naturæ communes, ut sitim, famem omnesque sensationes ingratas, quæ læsionem corporis sequuntur, et alios ex peculiaribus causis provenientes, ut sunt dolor dentium, dolor ventris, febris, etc.

Omnes fatentur posterioris generis dolores a Christo removendos esse, quia aliquid imperfectum denotarent. Agitur ergo duntaxat de doloribus naturæ humanæ communibus, et petitur an Christus eos reipsa expertus fuerit, et an voluntarie vel necessario.

PROPOSITIO PRIMA.

Christus communibus naturæ humanæ doloribus et infirmitatibus obnoxius fuit.

Propositio est de fide, et in Symbolis expresse continetur: *Qui passus est pro nobis*.

Prob. 1° Scriptura sacra. Isai. LIII, 3 et 4 : *Vidimus eum...*, *virum dolorum et scientem infirmitatem. Vere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit...* Joan. IV, 6 : *Fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem.* In aliis locis dicitur de Christo, *lacrymatus est, esuriit, sitiit, cepit contristari et mæstus esse*, etc.; atqui hæc omnia evidenter denotant illum reipsa passum esse: ergo.

Prob. 2° ratione. De fide est Christum pro nobis satisfacisse, ut mox ostensuri sumus: atqui tota de satisfactione Christi doctrina doloribus et infirmitatibus ejus innititur: ergo.

Dices: Anima Christi visione Dei intuitiva et beatifica in primo existentia suæ instanti fruebatur: atqui dolores cum visione Dei intuitiva et beatifica sunt incompatibiles: ergo.

R. Dist. min. Dolores cum visione intuitiva et beatifica completa sunt incompatibiles, *concedo*; cum visione incompleta, *nego min.* Non enim repugnat animam humanam sub uno respectu gaudere et sub alio pati, quod experientia constat. Porro Christus ratione intellectus Deum intuitive videbat, et sub hoc respectu gaudio perfruebatur; sed interea, cum in statu mortali adhuc esset, pars inferior animæ ejus dolori erat accessibilis. Ergo.

PROPOSITIO SECUNDA.

Non necessario, sed voluntarie, Christus fuit obnoxius communibus naturæ humanæ doloribus ac infirmitatibus.

Prob. 1° Scriptura sacra. Isai. LIII, 7 : *Oblatus est, quia ipse voluit*; Joan. X, 18 : *Nemo tollit eam (animam) a me, sed ego pono eam a me ipso*; ibid. IX, 33 : *Turbavit se ipsum.* Ergo 1°.

2° *Constanti traditione*, quæ Christum ut voluntarie patientem semper exhibuit.

3° *Ratione.* Ea Christo homini tribuenda est perfectio

quæ cum fine Incarnationis non pugnat : atqui dolores in eo invito non nasci, nec perseverare, est perfectio quæ cum fine Incarnationis, nempe cum redemptione nostra, non repugnat, *ut patet* : ergo.

Quomodo autem Christus dolores etiam acerbissimos in parte inferiori sentire potuerit, dum pars ejus superior cœlesti gaudio delectabatur, ignoramus : atqui in hoc puncto, sicut in aliis numero infinitis, limites intelligentiæ nostræ agnoscere debemus.

Dices : Quidam sancti Patres, et præsertim S. Hilarius, de Trinitate, lib. 10, n. 23, docent Christum, licet percussum, vulneratum, suspensum, etc., dolorem Passionis, non sensisse. Ergo.

R. Dist. ant. Dolorem Passionis non sensisse involuntarie, *concedo*; voluntarie, *nego ant.* Etenim S. Hilarius respondens Arianis, qui contra divinitatem Christi ex passionibus ejus arguebant, ostendit eum non more nobis communi dolores sensisse, sed more sibi proprio, scilicet libere et placite; unde S. Joannes dicit, xi, 33 : *Turbavit seipsum.* Non autem S. doctor dixit Christum nullos dolores reipsa expertum esse, aut si dixit, sententiam mutavit; nam in Ps. LIII, n. 5, ait : « Ut absolutissimum nobis humanæ humilitatis esset exemplum » (Christus), omnia quæ hominum sunt et oravit et passus est... Hinc illud est quod esurivit, sitivit, dormivit, lassatus est, impiorum cœtus fugit, mœstus fuit, flevit, passus est et mortuus est. » Ergo.

Non tamen dicendum est cum quibusdam dolores Christi per miraculum exstitisse : potestatem quidem habebat eos non sentiendi, sed, posito ipsius assensu, ex natura ejus passibili oriebantur secundum leges pro cæteris hominibus constitutas; nam, inquit Apostolus, Hebr. II, 17 : *Debuit per omnia fratribus similari... ut repropitiaret delicta populi*; et ibid. IV, 14 : *Non enim habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris : tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato* : atqui vera non exstitisset similitudo, si dolores et infirmitates ex ipsius natura non venissent : ergo.

Patet, ex dictis, in Christo fuisse passiones seu motus appetitus sensibilis recte ordinatos, ut amorem et desiderium boni sensibilis, odium et fugam mali, gaudium et tristitiam, spem et timorem, etc.

CAPUT SEPTIMUM.

DE TITULIS CHRISTI.

Christus passim vocatur in Scriptura Filius Dei, Sacerdos, Pontifex, Rex, Judex, Doctor, Legislator, Redemptor, Salvator, Mediator, Caput Ecclesiæ et angelorum. Plerique illi tituli facile intelliguntur et nullam secum portant difficultatem : dicemus tantum de Christo, in quadruplici articulo, 1º quatenus est Filius Dei; 2º quatenus est sacerdos; 3º quatenus est mediator; et 4º quatenus est caput Ecclesiæ et angelorum.

ARTICULUS PRIMUS.

DE CHRISTO, QUATENUS EST FILIUS DEI.

De fide est Christum, ut Deum, esse Filium Dei naturalem, *ut probavimus*. Agitur ergo de Christo ut homine, et quæstio est an ratione unionis hypostaticæ solummodo dici debeat Filius Dei naturalis, an vero recte appellari possit Filius Dei adoptivus. Adoptio autem est personæ extraneæ gratuita assumptio ad hæreditatem capiendam sicut filius.

Nestoriani, duas admittentes in Christo personas, duos in eo volebant esse filios Dei, unum naturalem et alterum adoptivum, ex Maria natum.

Versus finem octavi sæculi, Felix, episcopus Urgelitanus, et Elipandus, episcopus Toletanus, in Hispania, docuerunt Christum ratione humanitatis recte dici posse filium Dei adoptivum, licet ut Deus filius sit natura-

quæ cum fine Incarnationis non pugnat : atqui dolores in eo invito non nasci, nec perseverare, est perfectio quæ cum fine Incarnationis, nempe cum redemptione nostra, non repugnat, *ut patet* : ergo.

Quomodo autem Christus dolores etiam acerbissimos in parte inferiori sentire potuerit, dum pars ejus superior cœlesti gaudio delectabatur, ignoramus : atqui in hoc puncto, sicut in aliis numero infinitis, limites intelligentiæ nostræ agnoscere debemus.

Dices : Quidam sancti Patres, et præsertim S. Hilarius, de Trinitate, lib. 10, n. 23, docent Christum, licet percussum, vulneratum, suspensum, etc., dolorem Passionis, non sensisse. Ergo.

R. Dist. ant. Dolorem Passionis non sensisse involuntarie, *concedo*; voluntarie, *nego ant.* Etenim S. Hilarius respondens Arianis, qui contra divinitatem Christi ex passionibus ejus arguebant, ostendit eum non more nobis communi dolores sensisse, sed more sibi proprio, scilicet libere et placite; unde S. Joannes dicit, xi, 33 : *Turbavit seipsum.* Non autem S. doctor dixit Christum nullos dolores reipsa expertum esse, aut si dixit, sententiam mutavit; nam in Ps. LIII, n. 5, ait : « Ut absolutissimum nobis humanæ humilitatis esset exemplum » (Christus), omnia quæ hominum sunt et oravit et passus est... Hinc illud est quod esurivit, sitivit, dormivit, lassatus est, impiorum cœtus fugit, mœstus fuit, flevit, passus est et mortuus est. » Ergo.

Non tamen dicendum est cum quibusdam dolores Christi per miraculum exstitisse : potestatem quidem habebat eos non sentiendi, sed, posito ipsius assensu, ex natura ejus passibili oriebantur secundum leges pro cæteris hominibus constitutas; nam, inquit Apostolus, Hebr. II, 17 : *Debuit per omnia fratribus similari... ut repropitiaret delicta populi*; et ibid. IV, 14 : *Non enim habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris : tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato* : atqui vera non exstitisset similitudo, si dolores et infirmitates ex ipsius natura non venissent : ergo.

Patet, ex dictis, in Christo fuisse passiones seu motus appetitus sensibilis recte ordinatos, ut amorem et desiderium boni sensibilis, odium et fugam mali, gaudium et tristitiam, spem et timorem, etc.

CAPUT SEPTIMUM.

DE TITULIS CHRISTI.

Christus passim vocatur in Scriptura Filius Dei, Sacerdos, Pontifex, Rex, Judex, Doctor, Legislator, Redemptor, Salvator, Mediator, Caput Ecclesiæ et angelorum. Plerique illi tituli facile intelliguntur et nullam secum portant difficultatem : dicemus tantum de Christo, in quadruplici articulo, 1º quatenus est Filius Dei; 2º quatenus est sacerdos; 3º quatenus est mediator; et 4º quatenus est caput Ecclesiæ et angelorum.

ARTICULUS PRIMUS.

DE CHRISTO, QUATENUS EST FILIUS DEI.

De fide est Christum, ut Deum, esse Filium Dei naturalem, *ut probavimus*. Agitur ergo de Christo ut homine, et quæstio est an ratione unionis hypostaticæ solummodo dici debeat Filius Dei naturalis, an vero recte appellari possit Filius Dei adoptivus. Adoptio autem est personæ extraneæ gratuita assumptio ad hæreditatem capiendam sicut filius.

Nestoriani, duas admittentes in Christo personas, duos in eo volebant esse filios Dei, unum naturalem et alterum adoptivum, ex Maria natum.

Versus finem octavi sæculi, Felix, episcopus Urgelitanus, et Elipandus, episcopus Toletanus, in Hispania, docuerunt Christum ratione humanitatis recte dici posse filium Dei adoptivum, licet ut Deus filius sit natura-

lis ; adeo ut duplicem in eo admiserint filiationem, et tamen unicam personam, saltem juxta multos, qui volunt eos cum Nestorianis non sensisse. Horum errores damnati sunt in concilio Forojuliensi, anno 791 ; Ratisbonensi, anno 792, et Francofurtensi, anno 794.

PROPOSITIO.

Christus, ut homo, est filius Dei naturalis, nec ullo modo dici potest filius Dei adoptivus.

Notandum 1° filiationem cadere in personam, non vero in naturam, de qua dici non potest eam esse alicujus filiam.

Notandum 2° ad adoptionem requiri personam extraneam ; de patre enim dici non potest eum adoptare filium suum naturalem.

Prob. Nostra propositio est de fide quoad primam partem ; probatur Scriptura sacra, conciliis, traditione et rationibus theologis.

1° *Est de fide* quoad primam partem, ut pote in Symbolis fidei definita : *Et in Jesum Christum, Filium ejus unicum, vel unigenitum, ut habetur in Symbolo Const.* Ibi agitur de Christo ut homine, qui conceptus et natus est, et qui simul est Deus de Deo : ergo est filius Dei naturalis.

2° *Prob. Scriptura sacra.* Joan. 1, 14 : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre.* Verbum caro factum, en Christus ut homo ; Unigenitus a Patre, en filius Dei naturalis, nam multi sunt filii adoptivi. Ergo.

Rom. v, 8 : *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum :* proprius Filius Dei est filius naturalis ; Christus non fuit traditus nisi ut homo. Ergo 2°.

3° *Conciliis*, nempe Forojuliensi, Ratisbonensi et Francofurtensi supra citatis.

4° *Traditione.* Unanimes enim in hoc capite sunt Patres, ex quibus sit tantum S. Hilarius, de Trinitate, l. 3.

n. 11 : « Hic et verus et proprius est Filius, origine, non » adoptione. »

5° *Rationibus theologis.* 1° Adoptio est assumptio personæ extraneæ : at Christus, sive spectetur ut Deus, sive ut homo, non est persona Deo extranea. 2° Unica est persona in Christo, scilicet persona Verbi : porro Filius est nomen personæ, non vero naturæ : ergo. 3° Si Christus ut homo recte dici possit Filius Dei adoptivus, cum beata Virgo non genuerit divinitatem, jam non erit mater Dei ; quod tamen fidei repugnat : ergo, etc. ; aliunde, etc. Ergo.

Notandum quosdam æstimare Christum dici posse filium Dei adoptivum, propter gratias in humanitate ejus receptas, vel filium Dei simul naturalem et adoptivum, vel etiam filium totius Trinitatis : verum omnes illæ locutiones sunt incorrectæ et ab illis caute abstinendum est.

Si autem quidam sancti Patres loquantur de adoptione in Christo aut per Christum, id intelligendum est vel eo sensu quod Filius Dei carnem nostram adoptaverit, ut divinitatis ejus participes fieremus ; vel eo sensu quod homo in genere, seu genus humanum, per Christum adoptionem Dei obtinuerit ; nunquam vero eo sensu quod Christus ut homo filius Dei adoptivus dici possit.

Queritur 1° an Christus dici possit servus Dei.

R. Aliquis duplici sensu dici potest alterius servus, stricte scilicet et late : qui stricte est servus, non est sui juris, sed alterius, et nullum habet jus in hæreditatem ejus : ille vero late dicitur servus, qui voluntati alterius obtemperare tenetur, quamvis sui sit juris. Certum est Christum dici non posse servum Dei in priori sensu, quia naturale jus habet ad hæreditatem Patris. At nihil obstat quominus dicatur servus in posteriori sensu : nam voluntati Patris fuit subjectus, et factus est obediens usque ad mortem. Eo sensu dicitur de illo apud Isai. XLII, 1 : *Ecce servus meus.*

Queritur 2° in quo præcipue consistat error P. Berruyer circa incarnationem.

R. Præcipue docebat Berruyer, 1° nomine Jesu Christi intelligendum sanctissimam Christi humanitatem Verbo

in genere subsistendi completam; 2° hanc humanitatem Verbo in genere subsistendi completam *in recto* dici posse et debere filium Dei naturalem; 3° Jesum Christum seu sanctissimam Christi humanitatem esse naturalem filium Dei in tribus personis subsistentis, ad extra agentis, et sanctissimam Christi humanitatem cum persona divina in primo conceptionis suæ instanti per actionem transeuntem et liberam unientis.

In eâ opinione, Christus ut homo uni personæ divinæ hypostatice unitus, dicendus est naturalis filius Dei in tribus personis subsistentis adorandus. Vide opus *Berruyer, seconde partie, t. viii*; Censuram Facultatis Parisiensis et *Legrand, de Incarnat., Dissert. xi.*

Hinc humanitas Christi quodam modo substituitur Verbo: idcirco adversus hanc doctrinam nascentem undique conelamatum est, et opus *Berruyer, Histoire du peuple de Dieu*, damnatum fuit, præsertim in secunda et tertia parte, a plurimis Galliæ episcopis, et a Sede Apostolica, decreto solemnî diei 2 decembris anni 1758 a Clemente XIII edito.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE CHRISTO QUATENUS EST SACERDOS VEL PONTIFEX.

Præcipua sacerdotis et pontificis munia sunt docere populum, pro illo deprecari et maxime offerre sacrificium: *Omnis pontifex ex hominibus assumptus*, inquit Apost., Hebr. v, 1, *pro hominibus constituitur in iis que sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.*

Petit ergo an Christus fuerit 1° proprie sacerdos, 2° ut homo, 3° in æternum, et 4° secundum ordinem Melchisedech. His omnibus quæsitis per sequentem satisfactionem.

PROPOSITIO.

Christus vere fuit sacerdos, ut homo, in æternum et secundum ordinem Melchisedech.

1° Vere fuit sacerdos. Ps. cix, 4: *Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.* Illa verba de

Christo intelligenda sunt, ut patet ex B. Paulo, Hebr. v, 6 et 7. Præterea omnia sacerdotis munia implevit: 1° sublimem tradidit doctrinam hominibus; 2° pro illis frequenter oravit, et 3° sacrificium Deo pro peccatis obtulit, nempe semetipsum immolatum et in cruce pendentem: *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.* Ergo.

2° Fuit sacerdos, ut homo: non potuit enim ut Deus orare, immolari et seipsum in oblationem offerre. Ergo.

3° In æternum, per oppositionem ad sacerdotium Aaron, ad tempus duntaxat duraturum: patet ex verbis Ps. cix citatis, et fusius ex Apost. Hebr. vii, 17, et seq., y. 24: *Hic autem, eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium.* Ergo 3°.

4° Secundum ordinem Melchisedech. Expressa sunt verba Ps. cix et Apostoli, Hebr. vii. Aliunde est sacerdos secundum ordinem Melchisedech, vel secundum ordinem Aaron: atqui posterius admitti non potest, siquidem Christus ut homo non ex tribu Levi, sed ex Juda ortus est: ergo.

Eximia legi potest comparatio inter sacerdotium Melchisedech et sacerdotium Christi in Epist. ad Hebr., cap. vii.

Observandum est Christum fuisse simul victimam et sacerdotem: victimam, quatenus pro nobis immolatus est; et sacerdotem, quatenus occisioni suæ ab impiis actæ libere consensit, atque seipsum patientem et morientem pro nobis Deo Patri obtulit.

ARTICULUS TERTIUS.

DE CHRISTO, QUATENUS EST MEDIATOR.

Mediator, in genere, ille est qui inter dissidentes se interponit, ut eos ad concordiam adducat: variis modis hoc officium implere potest; vel 1° ut internuntius et utriusque partis interpres, condiciones et pacta hinc et inde referendo; 2° ut advocatus, uni parti pro altera

supplicando; et 3^o ut sponsor, parti læsæ pro altera satisfaciendo. Qui hæc omnia præstat, perfectus dicitur mediator; imperfectus vero qui nonnulla tantum facit.

Sociniani dicunt Christum fuisse quidem mediatorem, sed ut internuntium tantum, seu voluntatis divinæ interpretem; non vero ut hominum sponsorem: hunc errorem in capite sequenti refellemus, de satisfactione Christi agendo.

PROPOSITIO.

Christus perfectus fuit mediator Deum inter et homines.

Prob. I Tim. II, 5: Unus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus.

Perfectus autem fuit mediator, si cunctis muneribus perfecti mediatoris functus fuerit: atqui res ita se habet. 1^o Fuit voluntatis divinæ interpretis et nuntius inter Deum et homines: *Deum nemo vidit unquam*, ait ipse apud Joan. I, 18; *unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit*. 2^o Fuit pro nobis advocatus et intercessor. Frequenter enim orabat, prolixius orabat, pernoctabat in oratione, clamabat clamore valido, etc. 3^o Fuit sponsor pro nobis, siquidem *dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*. Ergo.

His perfunctus est muneribus, non ut Deus tantum, quia Deus orare, intercedere et offerre non potest; nec ut homo tantum, quia natura humana per seipsam Deo convenienter satisfacere non poterat: ergo fuit mediator ut homo Deus.

Certum est insuper Christum etiam nunc pro nobis orare in cælo, et officio mediatoris quodam modo adhuc fungi: nam *Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum, justum*, I Joan. II, 1; *Jesus Christus qui mortuus est, in eo et qui resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*, Rom. VIII, 34. Qua autem ratione hoc munere nunc fungatur, an sola humanitatis suæ et meritorum quæ acquisivit repræsentatione, an aperta oratione, definire non valemus.

ARTICULUS QUARTUS.

DE CHRISTO, QUATENUS EST CAPUT ECCLESIE ET ANGELORUM.

Certum est 1^o Christum esse caput Ecclesiæ seu omnium fidelium ipsi sub pastorum regimine servientium; hoc enim expresse continetur in Scriptura. Eph. I, 22: Ipsum dedit (Deus) caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius. Ibid. v, 23: Christus caput est Ecclesiæ, ipse salvator corporis ejus. Coloss. I, 18: Ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis: ut sit in omnibus ipse primatum tenens.

Et vero, ut quis caput alicujus corporis morales seu hominum cœtus merito dicatur, tres sufficiunt conditiones, ut scilicet aliis sit conjunctus, eos dignitate præcellat, eisque bona ipsorum conditioni necessaria communicet: atqui tres illas conditiones sibi vindicare potest Christus respectu Ecclesiæ. 1^o Fidelibus conjunctus est ratione suæ humanitatis, *propter quam causam non confunditur fratres eos vocare, dicens: Nuntiabo nomen tuum fratribus meis; in medio Ecclesiæ laudabo te*, Hebr. II, 11 et 12. 2^o Eos omnes præcellit dignitate, ratione divinitatis. 3^o Bona conditioni eorum necessaria ipsis communicat, nempe gratiam in terris et gloriam in cœlis. Ergo.

Certum est 2^o Christum ut hominem esse caput angelorum: B. Paulus, Eph. I, 20, dicit Deum constituisse Christum ad dexteram suam in cælestibus, supra omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen quod nominatur, non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Et omnia subjecit sub pedibus ejus, Coloss. II, 16. Christus dicitur caput omnis principatus et potestatis. Ergo.

Quomodo autem Christus ut homo conjunctus sit angelis, quas eis conferat gratias explicare non intendimus: ineffabilia sunt alterius vitæ mysteria.

CAPUT OCTAVUM.

DE SATISFACTIONE CHRISTI.

Tot undique profluunt bona ex altissimo Incarnationis mysterio, ut Ecclesia de lapsu Adami dicere non timeat: *O felix culpa quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem!* Innumera hæc misericordiæ prodigia explanare vel etiam enumerare non aggredimur. Verum de satisfactione Christi plura nobis dicenda sunt, et præsertim de ejus necessitate, veritate et perfectione, quod in triplici articulo persolvemus: quartum addemus de merito Christi.

ARTICULUS PRIMUS.

DE NECESSITATE SATISFACTIONIS CHRISTI.

Constat, ex dictis ubi de necessitate Incarnationis, satisfactiones Christi non fuisse necessarias absolute, nec in hypothesi creationis mundi, nec etiam post hominis lapsum, quia Deus potuisset hominem in statu lapsus relinquere vel gratis ei condonare, vel imperfecta satisfactione placari. Probavimus vero Incarnationem, ac proinde satisfactiones Christi stricte necessarias esse, ex hypothesi quod Deus condignam satisfactionem pro peccato exigeret: hic ergo petitur an hypothesis ista vere existat, id est, an reipsa Deus condignam satisfactionem pro peccato exigat.

Negant Sociniani, qui Christum esse purum hominem arbitrantes, docere debuerunt et revera docuerunt Deum condignam satisfactionem pro peccato non exigere, sed paratum esse omnibus respicientibus quæcumque delicta gratis condonare.

De fide est Christum esse Deum. Nunc igitur proban-

dum est tantum Deum condignam pro peccato satisfactionem exigere. At constat, ex ipsismet satisfactionibus Christi, Deum condignam pro peccatis nostris satisfactionem exegisse, ut patebit ex dicendis.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE VERITATE SATISFACTIONUM CHRISTI.

Sociniani, licet divinitatem Christi negent, eum tamen agnoscunt ut sacerdotem et victimam, ut salvatorem et mediatorem, sed metaphorice, eo sensu videlicet quod per voluntariam sui mortem quasdam adimpleverit conditiones requisitas ut Deus gratis nobis condonaret, sua doctrina suisque exemplis, viam Deum placandi nobis monstraverit. In ea opinione Christus non fuit causa salutis hominum, sed solum conditio sine qua homines non obtinuissent salutem a Deo sibi paratam.

Contrarium universi tenent theologi, dicentes mortem Christi fuisse causam proprie dictam et *sine qua non* salutis nostræ; cum quibus sit

PROPOSITIO.

Christus pro nobis vere satisfecit et satisfactiones ejus fuerunt causa sine qua non salutis nostræ.

Prob. Scriptura sacra, Symbolis fidei, constanti traditione et ratione.

1^o *Scriptura sacra.* Aliquos seligemus textus inter innumeros qui citari possent.

Isai. LIII, 5: *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus.*

I Petr. I, 18: *Scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi et incontaminati.*

Rom. VIII, 32 : *Proprio Filio suo non peperit* (Deus); *sed pro nobis omnibus tradidit illum*. Ibid. v, 10 : *Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus*. Unde sic : Ille vere et proprie pro nobis satisfacit, qui livore suo nos sanavit, sanguine suo tanquam pretio nos redemit, pro nobis traditus est, et per mortem suam nos Deo reconciliavit : atqui hæc omnia fecit Christus, *ut constat ex textibus citatis*.

Wescheider, auctor lutheranus, in suis *Instit. theol. dogm. Christ.*, § 136, fatetur 1° dogma catholicorum circa satisfactiones Christi Scripturis sacris contineri, et in vanum Socinianos allaborasse ad illud tollendum; 2° scriptores sacros adulteratis traditionibus utentes, in hoc errasse, id sapienter permittente Providentia divina, et post ipsos Ecclesiam in errorem incidisse. Ergo 1°.

2° *Ex Symbolis fidei*. In illis enim Ecclesia profitetur Christum pro nobis passum, mortuum et sepultum esse. Hæc autem verba cum satisfactione pure metaphorica conciliari non possunt : ergo 2°.

3° *Constanti traditione*. Sociniani fatentur omnes Patres in hoc sensu scripsisse, sed auctoritatem illorum parvi pendunt : nos vero argumento præscriptionis evincimus illos hanc doctrinam ab Apostolis et ab ipso Christo emanasse, quia repugnat traditionem adeo universalem et constantem aliud initium habuisse. Ergo 3°.

4° *Ratione*. 1° Si Christus eo sensu tantum nos redemerit, quod sublimem quam docuerat doctrinam morte sua confirmaverit, dicendum est martyres etiam pro nobis mortuos esse, siquidem mortem gloriose oppetendo, doctrinam Christi suo modo confirmaverunt : attamen *unus pro omnibus mortuus est*, inquit Apostolus, II Cor. v, 14. 2° Redemptio nostra non morti, sed doctrinæ et exemplis Christi tribuenda foret : atqui tamen in Scriptura et in tota traditione morti tribuitur. 3° Semper creditum est, etiam in falsis religionibus, divinitatem offensam non placari nisi ope sacrificii, effusionis sanguinis in expiationem peccati, substitutionis victimæ, communius excellentis, innocentis, loco rei cujus expiandum erat cri-

men (*De Maistre, Eclaircissements sur les sacrifices*) : porro unanimis et constans hæc omnium populorum traditio optimum subministrat argumentum contra eos qui necessitatem sacrificii ac satisfactionis pro remissione peccatorum negant. Ergo 4°.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Nullus est textus Scripturæ a catholicis allegatus, qui in sensum Socinianorum verti non possit : ergo catholici non probant, etc.

R. 1° Dist. ant. Nullus est textus... qui in sensum Socinianorum verti non possit explicatione præpostera, *concedo*; explicatione naturali. *nego ant.* Quis enim dicet verba Scripturæ a nobis allegata sensu naturali et obvio significare Christum exemplis suis tantum pro nobis satisfacisse? Hoc ridiculum et perabsurdum omnibus patet.

R. 2° Nego conseq. Etiam si omnes textus a catholicis allegati in sensum Socinianorum reipsa verti possent, inde concludi non posset eos in tali sensu accipiendos esse; nam genuinus Scripturæ sensus ex constanti traditione requirendus est, non vero ex uniuscujusque ratione fallibili : atqui constans traditio præfatos textus aliosque similes in sensu nostro intellexit : ergo.

Inst. 1°. Ex consuetudo loquendi modo Scripturæ, Deus gratis delicta hominum remittit : at ea gratis non remitteret, si Christus vere pro nobis satisfacisset : ergo.

R. Nego min. 1° Quia Deus gratis proprium tradidit Filium qui pro nobis satisfaceret; 2° quia satisfactiones Christi, quantumvis condignas, pro nobis acceptare non tenebatur : poterat exigere ut nosmetipsi condignas satisfactiones persolveremus. Unde redemptio nostra simul tribuenda est misericordiæ divinæ et pretio quod Christus pro nobis exsolvit : *Justificati gratis*, inquit B. Paulus, Rom. III, 24, *per gratiam ipsius, per redemptionem que est in Christo Jesu*. Ergo.

Inst. 2°. Si quis debitum reale, v. g., centum nummos, pro debitore solvat creditori, dici non potest cre-

ditorem debitum gratis condonare : ergo *a pari*, si Christus vere pro nobis satisfecerit, jam dici non potest Deum delicta nostra gratis remittere.

R. Nego conseq. et paritatem. Rationes disparitatis sunt, 1^o quod Deas ex pura misericordia redemptorem nobis concesserit, et 2^o quod satisfactionem alterius pro debito nostro personali acceptare dignatus fuerit, quamvis illam respuere potuisset : contra vero in allato exemplo, 1^o creditor non dat principium solutionis sibi faciendæ ; et 2^o summa pecuniæ sibi soluta, nihil ultra exigere potest : essenziale hoc igitur datur discrimen inter debitum reale et debitum personale, quod prius a qualibet persona æquivalenter solvi, dum posterius a solo offendente stricte præstari possit. Ergo.

Inst. 3^o. Debitum nostrum erat mors æterna quam Christus non subiit nec subire potuit : ergo improprie pro nobis satisfecit.

R. Nego conseq. Nam satisfactiones Christi erant valoris infiniti : ergo pro nobis proprie satisfacere potuit, licet mortem æternam nobis destinatam non subierit. Etenim, morti æternæ eramus quidem addicti, sed quia, uti diximus, injuriam Deo per peccatum illatam reparare non valebamus. Atqui Christus, pro nobis condignam satisfactionem offerendo, ipse reparavit injuriam et abstulit pœnam. Unde *vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit*, Isai. lxxv, 4; *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiæ vivamus, cujus livore sanati sumus*, I Petr. ii, 25. Numquid realitas satisfactionum Christi clarius exprimi potuisset? Ergo.

Inst. 4^o. Tenemur adhuc in hac vel in altera vita pro peccatis remissis satisfacere, ut probatur in Tractatu de *Pœnitentia* : at si Christus vere et proprie pro nobis satisfecisset, amplius satisfacere non teneremur : ergo.

R. Nego min. Christus enim adimplevit conditionem quam Deus statuerat ut condonatio nobis concederetur, reipsa superabundantem obtulit satisfactionem; sed ex divino decreto, quod venerari, non verò nimia curiosi-

tate scrutari debemus, pro hujus satisfactionis applicatione, necesse est ut aliquo modo et nos satisfacere studeamus. Unde Apostolus, Coloss. 1, 24 : *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea.*

Objicitur insuper 1^o injustum esse innocentem pro reo plecti; repugnare aliquem fieri pro capitali alterius crimine sponsorem, juxta hæc Deut. xxiv, 16, verba : *Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus, sed unusquisque pro peccato suo morietur*; 2^o Deum, ut pote summe bonum, consentire non potuisse ut Christus innocens peccatoribus substitueretur et acerbissima toleraret supplicia.

R. Ad solvenda hæc aliaque ejusdem generis objecta ex ordine naturali petita, in memoriam revocandum est essentiam satisfactionis respectu Dei in eo sitam esse quod, per externam protestationem infiniti valoris, negatio supremi dominii Dei digne compensetur. At Christus, voluntarie obediens, negationi supremi dominii Dei opposuit actum externum Deo infinite gloriosum. Ergo realiter obtulit et quotidie offert Deo condignam satisfactionem pro peccato.

Cunctæ autem comparationes ex ordine naturali depromptæ, ut solutio pretii debiti, qualitas sponsoris, substitutio innocentis pro criminoso morientis, etc., valde sunt imperfectæ, et afferri non possunt in elucidationem articuli fidei intellectu difficilis.

Certum est ex doloribus et morte Christi efficacissima fluere remedia vitiis hominum opposita, et invincibilia motiva quibus animæ in angustiis hujus vitæ constitutæ firmari et ad perseverandum determinari queant. Multæ autem aliæ existere possunt rationes nobis ignotæ cur Deus hæc nos salvandi viam præ cæteris elegerit. Infinitam ejus misericordiam et immensam Christi charitatem profunda veneratione demirari debemus, non vero tenebrosa sapientia nostra divinorum mysteriorum arcana perscrutari et humano modo explicare conari.

ARTICULUS TERTIUS.

DE PERFECTIONE SATISFACTIONUM CHRISTI.

Catholici, universim admittentes Christum vere pro nobis satisfacisse, inter se, illæsa fide, de valore satisfactionis ejus disputant, utrum scilicet in rigore justitiæ et ad strictos juris apices fuerit perfecta: fere omnes tamen affirmant. Ut autem satisfactio Christi sit perfecta, tres communius requiruntur conditiones, videlicet 1^o ut sit saltem æquivalens, 2^o ex propriis et ex alias indebitis, et 3^o ad alterum. Hæc in tribus paragraphis expendemus.

§ I. — An satisfactio Christi fuerit saltem æquivalens.

Calvinistæ contendunt satisfactiones Christi adeo fuisse abundantes, ut nullo modo satisfacere teneamur nec possimus, quin injuria satisfactionibus Christi inferatur. Confutantur in Tractatibus *de Gratia et de Pœnitentia*. Nunc, ut diximus, quæstio est inter catholicos.

Nonnulli negarunt satisfactionem Christi de se æquivalentem esse, sed tantum ex acceptatione Dei, ut videre est apud card. *de Lugo*, de Incarnat., disp. 6, sect. 1. Communis et fere unanimis sententia contrarium tenet.

PROPOSITIO.

Satisfactio Christi fuit non solum æquivalens, sed superabundans.

Prob. Scriptura sacra, auctoritate Clementis VI, testimoniis SS. Patrum, et ratione.

1^o *Scriptura sacra.* Rom. v, 15: *Non sicut delictum, ita et donum: si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit.* Et ibid. ̄. 20: *Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia: at si*

satisfactiones Christi ex sola acceptatione Dei sufficerent, dici non posset gratiam unius hominis super delictum abundare et superabundare. Ergo 1^o.

2^o *Auctoritate Clementis VI*, qui in bulla qua Jubilæum, anno centesimo duntaxat celebrandum, ad quinquagesimum reducit, docet satisfactiones et merita Christi esse infinita, delicta superabundare, et thesaurum Ecclesiæ inde conflari. Ergo 2^o.

3^o *Testimoniis SS. Patrum.* S. Cyrillus Hierosol., Catechesi 13, n. 23: « non tanta erat peccantium iniquitas, » quanta ejus qui nostri gratia moriebatur justitia: non » tantum peccavimus quantum ille excludit qui pro no- » bis animam posuit. »

S. Chrysost., Homil. 10 in Epist. ad Rom., n. 2: « Longe plura quam debeamus solvit Christus, et tanto » plura quanto immensum pelagus ad stillam aquæ col- » latum majus est. » Certe hæc testimonia aliaque similia quæ afferri possent, de satisfactione per congruentiam tantum æquivalente intelligi nequeunt. Ergo 3^o.

4^o *Ratione.* Vel enim peccata sunt finita, tum in se, tum numero, ut volunt Scotistæ alique multi; vel malitia eorum est infinita, ut contendunt Thomistæ: at, in utraque hypothese, satisfactio Christi superabundat. In priori casu nulla est difficultas; nam actiones Christi, ut pote actiones personæ divinæ, infiniti sunt pretii: infinitum autem quodlibet finitum valde superat: ergo. In posteriori vero hypothese, licet major sit difficultas, fatendum tamen satisfactionem Christi non solum æquivalere, sed superabundare; nam 1^o Deus multo plus dilexit Filium suum unicum quam peccatum odio habuit. 2^o Singuli actus Christi complete et sub omni respectu fuerunt perfecti. 3^o Non solum actus suos perfectissimos obtulit Christus, sed totam personam suam divinam, non semel, sed multoties. Porro una tantum gutta ejus sanguinis pro redemptione generis humani suffecisset: sunt verba Clementis VI in bulla citata. Non modicam autem guttam, sed profluvium sanguinis effudit Christus, et multa alia fecit et passus est quæ pariter

infiniti erant valoris : ergo cumulata exstitit superabundantia. Ergo 4^o, etc.; aliunde, etc. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1^o. Illa satisfactio non est superabundans nec æquivalens, cui aliquid deest : verum aliquid satisfactioni Christi deest, ut patet ex his B. Pauli verbis, Coloss. 1, 24 : *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* Ergo.

R. Dist. min. Satisfactioni Christi aliquid deest quoad applicationem, *conc.*; quoad sufficientiam, *nego min.* Et enim Christus superabundanter pro toto genere humano satisfacit; sed Deus, pro rationibus sibi cognitis, statuit ut Filii sui satisfactiones et merita non applicarentur sine aliqua ex parte hominum satisfactione. Unde Apostolus, propriæ carnis conflictatione et arduis laboribus suis, ea quæ passionum Christi deerant duplici modo adimplebat, videlicet, applicationem meritorum ejus sibi metipsi concilians, et simul Ecclesiæ propagationem, gentium conversionem et fidelium perseverantiam procurando. Ergo.

Inst. 1^o. Satisfactiones Christi sunt finitæ : ergo aliquid eis etiam quoad sufficientiam deest. Ergo.

R. Nego ant. Satisfactiones Christi sunt actiones personæ divinæ, siquidem unica est persona in Christo, quæ est persona Verbi divini, et actiones sunt suppositorum : atqui actiones personæ divinæ sunt infinitæ dignitatis : ergo.

Inst. 2^o. Satisfactiones Christi a natura humana procedebant : atqui natura humana sub omni respectu erat finita : ergo.

R. Dist. maj. A natura humana divinitati in unitate personæ conjuncta, *concedo*; secus, *nego maj.* Certum est quidem satisfactiones Christi a natura humana processisse; sed non minus certo constat illas, ratione unionis hypostaticæ, fuisse personæ divinæ, et theandricas : at, sub hoc respectu, infinitæ sunt dignitatis : ergo.

Inst. 3^o. Persona divina in satisfactiones Christi reipsa non influit. Ergo.

R. Nego ant. Persona enim Christi ex duplici natura coalescebat, divina scilicet et humana : quidquid ex una natura procedebat, revera unicæ personæ divinæ erat. Unde ens physicum satisfactionum Christi, si ita loqui liceat, erat naturæ humanæ, et sub hoc respectu finitum; sed ens morale, quod præcipue attendi debet, solius erat personæ divinæ, et sic infiniti valoris. Ergo.

Inst. 4^o. Persona divina non potest humiliari, nec pati, nec offerri, etc. : ergo satisfactionibus Christi infinitum pretium dari non potuit.

R. Dist. ant. Persona divina non potest, etc., in divina sua natura, *conc.*; in humana, *nego ant.* Ratio distinctionis patet ex dictis.

Inst. 5^o. Si singulæ actiones et passiones Christi infiniti sint valoris, non sunt aliæ aliis majores, sed omnes prædicandæ sunt æquales : atqui hoc absurdum est. Ergo.

R. Nego maj. Nam ibi non agitur de ente simpliciter infinito, quo nihil majus vel æquale excogitari potest, bene vero de actibus dignitatis infinitæ participantibus; porro nihil vetat quominus multi hujusmodi sint actus inter se æquales, vel inæquales, juxta modum quo infinitæ dignitati participant. Res patet exemplo quod superius, ubi de malitia peccati infinita, attulimus. Ergo.

Inst. 6^o. Ex dictis, Christus per effusionem modicæ guttæ sanguinis mundum redimere potuisset : ergo cæteræ ejus satisfactiones sunt inutiles, quod absurdum videtur.

R. Nego conseq. Nam 1^o si satisfactiones Christi peccata hominum longe superaverint, suprema majestate Dei, quem honorabant, majores esse non potuerunt. 2^o Infinitam Christi charitatem magis ostendebant. Homines efficaciori motivo ad detestanda sua peccata excitabant. Aliæ forsitan et meliores existunt rationes quæ intelligentiam nostram fugiunt. Ergo.

Inst. 7^o. Deus potuisset satisfactiones Christi non acceptare : at si fuissent condignæ et æquivalentes, eas acceptare debuisset. Ergo.

R. Dist. maj. Deus potuisset non consentire ut Christus substitueretur peccatoribus, *concedo*; quia, cum de injuria personali ageretur, jus habebat condignam satisfactionem ex parte ipsorum offendentium exigendi; potuisset, substitutione semel posita et acceptata, æquivalentes et superabundantes satisfactiones non acceptare, *nego maj.*; tunc enim manifesta exstitisset contradictio inter conditionis acceptationem, et satisfactionum superabundantium recusationem.

§ II. — An satisfactio Christi fuerit ex propriis et alias indebitis.

Vasquez cum pluribus negat Christum ex propriis et alias indebitis satisfecisse, atque ideo vult satisfactionem ejus, licet condignam et superabundantem, ex hac parte in rigore justitiæ non fuisse perfectam.

Suarez negat etiam satisfactionem Christi fuisse ex propriis: contendit tamen eam in rigore justitiæ fuisse perfectam; quia, juxta ipsum, conditio *ex propriis* ad perfectionem satisfactionis non est necessaria: admittit vero conditionem *ex alias indebitis*, sed dicit Christum, etsi actus suos satisfactorios ad Deum referre debuerit titulo gratitudinis et dependentiæ, eos titulo justitiæ non debuisse.

Cardinalis *de Lugo* fatetur Deum habuisse jus strictum omnes actus satisfactorios Christi exigendi, sed eos exigere noluisse: unde Christus revera eorum erat dominus, eosque offerens, ex propriis et alias indebitis satisfecit.

Gonet et plerique Thomistæ arbitrantur Christum ex propriis et alias indebitis vere satisfecisse, hasque conditiones ad perfectam satisfactionem necessarias esse. Verum qua ratione duæ illæ conditiones in satisfactionibus Christi reperiuntur, non sibi consentiunt: in tres abeunt sententias valde subtiles, quas hic non referemus.

Tournely, Witasse, et alii distinguunt in satisfactionibus Christi valorem objectivum, qui est sub dominio totius Trinitatis; et valorem personalem, qui solius est

personæ Verbi divini. Christum, hunc valorem offerendo, satisfecit ex propriis et indebitis.

Sed probabilius ille valor etiam toti Trinitati tribuendus est: est enim opus externum saltem morale: at quodlibet opus divinitati externum totius est Trinitatis. Ergo.

Attamen plerique theologi notant Christum speciale in nunc valorem habuisse dominium tanquam in opus ex ipsius voluntate procedens, et contendunt hoc sufficere ad satisfactionem ex propriis et indebitis.

Verum arbitramur omnes subtilissimas hujusmodi quaestiones ab iis nostris institutionibus removendas esse, prout ad finem a nobis intentum inutiles, et forsitan in pluribus accuratam fidei doctrinam obscurari facientes. Constat Christum vere, condigne, superabundanter, gloriam Dei peccato læsam mirabiliter compensando, pro nobis satisfecisse. Ad quid debili mentis nostræ lumine investigare et quasi statera pensare modum diviniæ ejus satisfactionis?

§ III. — An satisfactio Christi fuerit ad alterum.

Satisfactio in se spectata duas saltem supponit personas, unam offensam, et alteram injuriam reparare conantem. Cum autem Christus sit Deus, quaeritur quomodo satisfactio ejus fuerit ad alterum.

Quidam, ut hanc difficultatem explicarent, docuerunt Christum non satisfecisse toti Trinitati, sed tantum Patri et Spiritui sancto.

Alii, cum *Vasquez*, simpliciter negant satisfactiones Christi fuisse ad alterum, et hanc conditionem esse necessariam, alioquin daretur in Christo alter et alter, sicque renovaretur Nestoriana hæresis.

PROPOSITIO.

Christus satisfecit Trinitati, et satisfactio ejus revera fuit ad alterum.

Prob. Scriptura sacra, auctoritate SS. Patrum, et ratione.

1. *Scriptura sacra.* Rom. v, 10: *Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus*; 1 Tim. ii, 5: *Unus Deus, unus et Mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus.* Unde sic: Christus nos reconciliavit cum Deo, Mediator fuit inter nos et Deum, satisfecit Deo: atqui Deus simpliciter est tota Trinitas: ergo.

2. *Auctoritate SS. Patrum,* quorum vices sustinebit S. Fulgentius, de fide ad Petrum, cap. 2, n. 23: « Reconciliati sumus per solum Filium secundum carnem, sed non soli Filio secundum divinitatem. Trinitas enim nos sibi reconciliavit per hoc quod solum Verbum carnis ipsa Trinitas fecit. »

3. *Ratione.* Deum peccato offensum Christus sua satisfactione placavit: atqui non tantum Pater et Spiritus sanctus, sed tota Trinitas peccato fuerat offensa: ergo 3.º, etc.; aliunde, etc. Ergo

Quod satisfactio Christi fuerit ad alterum respectu Patris et Spiritus sancti, omnes consentiunt, *et ratio patet.* Sola difficultas est respectu Filii: atqui etiam sub hoc respectu sufficienter fuit ad alterum; nam 1.º Christus satisfactiones suas obtulit, non directe personæ Verbi, sed divinæ majestati sibi cum Patre et Spiritu sancto communi; 2.º propter diversitatem naturarum, voluntatum et operationum, actiones ejus quasi duplicem habebant faciem; potuit ergo eas ex natura humana procedentes, sibi sub respectu alterius naturæ offerre, ferme sicut quæstor publicus qui, ut privatus, tributum solvere tenetur, illud solvendo, sibi et principi simul satisfacit; solutio ab ipso facta duplicem habet respectum: sic et satisfactio Christi. Ubi enim duplex est natura in suo genere perfecta, duplex est jus; jus autem unius ad alterum transferri potest. Ergo.

Quæritur an satisfactio Christi fuerit ad strictos juris apices, seu in stricto rigore justitiæ.

R. Qui aliquam ex dictis conditionibus illi deesse opinantur ea ratione dicunt ipsam in rigore justitiæ non fuisse; verum longe communius docent theologi illam ad strictos juris apices fuisse: quæ sententia multo magis

congruere nobis videtur Scripturæ sacræ, traditioni et rationi: 1.º Scripturæ sacræ, quæ, satisfactiones Christi designando, nominibus *emptionis, redemptionis, solutionis, pretii* semper utitur; 2.º traditioni, quæ, in innumeris SS. Patrum textibus, iisdem Scripturæ vocibus, et in eodem sensu utitur; 3.º rationi; nam Christus obtulit satisfactiones valoris infiniti, æquivalentes et superabundantes, *ut probavimus:* ergo debuerunt esse ad strictos justitiæ, tum commutativæ, tum vindicativæ, apices. Ergo.

Monemus iterum quod Christus, voluntarie se Deo offerendo in reparationem injuriæ per peccatum illatæ, per actum externum infinitæ dignitatis contra negationem supremi domini Dei protestatus est, ac proinde superabundanter satisfecit. Hoc punctum remanere debet inconcussum, quæcumque excogitentur systemata ad naturam satisfactionis explicandam.

ARTICULUS QUARTUS.

DE MERITO CHRISTI.

Duplex distinguitur meritum, ut in Tractatu *de Gratia* dicimus, unum *de condigno* et alterum *de congruo.*

De fide est Christum vere et de condigno meruisse: hæc propositio evidentissime probaretur, si opus esset, ex Scriptura, SS. Patribus, conciliis, decisionibus summorum Pontificum et rationibus theologicis: ab omnibus Christianis admittitur, et a concilio Tridentino his verbis traditur, sess. 6, cap. 7: « Justificationis causæ sunt: finalis quidem, gloria Dei et Christi, ac vita æterna...; meritoria autem, dilectissimus Unigenitus suus, Dominus noster Jesus Christus, qui, cum esset inimici, propter nimiam charitatem qua dilexit nos, sua sanctissima Passione in ligno crucis nobis justificationem meruit, et pro nobis Deo Patri satisfecit. » Et canone 10: « Si quis dixerit homines sine Christi justitiæ, per quam nobis meruit, justificari... anathema sit. » Ergo.

Sed, hæc veritate admissa, quæritur 1.º quo tempore

Christus mereri incœperit; 2° per quos actus meruerit; 3° quid sibi meruerit; 4° an aliquid meruerit pro angelis; 5° an pro dæmonibus; 6° an pro damnatis; et 7° an pro cunctis hominibus.

R. ad primum. Christus in primo conceptionis suæ instanti mereri incœpit; tunc enim Deo Patri tanquam victimam se obtulit, ut nobis testatur Apostolus, Hebr. x, 5: *Ingrediens mundum, dixit... Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi.... Tunc dixi: Ecce venio... ut faciam, Deus, voluntatem tuam.*

Ad secundum. Christus per omnes et solos actus humanitatis suæ liberos meruit. 1° *Per omnes*; nulla quippe est ratio cur unus potius quam alius sit meritorius, cum omnes in suo genere boni et perfecti fuerint. 2° *Solos*; actus enim divinitatis mereri nequeunt, siquidem ratio meriti supponit superiorem a quo recipienda sit merces; Christus autem, ut Deus, superiorem non habet. 3° *Liberos*; repugnat enim aliquem vere mereri mercedem per actus a quibus abstinere non potest: unde Christus nihil meritus est per actus amoris ex visione beatifica necessario fluentes.

Ad tertium. Christus promeruit nominis sui exaltationem, quod sic exprimit B. Paulus, Philipp. ii, 9: *Propter quod Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium et infernorum*; proprii corporis glorificationem, aliaque ex unione hypostatica non necessario fluentia.

Ad quartum. Aliquem saltem gratiæ vel gloriæ gradum promeruit angelis; nam, Coloss. ii, 10, caput eorum declaratur: ratio autem capitis exigit ut in membra saltem aliquo modo influat, et quædam bona eis communicet.

Ad quintum. Certum est, contra Origenem, Dydimum Alexandrinum et alios paucos veteres, qui volebant Christum mortuum aut aliquando moriturum esse pro dæmonibus, utrumque esse falsum. Primo, non mortuus est: nam 1° Christus *nusquam angelos apprehendit*, inquit A postolus, Hebr. ii, 16, *sed semen Abrahamæ*; 2° ii pro qui

bus mortuus est, dicuntur mortui in Adamo, II Cor. 14; 3° dicitur *Mediator Dei et hominum, Salvator omnium hominum maxime fidelium*, etc.; 4° sententia reprobationis in dæmones lata dicitur æterna et nunquam revocanda, ut videre est apud Matth. xxv, 41; II Petr. 1, 4; Epist. Jud. 6; 5° ita fert constans traditio et fides totius Ecclesiæ, Secundo, nunquam pro iis moriturus est, ut patet ex textibus modo indicatis, ex his B. Pauli, Rom. vi, 9, verbis: *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur*; et ex fide Ecclesiæ.

Ad sextum. De fide est, contra Origenistas, Christum pro damnatis, ut damnatis, non mortuum esse, ac proinde nullum meritis ejus ex inferno liberatum fuisse aut liberandum esse; nam ubique, in Scripturis sacris, in Patribus et in cunctis traditionum monumentis, pœnæ damnatorum exhibentur ut æternæ. Ergo. Diximus, *ut damnatis*; quia damnati, dum in præsentī vita degēbant, gratiæ Christi participes fieri poterant.

Ad septimum, dicimus Christum pro cunctis hominibus mortuum esse, quod in Tractatu *de Gratiâ*, cap. 4, § 2, sect. 7, probatur.

Quæritur an Christus ab æterno fuerit prædestinatus.

R. affirmative. Nam Deus ab æterno tulit decretum quo Christus in tempore existurus esset: at Christus, ut homo, gratis erat donandus, et ad gloriam æternam infallibiliter deducendus: ergo merito dicitur *prædestinatus Filius Dei in virtute*, Rom. i, 4, supposito quod hic de vera prædestinatione agatur: multi quippe volunt hæc verba significare Christum declaratum esse Filium Dei in virtute, id est, in potentia miraculorum. Nihilominus prædestinatus est.

CAPUT NONUM.

DE CULTU CHRISTO ET CRUCI EJUS DEBITO.

Cultus generatim est actus quo alterum veneramur propter ipsius excellentiam, et in testificationem nostræ

Christus mereri incœperit; 2° per quos actus meruerit; 3° quid sibi meruerit; 4° an aliquid meruerit pro angelis; 5° an pro dæmonibus; 6° an pro damnatis; et 7° an pro cunctis hominibus.

R. ad primum. Christus in primo conceptionis suæ instanti mereri incœpit; tunc enim Deo Patri tanquam victimam se obtulit, ut nobis testatur Apostolus, Hebr. x, 5: *Ingrediens mundum, dixit... Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi.... Tunc dixi: Ecce venio... ut faciam, Deus, voluntatem tuam.*

Ad secundum. Christus per omnes et solos actus humanitatis suæ liberos meruit. 1° Per *omnes*; nulla quippe est ratio cur unus potius quam alius sit meritorius, cum omnes in suo genere boni et perfecti fuerint. 2° *Solos*; actus enim divinitatis mereri nequeunt, siquidem ratio meriti supponit superiorem a quo recipienda sit merces; Christus autem, ut Deus, superiorem non habet. 3° *Liberos*; repugnat enim aliquem vere mereri mercedem per actus a quibus abstinere non potest: unde Christus nihil meritus est per actus amoris ex visione beatifica necessario fluentes.

Ad tertium. Christus promeruit nominis sui exaltationem, quod sic exprimit B. Paulus, Philipp. ii, 9: *Propter quod Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium et infernorum*; proprii corporis glorificationem, aliaque ex unione hypostatica non necessario fluentia.

Ad quartum. Aliquem saltem gratiæ vel gloriæ gradum promeruit angelis; nam, Coloss. ii, 10, caput eorum declaratur: ratio autem capitis exigit ut in membra saltem aliquo modo influat, et quædam bona eis communicet.

Ad quintum. Certum est, contra Origenem, Dydimum Alexandrinum et alios paucos veteres, qui volebant Christum mortuum aut aliquando moriturum esse pro dæmonibus, utrumque esse falsum. Primo, non mortuus est: nam 1° Christus *nusquam angelos apprehendit*, inquit A. postolus, Hebr. ii, 16, *sed semen Abrahamæ*; 2° ii pro qui

bus mortuus est, dicuntur mortui in Adamo, II Cor. 14; 3° dicitur *Mediator Dei et hominum, Salvator omnium hominum maxime fidelium*, etc.; 4° sententia reprobationis in dæmones lata dicitur æterna et nunquam revocanda, ut videre est apud Matth. xxv, 41; II Petr. 1, 4; Epist. Jud. 6; 5° ita fert constans traditio et fides totius Ecclesiæ, Secundo, nunquam pro iis moriturus est, ut patet ex textibus modo indicatis, ex his B. Pauli, Rom. vi, 9, verbis: *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur*; et ex fide Ecclesiæ.

Ad sextum. De fide est, contra Origenistas, Christum pro damnatis, ut damnatis, non mortuum esse, ac proinde nullum meritis ejus ex inferno liberatum fuisse aut liberandum esse; nam ubique, in Scripturis sacris, in Patribus et in cunctis traditionum monumentis, pœnæ damnatorum exhibentur ut æternæ. Ergo. Diximus, *ut damnatis*; quia damnati, dum in præsentis vita degabant, gratiæ Christi participes fieri poterant.

Ad septimum, dicimus Christum pro cunctis hominibus mortuum esse, quod in Tractatu *de Gratiâ*, cap. 4, § 2, sect. 7, probatur.

Quæritur an Christus ab æterno fuerit prædestinatus.

R. affirmative. Nam Deus ab æterno tulit decretum quo Christus in tempore existurus esset: at Christus, ut homo, gratis erat donandus, et ad gloriam æternam infallibiliter deducendus: ergo merito dicitur *prædestinatus Filius Dei in virtute*, Rom. i, 4, supposito quod hic de vera prædestinatione agatur: multi quippe volunt hæc verba significare Christum declaratum esse Filium Dei in virtute, id est, in potentia miraculorum. Nihilominus prædestinatus est.

CAPUT NONUM.

DE CULTU CHRISTO ET CRUCI EJUS DEBITO.

Cultus generatim est actus quo alterum veneramus propter ipsius excellentiam, et in testificationem nostræ

erga illum submissionis. Tria complectitur, scilicet 1^o cognitionem intellectus excellentiam alterius percipientis, 2^o dispositionem voluntatis se illi submitteendi, et 3^o actum formalem quo illum honoramus.

Si cultus intra mentem tantum sistat, dicitur *internus*; si vero quibusdam signis, ut genuflexione, signo crucis, oratione, capitis inclinatione, etc., exterius prodeat, vocatur *externus*.

Si cultus exhibeatur Deo, beatæ Mariæ, Angelis aut sanctis, dicitur *religiosus*. Si vero in ordine naturali, v. g., regi, magnatibus regni vel aliis quibuscumque personis reddatur, est *civilis*.

Cultus religiosus dividitur, 1^o in cultum patriæ, cultum dulciæ, et cultum hyperdulciæ. Cultus patriæ ille est, in usu Ecclesiæ, quo Deum propter infinitam excellentiam ejus nostramque ab illo dependentiam veneramus: nulli unquam exhiberi potest creaturæ. Cultus dulciæ, e contra, ille est quo submissionem nostram testificamur angelis et sanctis in cælo regnantibus. Cultus hyperdulciæ ille est qui B. Mariæ virgini exhibetur: sic vocatur, quia sanctissima Virgo, ratione divinæ suæ maternitatis, omnes creaturas dignitate superat.

Dividitur 2^o in absolutum et relativum: cultus *absolutus* proposito objecto, ob propriam excellentiam ejus, directe exhibetur, nec ad aliud refertur; *relativus* vero sic præsentî objecto exhibetur, ut ad aliud referatur; v. g., Christus adoratur propter semetipsum, en cultus absolutus; et crucees propter Christum, en cultus relativus.

Hic breviter nobis tractandum est 1^o de cultu Christi, 2^o de devotione erga sacratissimum Cor ejus, et 3^o de cultu Cruci ejus exhibendo.

ARTICULUS PRIMUS.

DE CULTU CHRISTI.

Certum est Christum, ut Deum, supremo patriæ cultu esse adorandum: in hoc nulla difficultas. Negabant Nes-

toriani, aut saltem negare debebant Christum ut hominem esse adorandum, siquidem docebant illum moraliter tantum cum divinitate esse conjunctum.

Certum est iterum humanitatem Christi in se sumptam, et a divinitate, per impossibile, separatam, cultu patriæ adorari non posse, sed tantum cultu dulciæ vel hyperdulciæ. *Res per se patet*. Quæstio est igitur an humanitas Christi, Verbo divino conjuncta, cultu patriæ honorari possit.

PROPOSITIO.

Humana Christi natura, Verbo divino conjuncta, supremo patriæ cultu honoranda est.

Prob. Hæc propositio est de fide, probatur Scriptura sacra, SS. Patrum testimoniis, et ratione.

1^o *Est de fide*: fuit enim definita in V synodo generali, can. 9, his verbis: « Si quis ad peremptionem carnis, aut in confusionem deitatis et humanitatis, unam naturam sive essentiam convenientium portentose dicens, sic adorat Christum, sed non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum ejus carne adorat, juxta quod sanctæ Dei Ecclesiæ ab initio traditum est; talis anathema sit. » *Labbe*, t. VI. Ergo.

2^o *Prob. Scriptura sacra*. Philipp. II, 9: *Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen.... ut in nomine Jesu omne genu flectatur...* Ibi agitur de vera adoratione, ut patet: atqui illa adoratio exhibetur Christo ut homini, siquidem exaltatus est ut homo: ergo. Apoc. 12: *Dignus est Agnus qui occisus est accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem*. Agnus qui occisus est, est Christus ut homo, et cultus quo declaratur dignus, est cultus divinus. Ergo 2^o.

3^o *Prob. SS. Patrum testimoniis*. S. Athanasius, Epist. ad Adelphium: « Etsi ipsa caro seorsim spectata, pars sit rerum creaturarum, attamen Dei facta est corpus. Neque vero hujusmodi corpus a Verbo dividentes adora-

» mus, neque cum Verbum volumus adorare, ipsum a
» carne removemus. »

S. Ambros., de Spiritu sancto, lib. 3, cap. II, n. 79, ad hæc Ps. xcviii verba, *Adorate scabellum pedum ejus, quia sanctum est*, ait: « Per scabellum terra intelligitur; » per terram autem Christi caro, quam hodie in mysteriis adoramus, et quam Apostoli in Domino adorarunt; » neque enim divisus est Christus, sed unus; neque cum » adoratur tanquam Dei Filius, natus ex Virgine dene- » gatur. » Idem habet S. Aug. in eadem Ps. xcviii verba. Ergo 3^o.

4^o *Probatur ratione.* Persona Christi, ut pote divina, supremo patriæ cultu est adoranda. Atqui diversis modis persona Christi attingi potest, nempe 1^o si spectetur divinitas secunda persona Trinitatis terminata; 2^o si tota ipsius Christi persona immediate consideretur; 3^o si attentio immediate apprehendat humanitatem, aut partem humanitatis Christi, v. g., Cor ejus sacratissimum, sacras ejus plagas, etc., et mediate personam. Nulla potest esse difficultas nisi in ultima hypothesis: at etiam in ea hypothesis legitimus est cultus patriæ supremus, siquidem reipsa personæ Christi exhibetur. Ergo 4^o, etc.; aliunde, etc. Ergo, etc. Vid. P. Perrone, de Incarn. p. II, c. 4, art. 2.

An cultus humanitati Christi exhibitus sit absolutus vel relativus, non sibi consentiunt theologi: quidam volunt illum esse relativum, quia non est legitimus, nisi in quantum ad divinitatem refertur. Rectius tamen sentire videntur qui affirmant illum esse absolutum; humanitas enim Christi adoratur propter excellentiam Verbi cui hypostatice conjuncta est: ergo ille cultus ad illud suppositum non refertur, ergo est absolutus.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE DEVOTIONE ERGA SACRATISSIMUM COR JESU.

Hæc devotio, qualis nunc exhibetur, et a nobis hic intenditur, non est antiquissima in Ecclesia: ortum cepit

habere versus finem decimi septimi sæculi, et ejus occasio fuit quædam revelatio facta, circa annum 1675, Ven. Margaritæ Mariæ *Alacoque*, moniali ordinis Visitationis beatæ Mariæ, sublimioribus christianis virtutibus commendatæ. P. *de la Colombière*, e societate Jesu, arbitrans hanc visionem esse divinam, et aliunde judicans devotionem erga sacratissimum Cor Jesu esse legitimam, ipsique gratam fore, ei propagandæ multum laboravit. Plures ejusdem societatis patres opus inceptum prosecuti sunt.

Nova devotio multos habuit adversarios, præsertim inter Jansenistas; sed multos etiam habuit defensores et propagatores inter episcopos et Romanos pontifices: celeriter diffusa est, et nunc fere ubique viget. De natura et soliditate ejus in duplici paragrapho paucis verbis tractaturi sumus.

§ 1. — De natura devotionis erga Cor Jesu sacratissimum.

Ut natura hujus devotionis recte noscatur, attendendum est quodnam sit ipsius objectum, motivum et quis finis.

1^o *Objectum* est ipsummet Cor Christi naturale, seu materiale, non quidem a corpore Christi præcisum et a persona Verbi divini separatum, sed ut pars humanitatis Christi a divinitate inseparabilis, proindeque cum illa semper adorabilis. Hoc constat 1^o ex Officio in honorem sacratissimi Cordis Jesu, pro regno Portugaliæ et aliis ecclesiis approbato, cujus Invitatorium sic se habet: *Cor Jesu charitatis victimam, venite, adoremus*: Cor Jesu, charitatis victima, est cor materiale. Plurima sunt in aliis Officiis partibus quæ eundem habent sensum, v. g., *Cor Jesu, lancea perforatum*. 2^o Ex bulla *Auctorem fidei*, quæ, prop. 63, hæc habet: « Item in eo quod cultores » Cordis Jesu hoc etiam nomine arguit, quod non ad- » tant sanctissimam carnem Christi aut ejus partem ali- » quam, aut etiam humanitatem totam, cum separatione » aut præcisione a divinitate, adorari non posse cultu la-

» tria : quasi fideles Cor Jesu adorarent cum separatione
 » vel præcisione a divinitate, dum illud adorant ut est
 » Cor Jesu; Cor nempe personæ Verbi cui inseparabili-
 » ter unitum est, ad eum modum quo exsanguis corpus
 » Christi in triduo mortis sine separatione aut præci-
 » sione a divinitate adorabile fuit in sepulcro : captiosa,
 » in fideles Cordis Christi cultores injuriosa. »

Insuper cum integrum corpus Christi divinitati hy-
 postatice sit unitum, singulæ ejus partes abstractivè
 spectari et adorari possunt : sic speciale Officium *de quin-
 que plagis Christi* habetur. Jansenistæ ei non obstitè-
 runt, sed potius laudaverunt, licet sancta Sedes hoc fes-
 tum nondum admiserit, verum dumtaxat officium pro
 quibusdam locis probaverit. Porro nulla est ratio cur
 sanctissimum Cor Christi minus esset adorabile quam
 manus, pedes et latus ejus. Ergo.

2^o *Objectum formale, seu motivum* hujus devotionis est
 Cor Christi, metaphorice sumptum pro immensa chari-
 tate qua dilexit nos, ut patet 1^o ex multis Officiis a summis
 Pontificibus approbati partibus; 2^o ex decreto S. Rituum
 Congregationis diei 26 januarii 1715, in quo dicitur de
 cultu in honorem sacratissimi Cordis Jesu instituto,
 « symbolice renovari memoriam divini illius amoris quo
 » unigenitus Dei Filius humanam suscepit naturam, et
 » factus obediens usque ad mortem, præbere se dixit
 » exemplum hominibus, quod esset mitis et humilis
 » corde; » 3^o ex epistola Pii VI ad Riccium, Pistorien-
 sem episcopum, in qua legitur : « Sancta Sedes modum
 » jam turbis et quæstionibus imposuit, satisque decla-
 » ravit quod substantia illius devotionis ab omni certe
 » superstitione materialitate immunis, revera spectet,
 » ut in symbolica cordis imagine, immensam charitatem
 » effusumque amorem divini Redemptoris nostri medi-
 » temur atque veneremur. » Ergo, etc.

Certum est quidem vividos illos affectus amoris fuisse
 in anima Christi. At sacratissimum Cor illud talium af-
 fectuum naturale est symbolum, aut etiam instrumen-
 tum. Merito igitur honoratur, sicut cor hominum no-

bilioribus commendatorum virtutibus honorari solet.

Utiliter hic consuleretur *Gerdil* contra *Feller*, t. xiii.

Sicut duplex voluntas, sic duplex est amor in Christo :
 unus increatus et æternus, qui est amor Christi Dei, et
 amor creatus et finitus, qui est amor Christi hominis :
 utrumque sub symbolo Cordis veneramur, quia uterque
 est personæ Christi Dei et hominis.

Hinc intelligitur cur Cordi Christi modo ea tribuantur
 quæ cordi carneo tantum conveniunt, modo ea quæ non
 nisi cordi mystico seu amori Christi competunt, modo ea
 quæ de amore divino intelligenda sunt, modo ea quæ de
 solo amore creato intelligi possunt.

Hinc pariter mirum videri non debet, si Ecclesia modo
 unum, modo alterum devotioni nostræ proponat objec-
 tum, et duplex habeat Officium, unum in honorem
 Cordis materialis, de quo supra; et alterum amoris
 Christi erga homines commemorativum, cujus Invita-
 torium est : *Christum pro nobis passum, venite, adore-
 mus*. Prioris devotionis symbolum est Cor seorsim repræ-
 sentatum, sive solum, sive in manu Christi positum;
 posterioris vero, est Christus ostendens pectus suum
 apertum et in medio Cor suum inflammatum. Primum
 Officium ex speciali concessione recitatur in Hispania,
 Lusitania et in quibusdam aliis locis : secundum est de
 jure communi in omnibus locis pro quibus S. Rituum
 Cong. dat licentiam festum SS. Cordis Christi celebrandi.

3^o *Finis* autem devotionis erga sacratissimum Cor Jesu
 est, 1^o corda nostra divinis flammis accendere, 2^o nos
 gratitudinis sensibus erga Christum perfundere et ad
 colendum sacratissimum Cor ejus impellere, 3^o debitas
 satisfactiones pro injuriis illi, præsertim in Eucharistiæ
 sacramento, illatis, a cunctis animabus devotis offerri
 promovere. Hos fines luculenter expriment Galliarum
 præsules, comitia generalia anno 1763 celebrantes, in
 epistola quam ad omnes alios ejusdem regni episcopos
 direxerunt, ut eos invitarent ad hanc devotionem in pro-
 priis diocesis instituendam.

§ II. — De soliditate devotionis erga sacratissimum Cor Jesu.

Pios Cordis Jesu cultores vocaverunt Jansenistæ et Grégoire, *Hist. des sectes relig.*, t. II, per contemptum, *Cor-dicolas*, quemadmodum Apollinaristæ catholicos humanitatis Christi adoratores, *Anthropolatras* seu *Hominicolas* olim appellabant : contra quos sit

PROPOSITIO.

Devotio erga sacratissimum Cor Jesu pia est ac legitima.

Probatur judicio dogmatico Pii VI, praxi Ecclesiæ et ratione theologica.

1^o *Judicio dogmatico Pii VI.* Sic enim se habet summus ille Pontifex, in bulla dogmatica *Auctorem fidei*, anni 1796, ubique recepta, prop. 62 : « *Doctrina quæ devotionem erga sacratissimum Cor Jesu rejicit inter devotiones quas notat velut novas, erroneas aut saltem periculosas, intellecta de hac devotione qualis est ab Apostolica Sede probata, falsa est, temeraria, perniciosiosa, piarum aurium offensiva, in Apostolicam Sedem injuriosa.* » Idem eruitur ex propositione 63 ejusdem bullæ, superius relata. Ergo.

2^o *Praxi Ecclesiæ.* Ecclesia, quæ est columna et firmamentum veritatis, praxim erroneam approbare non potest : atqui tota Ecclesia devotionem erga sacratissimum Cor Jesu approbavit ; ab anno enim 1686 quo festum sacratissimi Cordis celebrari cœpit, innumeri episcopi in cunctis orbis catholici partibus illud approbaverunt, instituerunt, celebrarunt et celebrari jusserunt, quod ipsa S. Rituum Congregatio, anno 1765, his verbis declaravit : « *Sacra Congregatio, probe noscens cultum Cordis Jesu jam per omnes fere catholici orbis partes, faventibus earum episcopis, propagatum, sæpe etiam a Sede Apostolica decoratum millenis indulgentiarum brevibus, datis ad innumeras propemodum confraternitates sub titulo Cordis Jesu canonice erectas... an-*

» nuendum censuit postulationi episcoporum regni » Poloniae. »

Eodem anno 1765, clerus Gallicanus, precibus Mariæ Leckzinska reginæ ultro annuens, illud festum admisit.

Romani pontifices diu, pro more suo, expressam Apostolicæ Sedis confirmationem concedere distulerunt : tandem Clemens XIII festum sacratissimi Cordis Jesu in omnibus ecclesiis Romæ instituit, et ubique celebrari permisit ; Pius VII, diversis rescriptis dierum 7 martii 1801, 20 martii et 15 novembris 1802, 12 et 15 julii 1803, 7 julii 1805 et 16 septembris 1807, varias concessit indulgentias iis qui semel *Pater* et *Ave* in honorem divini illius Cordis recitarent ; item brevibus 7 martii 1801 et 25 januarii 1803, alias concessit indulgentias confraternitatibus erectis vel erigendis in honorem ejusdem divinissimi Cordis : illa devotio et istæ confraternitates adeo multiplicatæ sunt, ut nullibi nunc ignorentur. Ergo 2^o.

Attamen hoc festum nondum fuit præscriptum, nec etiam concessum ut generale : sed Romani pontifices, ut sanctissimam hanc devotionem celerius promoverent, statuerunt, ex singulari privilegio, episcopos qui obtinerent licentiam prædictum celebrandi festum, diem pro arbitrio determinare posse, et indulgentias festo annexas simul transferri.

Festum istud celebratur Romæ, die veneris octavam festi Corporis Christi immediate sequentis.

3^o *Ratione theologica.* Illa enim devotio est legitima, quæ est pura et sancta, tum in objecto, tum in fine, tum in actibus quos præscribit, tum in effectibus quos producit : atqui devotio erga sacratissimum Cor Jesu est pura et sancta, tum in objecto, etc.

1^o *In objecto.* Habet enim pro objecto Cor Christi, tum carneum, tum mysticum, ut ostendimus : at sanctissimum Cor illud, sub utroque respectu consideratum, est cultu patriæ dignum, nam una et eadem adoratione colendum est Verbum divinum et quidquid ad personam ejus pertinet : at Cor Christi ad personam Verbi divini

pertinet, siquidem consideratur prout hypostatice ei unitur. Fatentur adversarii legitimum esse cultum qui carni Christi in sanctissimo Eucharistiæ sacramento exhibetur, imo et festum in honorem Quinque Plagarum Christi institutum : at Cor Christi non est objectum minus adoratione dignum quam ejus caro et sanguis, quam ejusdem plagæ; quid enim sunt plagæ, nisi membra vulnerata? Similiter et Cor est membrum, sed membrum nobile, et divinitati semper unitum. Ergo 1°.

2° *In fine* : patet ex dictis. Quid enim laudabilius, magis purum et sanctum, quam Christum Filium Dei amare, redamare, gratias illi rependere, eique dignas pro tantis injuriis satisfactiones offerre? Ergo 2°.

3° *In actibus quos illa devotio præscribit*. Præscribit enim divitiarum Cordis Jesu contemplationem, injuriarum ipsi illatarum meditationem, amaritudinis ejus compassionem, flagrantis illius amoris participationem, et externa quædam exercitia ad hos fines tendentia. Ergo 3°.

4° *In effectibus quos producit*. Nata est enim ad producendum abundantio rem gratiæ effusionem, majorem cum Christo unionem, divinæ charitatis augmentum, in dies crescentem perfectionis christianæ progressum, etc. Ergo 4°, etc.; aliunde, etc. Ergo.

Dices : Devotio erga sacratissimum Cor Jesu idem habet objectum et eundem finem ac cultus in honorem sanctissimæ Eucharistiæ institutus : ergo est inutilis.

R. 1° Nego ant. Plurimæ enim sunt inter utrumque differentiæ : 1° in objecto; objectum enim cultus erga divinam Eucharistiam est integrum corpus Christi, nullo speciali respectu habito ad Cor ejus; objectum vero posterioris devotionis est sacratissimum Cor illud, sive materialiter, sive mystice consideratum, ut explicavimus; 2° in motivo : motivum devotionis erga Eucharistiam est dignitas carnis Christi cum Verbo divino conjunctæ, et motivum alterius devotionis ardentissimum est amor Christi, tum erga Deum, tum erga homines; 3° in fine; solemne enim festum in honorem sanctissimæ Eucha-

ristiæ fuit institutum ut fidem nostram in præsentiam realem testaremur, tantum veneremur sacramentum, et publicas rependeremus gratias Christo pro immenso charitatis ejus beneficio; præcipuus vero finis devotionis erga sacratissimum Cor Jesu est amorem illius specialiter recolere et injurias ipsi illatas reparare, etc.

R. 2° Nego conseq. Cur enim Ecclesia duplex instituire non posset festum ad recolendum idem objectum sub duplici respectu consideratum, et ad eundem finem obtinendum?

Aliunde, cum adversarii non negant legitimum esse cultum sanctæ Eucharistiæ exhibitum, si dicant devotionem erga sacratissimum Cor Jesu idem habere objectum et eundem finem, jam illam condemnare non possunt quin sibi contradicant.

Neque addant eam esse novam; est quidem nova in sua existentia, sicut pleræque aliæ festivitates christianæ fuerunt novæ : sed principia ejus religioni christianæ sunt cœva, ut patet ex dictis. Ergo.

Vid. card. *Gerdil* et *P. Perrone*, jam citat.

SCHOLIUM.

Ex principiis modo expositis facile deducitur quid sentiendum sit de devotione erga Cor sanctissimum B. Mariæ Virginis : hæc devotio, cujus *P. Eudes*, congregationis *Eudistarum* institutor, præcipuus fuit propagator, a sexdecim archiepiscopis et episcopis Galliarum jam fuit approbata anno 1648, longè igitur ante devotionis erga sacratissimum Cor Jesu initium; multos habuit sibi contrarios, et nihilominus diffusa est, ac ubique nunc existit.

Huic devotioni applicari possunt, servata proportione, cuncta principia quibus devotionem erga Cor Jesu vindicavimus. 1° Ecclesia illam approbavit, licet minus solemniter quam alteram; multas concessit indulgentias ejus sectatoribus; festum in ipsius honorem institutum in multis locis ex Ordinariorum consensu celebratur, et

in primis Romæ, ex concessione Pii VII, data anno 1807. 2^o De fide est B. Mariam honorari posse cultu hyperdulæ; si autem illam sic honorare liceat absolute, cur eam honorare non liceret sub speciali respectu purissimi ipsius Cordis, in memoriam sanctissimarum affectionum quibus ornatum fuit, et præsertim amoris quo erga Deum et homines flagavit? 3^o Devotione erga Cor Jesu semel instituta, devotio erga Cor Mariæ hinc naturaliter fluebat, propter ætissimam amoris inter utrumque semper existentis vinculum: Jesus Matrem suam singulariter diligens, eam voluit, quantum poterat, suorum honorum, honorum et gloriæ participem reddere. Vide P. *Gallifet, Dévotion au Cœur de Jésus, l. 3, chap. 4.*

ARTICULUS TERTIUS.

DE CULTU CRUCIS CHRISTI.

Centuriatores Magdeburgenses asserunt veram Crucem, cui Christus affixus est, a tempore Passionis Domini periisse; cæteri protestantes dicunt nullum ei, ex hypothesi quod existat, debitum esse cultum, cunctasque imagines Crucis, sive pictas, sive sculptas, e medio tollunt, tanquam idololatriæ instrumenta, clamantes signum crucis e Montanistarum schola prodiisse.

At certum est 1^o usum cruce frontem signandi antiquissimum et universalem apud Christianos esse; Tertull., lib. de Corona, cap. 3, illum jam exhibet ut generalem: « Ad omnem progressum atque promotum, inquit, ad omnem aditum et exitum, ad vestitum, ad calceatum, ad lavaera, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcumque nos conversatio exerceat, frontem crucis signaculo terimus. »

S. Cypr., Testimoniorum lib. 2, cap. 22: « Quod in hoc signo crucis salus sit omnibus qui in frontibus notentur. »

Idem habent Origenes, Eusebius, S. Basilius, S. Augustinus, multis in locis, etc. Dicant ergo Pseudoreformati qua ra-

tionem illi Patres, qui Montanistas velut infames hæreficos habebant, morem cruce se signandi ab eis hauserint, et quo modo mos ille statim universalis sine ullo innovationis vestigio evaserit, atque semper perseveraverit?

Certum est 2^o veram crucem Christi ab Helena fuisse repertam; hoc enim factum testantur Eusebius, in Vita Constantini, S. Cyrillus Hierosolymitanus, in Epistola ad Constantium, cui propriis verbis dicit: « Tempore... patris tui Constantini, salutare Crucis lignum Hierosolymis inventum est. » S. Ambros., de obitu Theodosii Magni, Sulpicius Severus, Theodoretus, Socrates, Sozomenes, etc.

PROPOSITIO.

Cruz Christi, sive vera, sive sculpta aut depicta, sive aliquo modo figurata, vero digna est cultu.

Prob. testimoniis SS. Patrum, praxi Ecclesiæ et ratione.

1^o Testimoniis Patrum. S. Augustinus, Tract. 118 in Joann., part. 2: « Quid est, quod omnes noverunt signum Christi, nisi crux Christi? Quod signum, nisi adhibeatur, sive frontibus credentium, sive ipsi aquæ ex qua regenerantur, sive oleo quo chrismate ungentur, sive sacrificio quo aluntur, nihil eorum rite perficitur. » Hæc in memoriam Christi crucifixi fiunt; cur sculpturas et picturas, idem objectum representantes, eadem intentione habere et honorare non liceret?

S. Chrysostomus, Homil. 54 in Matth.: « Crucem Christi quasi coronam circumferamus; per eam enim omnia quæ ad nos spectant perficiuntur. Si regenerari oporteat, Crux adest; si mystico cibo illo nutriris, si ordinaris, et si quidvis aliud faciendum, ubique nobis adest hoc victoriæ symbolum. Idecirco et domi, et in parietibus, et in fenestris, et in fronte, et in mente, illum cum multo studio depingimus. » Quid clarius desiderari potest? Innumera sunt alia testimonia non minus clara. Ergo 1^o.

2^o *Praxi Ecclesiae*, tum Latinae, tum Graecae, quae signum crucis in cunctis orationibus suis, caeremoniis et sacramentis conficiendis vel administrandis adhibet, cruces sculptas et depictas in altaribus, in templis, in domibus et in viis publicis honorifice collocat; duo festa in honorem verae Crucis instituit Ecclesia Latina, eaque a longo tempore celebrat; crucifixum, seu imaginem Christi in cruce mortui fidelibus adorandum, praesertim die veneris Majoris hebdomadae, ubique proponit. Ergo 2^o.

3^o *Ratione*. Christus in cruce moriens erat adorandus, et certe de doloribus ab ipso in hoc ignominiae instrumento perpeisis nunquam satis cogitare possumus, advertendo haec omnia ex immensa ipsius charitate pro nobis facta esse: ergo quod per se natum est tantum amoris mysterium in mentem nostram revocare, honore dignum est: atqui praesentia verae crucis sanguine Christi aspersae, imago Christi in cruce affixi, sive sculpta, sive picta, et signum crucis, apta sunt ineffabili mysterio Crucis in mentem nostram revocando: ergo. Vide P. Perrone, de Cultu SS. C., c. 6.

Hinc Iconoclastae octavi saeculi, de quibus mox dicturi sumus, cruces venerandas esse non negarunt, adeo res aperta et certa omnibus Christianis videbatur. Vide S. Joan. Damasc., de Imaginibus, lib. 2.

Cultus autem qui exhibetur Cruci, sive verae, sive sculptae aut depictae, vel alio modo signatae, est cultus patriae relativus: nullus quippe est inter catholicos, ne quidem infans primis catecheseos rudimentis instructus, qui arbitretur cultum Cruci exhibitum, ad lignum, aurum, argentum, etc., referri, et non unice ad Christum. Pudeat igitur Protestantes veterem patrum suorum idolatriae calumniam in nos injicere.

Eodem cultu ac vera Crux alia honorantur objecta quae passionibus Christi aliquo modo inservierunt, et dignitatis ejus, juxta communem intelligendi modum, participaverunt, ut praesepe, columna, clavi, lancea; sed harum imagines non honorantur, quia Christum per se non exhibent sicut imagines Crucis.

Dices 1^o: Si propter Christi contactum, vera Crux sit adoranda, pariter adorari potuissent labia Judae et manus carnificum Christum crucifigentium: atqui haec absurda sunt: ergo.

R. Nego maj. et paritatem. Ideo enim vera Crux adoranda est, quia fuit instrumentum exaltationis Christi ipsiusque triumphi: unde ipsi facta est gloriosa. Contra vero labia Judae, manus crucifigentium illi fuerunt odiosa, et earum praesentia non nisi odium nostrum excitare potuissent. Ergo.

Similiter absurde honorarentur asini, quia Christus insedit asino; imo ipsum asinum cui insederat forte non licuisset honorare, propter quamdam indecentiam inde, juxta opinionem hominum, nascentem.

Dices 2^o: Pius filius instrumenta ignominiae patris, v. g., flagella, patibulum, etc., non putat honoranda, sed ab eis abhorret: ergo a pari dicere debemus cum Theodoro de Bèze: « Je sens de l'horreur en mon âme contre le crucifix. Il me retrace la cruauté des Juifs contre le Christ, et pour cela je n'en puis endurer la vue. »

R. Nego conseq. et paritatem, propter rationem jam expositam. Cum enim Crux triumphi et gloriae Christi fuerit occasio, imagines eum Cruci pendentem repraesentantes, ipsum natae sunt honorare, dum, e contra, instrumenta ignominiae patris memoriam patris respectu filii non decorant, nisi forte innocens et gloriosus occubisset: quo in casu dicta instrumenta honorare liceret. Ergo.

Si ergo Crucis imagines impiam Judaeorum crudelitatem revocant, multo magis directe charitatem Christi exhibent: porro eas sub hoc respectu honoramus: ergo.

Notandum, ex communi Patrum sententia et antiquissima ac universali Ecclesiae traditione, signum crucis multam habere efficaciam, fide utentium innixam, ad fugandos daemones, superandas tentationes, etc.

CAPUT DECIMUM.

DE CULTU SANCTORUM EORUMQUE RELIQUIARUM
ET IMAGINUM.

Tres hujus capituli erunt articuli.

ARTICULUS PRIMUS.

DE CULTU SANCTORUM.

Vigilantius, presbyter Barcinonensis, circa finem quarti sæculi, docebat nos viventes pro invicem orare posse; et negabat sanctos in cælo regnantes aliquid posse, aut invocandos esse. Illius errores adoptaverunt Protestantes in decimo sexto sæculo, eosque nunc defendunt, contententes 1º hujusmodi cultum esse inutilem, quia sancti in cælo regnantes nos audire non possunt; et 2º perniciosum atque idololatricum, quia mediationem Christi insufficientem esse arguit, et honorem soli Deo debitum ad creaturam transfert. Nobis igitur probandum est 1º sanctos in cælo regnantes honorare licere; 2º eos invocare pariter licere, et 3º hanc invocationem utilem esse.

PROPOSITIO PRIMA.

Sanctos in cælo regnantes honorare licitum est.

Prob. Scriptura sacra, SS. Patrum testimoniis, praxi Ecclesiæ et ratione.

1º *Scriptura sacra.* In variis Scripturæ locis, v. g., Gen. XVIII, 2; Josue, v, 15; III Reg. XVII, 7; IV Reg. II, 15, exhibentur angeli et viri præcellentes ab hominibus laudabiliter honorati, non civiliter tantum et propter qualitates naturales, sed religiose, propter divinam eo-

rum missionem: at si cultum religiosum angelis et hominibus a Deo missis in terra degentibus exhibere liceat, cur sanctos in cælo regnantes honorare non liceret? nullam sufficientem rationem hujus differentiæ afferre queunt Protestantes. Ergo 1º.

2º *SS. Patrum testimoniis.* Quædam tantum inter innumera seligemus. S. Hieron., Epist. ad Riparium, part. 2: *Honoremus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum.* Hic adversus Vigilantium de honore sanctis debito ex professo loquitur.

S. Aug., contra Faustum, lib. 21, cap. 21: « Populus christianus memorias martyrum religiosa solemnitate concelebrat, et ad excitandam imitationem, et ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur. » Ergo 2º.

3º *Praxi Ecclesiæ.* Ex Historia enim ecclesiastica aperte constat in primis etiam sæculis receptum fuisse usum sanctos et præsertim martyres solemniter honorandi, templa sub eorum patrocinio dedicandi, festa in eorum memoriam celebrandi, etc.; illa praxis, Ecclesiæ Græcæ et Latine communis, usque nunc sine ulla interruptione perseveravit. Ergo 3º.

4º *Ratione.* 1º qui politicis dotibus præcellunt, honore civili merito insigniuntur: ergo et qui donis supernaturalibus clarescunt cultu religioso digni sunt. 2º Fatentur Protestantes sanctos in terra degentes recte honorari posse: ergo a pari et in cælo regnantes. 3º Si sanctos honorare non liceret, certe, ut aiunt Protestantes, quia ille cultus cultui qui Deo debetur aliquid detraheret: atqui hoc minime timendum est; nam cultus sanctis exhibitus est duntaxat cultus dulciæ, et cultus patriæ soli Deo reservatur; imo cultus sanctorum in ipsum Deum redundat, siquidem non honorantur, nisi quatenus sunt amici Dei: ergo 4º.

Ut difficultates circa hoc punctum a Protestantibus proponi solitæ evanescant, advertendum est cultum patriæ soli Deo rependi posse; hinc scriptum est, Luc. IV, 8: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies;* I Tim.

1, 17 : *Soli Deo honor et gloria*; honor vero dulciæ servis tribuitur, et ad gloriam Domini refertur. Unde in Apoc. XIX, 18, angelus rejicit cultum a Joanne sibi redditum; in Act. XIV, 14, Paulus et Barnabas non permiserunt cultum ab hominibus sibi deferri; B. Paulus religionem angelorum reprobavit, Coloss. II, 18. In his enim aliisque textibus vel factis agebatur de cultu patriæ creaturis deferendo, ac proinde de cultu idololatrico: Ecclesia catholica talem cultum semper reprobavit, simul contendens cultum dulciæ sanctis, id est servis et amicis Dei, delatum, esse legitimum.

Beatissima virgo Maria, propter suam maternitatem divinam, specialem meretur distinctionem, non tamen cultus patriæ honores, quia mera est creatura, licet excellentissima: igitur cultus ipsi exhibitus vocatur hyperdulciæ, sicuti jam diximus, id est, supra cultum cæteris sanctis delatum.

PROPOSITIO SECUNDA.

Sanctos in cælo regnantes invocare licitum est.

Prob. Scriptura sacra, conciliis, praxi Ecclesiæ et ratione.

1^o *Scriptura sacra.* Gen. XXXII, 26, Jacob petit benedictionem ab angelo, dicens: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Ibid., XLVIII, 16, idem Jacob filiis Joseph benedicens, ait: *Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* Si autem angelos invocare liceat, cur sanctos in cælo regnantes invocare non liceret?

Deus ipse ait, Job, XLII, 8, loquens ad Eliphaz et duos amicos ejus: *Ite ad servum meum Job, et offerite holocaustum pro vobis: Job autem servus meus orabit pro vobis.* B. Paulus, Rom. XV, 30: *Obsecro vos, fratres... ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum.* Sancti igitur adhuc viventes, sine injuria erga Christum, invocari possunt: ergo et in cælo regnantes.

2^o *Conciliis.* Concil. Chalcedonense, act. 11, *Labbe,*

t. IV, de S. Flaviano dicit: *Flavianus post mortem vivit: martyr pro nobis oret.* Concil. Nicænum II, act. 6, t. VII, hæc habet: « Cum timore Dei omnia faciamus, expetentes etiam intercessionem intemeratæ dominæ nostræ... » virginis Mariæ, atque sanctorum angelorum, et simul » omnium sanctorum. »

Concil. Trid., sess. 25, decreto de Veneratione sanctorum statuit adversus hæreticos, « sanctos una cum Christo » regnantes orationes suas pro hominibus Deo offerre, » bonum atque utile esse simpliciter eos invocare. » Ergo 2^o.

3^o *Praxi Ecclesiæ,* quæ a primævis temporibus, tum in Oriente, tum in Occidente, sanctos privatim et publice invocat et invocandos docet. Ergo 3^o.

4^o *Ratione.* Protestantes Apostoli exemplo ducti, precibus fratrum suorum libenter se commendant, et in hoc mediationi Redemptoris derogari non arbitrantur: atqui divinæ mediationi ejus non magis derogatur sanctos in cælo regnantes invocando; eo ipso enim quod invocentur, habentur quidem ut mediatores, sed secundi ordinis, nullam habentes potestatem nisi ex mediatione Christi: porro in tali agendi ratione nulla fit injuria Christo. Unde B. Paulus, Gal. II, 19, Moysen vocat mediatorem, licet I Tim. II, 5, dicat: *Unus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus.* Hæc igitur eo sensu conciliari possunt, quod Christus sit solus mediator primi ordinis, angeli vero et sancti, mediatores secundi ordinis. Ergo 4^o, etc.; aliunde, etc. Ergo.

PROPOSITIO TERTIA.

Utile est sanctos in cælo regnantes invocare.

Prob. 1^o *auctoritatibus in præcedentis propositionis probatione relatis;* fere omnes enim supponunt non solum licitam, sed utilem esse sanctorum invocationem.

Prob. 2^o *ratione.* Si enim invocatio sanctorum inutilis

esset, maxime, ut volunt Protestantes, quia ipsi preces nostras non audirent: atqui hæc difficultas nulla est; nam 1º sancti orare possunt pro iis qui orationibus eorum se commendant: sic, fatentibus Reformatis, pro fratribus nostris orare possumus: ergo *a pari*, etc. 2º Deus orationes nostras sanctis modo nobis incognito revelare potest. 3º Non repugnat sanctos in cælo regnantes preces nostras etiam internas audire; quid enim valeant animæ beatæ, ignoramus; in pluribus Scripturæ textibus supponitur angelos videre et scire quæ in terra geruntur, v. g., Zachar. 1, 12, angelus dicit: *Domine exercituum, usquequo tu non misereberis Jerusalem et urbem Juda, quibus iratus es?* Luc. xv, 7: *Gaudium erit in cælo super uno peccatore penitentiam agente;* I Cor. iv, 9: *Spectaculum facti sumus mundo, et angelis, et hominibus.* Luc. xvi, 25, Abraham exhibetur malum divitem sic alloquens: *Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala.* II Mach. xv, 7, Onias et Jeremias repræsentantur ut negotia hominum cognoscetes et pro Judæis orantes. Ergo.

Dices 1º: Legitur in III Reg. viii, 39: *Solus Deus scrutatur corda et renes*, et in Eceles. ix, 5: *Mortui nihil noverunt amplius*: ergo sancti preces internas non audiunt, nec quod in terra geritur noverunt.

R. Nego conseq. Nam 1º solus Deus scrutatur corda et renes scientia propria et infinite perfecta; non sequitur autem angelos et sanctos hæc non posse scientia communicata et imperfecta. 2. Mortui nihil noverunt amplius in terra, modo naturali, suis adhuc utendo sensibus, sicut ante mortem; morientes enim præsentem mundo valedicunt in æternum. Talis est sensus textus nobis objecti: at nihil inde contra nos inferri potest, ut evidenter patet. Ergo.

Dices 2º: Deus semper paratus est nos audire: ergo inutile est ad sanctos recurrere.

R. Nego conseq. Nam 1º cum sancti Deo sint gratiores, ipsum efficacius quam peccatores placant eumque erga nos propensorem reddunt. 2º Protestantes pro fratribus

orant, licet arbitrentur Deum ad eos audiendos semper esse paratum. Ergo.

Plurima hic notare juvat, scilicet: 1º tres præcedentes propositiones sunt de fide, quamvis omnes expresse non fuerint definitæ, quia veram Ecclesiæ doctrinam exhibent et velut de fide docentur. Vide Regulam fidei P. Véron, § 8 et 9; Analysim fidei doctoris Holden; Bossuet, *Exposition de la Doctrine catholique*, et decretum concilii Tridentini citatum.

2º A verbis quibus utitur Concilium non recedendum, sciendumque atque docendum Dominum nostrum Jesum Christum solum esse Redemptorem ac Salvatorem nostrum. Unde corrigendus est error plebeiorum, qui quandoque plus a nonnullis sanctis quam a Deo vel a Christo sperare videntur, vel temere sibi persuadent se tempus penitendi ante mortem habituros, quia talem honorant sanctum, nihil interim a Deo sperantes, et ideo damnatos non iri; Deus enim minando eis dicit, Prov. i, 26: *Ego autem in interitu vestro ridebo et subsannabo.*

3º Verba quibus beatissima Virgo vocatur *Spes nostra, Salus nostra*, vel quibus illi dicitur in hymno Ecclesiæ, *Solve vincla reis, Profer lumen cæcis*, necessario intelligenda esse sensu morali, id est, B. Mariam esse spem nostram, salutem nostram, vincula nostra solvere, lumen proferre, etc., efficacia omnipotentis suæ supplicationis.

4º Concilium Tridentinum solummodo definiisse bonum atque utile esse sanctos suppliciter invocare, non vero unicuique ad salutem necessarium: id quippe nulli præscribitur. Qui tamen pium hunc usum contemneret, vel ex incuria salutis suæ negligeret, evidenter peccaret. Imo Sylvius, Billuart et alii probabiliter putant esse de præcepto; idque saltem de S. Virgine videtur colligi, *inquit Deus*, ex SS. Patribus et communi sensu fidelium. »

5º Moneantur fideles imitatione præcipue honorandos esse sanctos, quod divus Aug. sic exprimit, Serm. 325, n. 1: « Quamquam et quod honoramus (martyres), nobis » prodest, non illis; sed honorare et non imitari, nihil » est aliud quam mendaciter adulari. »

ARTICULUS SECUNDUS.

DE CULTU RELIQUIARUM.

Nomine reliquiarum sanctorum intelliguntur, non solum eorum corpora, ossa et cineres, sed quidquid in ipsorum fuit usu, ut vestes, instrumenta, ornamenta, etc.

Apud omnes constat hæc objecta inanimata nullo digna esse cultu absoluto.

Quæstio est igitur an cultu dulciæ relativo ea venerari liceat. Audacter negavit Vigilantius, cujus errorem collapsum renovarunt Lutherani et Calvinistæ, asserentes catholicos in hoc idololatriæ superstitionibus esse refertos.

PROPOSITIO.

Reliquias sanctorum cultu dulciæ relativo honorare licet.

Prob. Illa propositio tenenda est, quæ est de fide, probatur veris miraculis, constanti traditione, praxi Ecclesiæ, et ratione : atqui talis est propositio nostra.

1^o *Est de fide* ; sic enim habetur in concilio Trident., sess. 25, decreto de Invocatione, Veneratione et Reliquiis sanctorum : « Sanctorum martyrum et aliorum cum » Christo viventium corpora, quæ viva membra fuerunt » Christi et templum Spiritus sancti, ab ipso ad æternam » vitam suscitanda et glorificanda, a fidelibus veneranda » esse, per quæ multa beneficia a Deo hominibus præ- » stantur ; ita ut affirmantes sanctorum reliquiis venera- » tionem atque honorem non deberi, vel eos aliaque sacra » monumenta a fidelibus inutiliter honorari, atque eorum » opis impetrandæ causa sanctorum memorias frustra fre- » quantari, omnino damnandos esse, prout jam pridem » eos damnavit et nunc etiam damnat Ecclesia. » Ergo 1^o.

2^o *Veris probatur miraculis.* IV Reg. II, 17 : Eliseus pallio Eliæ, quod ceciderat ei, percussit aquas, et divise sunt huc atque illuc, et transit Eliseus. Ibid. XIII, 21 : Quidam sepelientes hominem, projecerunt cadaver in se-

pulcro Elisei. Quod cum tetigisset ossa Elisei, revixit homo, et stetit super pedes suos.

Act. Apost. XIX, 11 et 12 : *Virtutes non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli, ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore ejus sudaria, et semicinctia, et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur.* Porro ea colere licet quæ Deus honoravit et illustravit : ergo.

S. Ambrosius et S. Aug. testantur se vidisse miracula in inventione reliquiarum SS. Gervasii et Protasii Mediolani patrata : idem S. Aug. plura refert miracula occasione reliquiarum S. Stephani martyris facta. Ergo 2^o.

3^o *Constanti traditione.* Testatur Eusebius, Hist. lib. 7, cap. 19, Hierosolymitanos fratres cathedram B. Jacobi, primi sui episcopi, adhuc conservare et magna prosequi reverentia. Ecclesia Smyrnensis, in celebri epistola in qua martyrium S. Polycarpi describit, dicit ossa beati martyris auro pretiosiora religiose fuisse collecta, et debito honore custodiri. S. Sixtus corpora SS. Petri et Pauli transtulit reverenter ad Catacumbas die 29 junii anni 258. Eodem anno, fideles Carthaginenses linteamina madefaciebant in sanguine S. Cypriani martyrium subeuntis. Infiniti essemus si facta hujus generis et testimonia Patrum etiam antiquorum, ut SS. Ambros., Aug., Chrysost., etc., referre vellemus. Ergo 3^o.

4^o *Praxi Ecclesiæ,* quæ semper et ubique sanctorum reliquias honorifice tractavit, adeo ut templa et altaria Deo non dedicet quin martyrum reliquias in eis collocet. Ergo 4^o.

5^o *Ratione.* 1^o Judæi summo honore habebant arcam fœderis, virgam Aaron, mannam cœlestem, serpentem aneum ; cur venerari non liceret sanctorum corpora, quæ fuerunt membra Christi et templa Spiritus sancti ? 2^o Reliquiæ virorum virtutibus conspicuorum, vel speciali ratione nobis gratorum, quodam cultu civili merito honorantur : ergo a pari reliquiæ sanctorum cultu religioso legitime honorari possunt : ergo 5^o, etc. ; aliunde, etc. Ergo.

Dices 1^o : Deus voluit occultum esse corpus Moysis, ne

Judæi illud eolerent : ergo non vult reliquias sanctorum honorari.

R. Nego conseq. Deus enim voluit corpus Moysis manere occultum, quia prævidebat Judæos, in idololatriam proclives, illud cultu latriæ adoraturos esse : at inde non sequitur cultum reliquiarum, prout Ecclesia catholica illum intelligit, esse prohibitum.

Vices 2^o : Christus, Matth. XXII, 28, dixit Scribis et Pharisæis : *Væ vobis, hypocritæ, qui ædificatis sepulcra prophetarum, et ornatis monumenta justorum!* Ergo prohibuit reliquias sanctorum honorare.

R. Nego conseq. Christus enim exprobrabat Scribis et Pharisæis quod prophetas et justos exterius honorarent, pietatem fingentes, dum interius aliud sentirent et Dominum prophetarum insectarentur : ergo nihil inde contra nos sequitur.

Advertendum propositionem nostram de reliquiis in genere intelligendam esse, non vero de reliquiis in particulari : negare quippe non intendimus plures irrepsisse abusus circa reliquias quarum authenticitas non satis fuerat probata. Unde concilium Tridentinum sapienter statuit, sess. 25, decreto jam citato, ne novæ reciperentur reliquiæ, nisi recognoscente et approbante episcopo. Imo si episcopus advertat reliquias jam exponi solitas sufficientibus authenticitatis characteribus non vestiri, eas venerationi fidelium subtrahendas decernere tenetur, ut cultus ab omni superstitionis labe purus semper remaneat.

Plures, ex Constitutionibus summorum Pontificum et ex variis S. Rit. Congr. decisionibus, servandæ sunt regulæ, ut legitimus exhibeatur cultus sacris reliquiis. Sunt enim reliquiæ *insignes*, reliquiæ *notabiles* et *particularæ* : omnes, modo ab Ordinario loci recognitæ fuerint ut authenticæ cum facultate eas exponendi, venerationi fidelium exponi possunt, verum solæ insignes ac notabiles in processione solemniter deferri queunt, etc.

In honorem solum reliquiarum insignium publicum permittitur officium.

De reliquiis veræ Crucis et sanctorum longam edidimus instructionem, sub data diei 2 aug. 1845.

ARTICULUS TERTIUS.

DE CULTU IMAGINUM.

Nomine imaginum, intelliguntur quælibet picturæ aut sculpturæ sanetos aut mysteria religionis oculis nostris representantes.

Leo Isauricus, primo simplex miles, deinde Græcorum imperator die 2 martii anni 716 coronatus, bellum sacris imaginibus indixit, easque edicto anni 726 omnino abolendas jussit, et multos earum defensores martyrio extinxit : unde *Iconomachus* fuit appellatus, et imaginum adversarii vocati sunt *Iconoclastæ*.

Constantinus Copronymus, Leonis filius, conciliabulum 338 episcoporum coadunavit, in quo metu episcopos commovens, impium patris sui adversus imagines edictum confirmari fecit.

Copronymo successit Leo IV ejus filius, qui etiam contra imagines desæviit. Post hunc regnavit Constantinus VI sub tutela matris suæ Irenes quæ, cultam sacrarum imaginum restituere volens, concilium generale VII congregandum curavit : est secundum Nicænum, anno 787 celebratum. In eo definitum est sanctas imagines esse venerandas, et negantibus anathema dictum fuit.

Non ideo tamen pax statim restituta est ; diu adhuc Iconoclastæ ecclesiam Orientalem turbis commoverunt. Eorum hæresim penitus desuetam successive renovarunt Albigenes in duodecimo sæculo, Wicelista in decimo quarto, et tandem in decimo sexto seculo Protestantes, qui etiam nunc Romanam Ecclesiam idololatriæ accusant propter ipsius erga imagines reverentiam. Non tamen dicunt, sicut veteres Iconoclastæ, sculpturam et picturam esse artes diabolicas omnino tollendas, sed volunt cultum imaginibus exhibitum esse superstitiosum et idololatricum.

PROPOSITIO.

Cultus sacrarum imaginum est licitus.

Prob. Firmiter tenenda est propositio quæ est de fide, probatur Scriptura sacra, praxi Ecclesiæ et ratione : atqui, etc.

1^o *Est de fide*; definita enim fuit 1^o in concilio Nicæno II, act. 7, *Labbe*, t. VII; 2^o in concilio Constantino-politano IV generali VIII, act. 10, can. 3; 3^o in concilio Trident., sess. 25, decreto de Veneratione sanctorum et sacris Imaginibus, hæc habentur : « Mandat sancta synodus... imagines Christi, Deiparæ Virginis et aliorum » sanctorum in templis præsertim habendas et retinendas, eisque debitam honorem et venerationem imperiendam : non quod credatur inesse aliqua in eis divinitas vel virtus, propter quam sint colendæ ; vel quod ab eis sit aliquid petendum ; vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, velut olim fiebat a gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant : sed quoniam honores qui eis exhibetur refertur ad prototypa quæ illæ representant ; ita ut per imagines quas osculamur, et coram quibus caput aperimus et procumbimus, Christum adoremus, et sanctos quorum illæ similitudinem gerunt, veneremus : id quod conciliorum, præsertim vero secundæ Nicænæ synodi, decretis contra imaginum oppugnatores est sancitum. »

Longum hunc textum referendum duximus, quia tota Ecclesiæ doctrina circa imagines dilucide in illo explicatur. Ergo 1^o.

2^o *Probatur Scriptura sacra.* Arca Domini in summo honore erat apud Judæos : *Josue pronus cecidit in terram coram arca Domini usque ad vesperam, tam ipse quam omnes senes Israel*, *Josue*, VII, 6. Oza, cum manum ad arcam admovisset, ne forte caderet, *percussit eum Dominus super temeritate*, II Reg. VI, 7. Legitur in eodem capite quanta pompa David eandem transtulerit arcam. Arca

autem ideo sic honorabatur, quia potentiæ et misericordiæ Dei erat signum : ergo a pari imagines Christi et sanctorum honorari possunt. Ergo 2^o.

3^o *Praxi Ecclesiæ.* Longe ante Iconoclastas, et ab eorum tempore usque ad nos, imagines in toto orbe christiano venerationi fidelium expositæ sunt, et cultus publicus illis exhibitus est; in ipsismet Ecclesiæ primordiis jam existebant, abscondita Christianorum in catacumbis sanctuaria exornabant et colebantur, sicut et nunc apud nos. Vid. *Bosio*, *Aringhi*, et recens opus doctissimi P. *Marchi* : *Mon. del art. Crist. primit.*, cujus tom. I solus exstat editus. Si autem illarum usus esset idololatricus vel abusivus, Ecclesiæ, quæ est firmamentum veritatis, illum non ita approbasset nec tolerasset. Ergo 3^o.

4^o *Ratione.* 1^o Enim ille cultus nihil habet mali in se, cum honor materiæ depictæ aut sculptæ non referatur, sed prototypo : prototypus autem, ex superius dictis, honore est dignus. 2^o Calvinistæ arbitrantur Eucharistiam esse duntaxat figuram corporis Christi, et tamen illam summa veneratione honorandam esse putant : ergo figura seu imago honorari potest. 3^o Deus plurima pertravit miracula in gratiam cultus imaginum, ut videre est in Historia ecclesiastica, et in concilio Nicæno II, actionibus 5 et 6 : at repugnat Deum operari miracula in gratiam erroris vel superstitionis. 4^o Cultus civilis debetur statuis et imaginibus regis vel imperatoris, *nam*, inquit S. Athan., Oratione 3 contra Arianos, n. 5, part. 1, *qui adorat imaginem, in ipsa adorat imperatorem* : ergo a pari imagines Christi et sanctorum dignæ sunt cultu religioso suis objectis proportionato. Ergo 4^o, etc.; aliunde, etc. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1^o Deus, in Exod. XX, 4, omnem prohibuit imaginem, his verbis : *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem* : ergo cultus imaginum non est licitus.

R. 1^o. Plures dicunt Deum præcedentibus verbis prohibuisse sculptilia et imagines honorari cultu patriæ absoluto, non vero cultu relativo : idque colligunt 1^o ex verbis immediate præcedentibus, *Non habebis deos alienos coram me*; 2^o ex subsequentibus, *Non adorabis ea neque coles*; et ex his, v, 23 : *Non facietis deos argenteos, nec deos aureos facietis vobis*; 3^o ex aliis verbis Levit. xxvi, 2 : *Non facietis vobis idolum et sculptile..... ut adoretis*. Ergo.

R. 2^o. Nego conseq. Supposito enim Deum verbis nobis objectis omnem prohibuisse similitudinem, quod longe probabilius videtur, præsertim ex Judæorum moribus ac testimonio, nullas quippe venerantur imagines, et testatur Josephus, lib. 2 de Bello Judaico, et lib. 17 de Antiq., eas omnes esse prohibitas, non sequitur earum cultum adhuc prohiberi; Deus enim eas jure positivo prohibuerat, ne fierent occasio idololatriæ : sublato autem periculo, Ecclesia illarum cultum recte intellectum permittere potuit, sicut permisit usum sanguinis et suffocati. Imo Deus ipse legi suæ derogaverat, nam erigi jussit serpentem æneum, cujus aspectus a morsibus serpentium sanaret, Num. xxi, 8; duo Cherubim super arcam poni voluit, Exod. xxv, 18, quibus alia duo addidit Salomon, III Reg. vi, 23. Ergo.

Inst. Periculum idololatriæ non exstitisset, nisi in quantum pagani simulacra deorum suorum adorassent : atqui pagani non simulacra, sed ipsos deos adorabant : ergo.

R. 1^o. Nego maj. Populus Israeliticus valde proclivis erat ad imitandas gentes ethnicas; si ob oculos similitudines habuisset, mox eas velut deorum simulacra æstimasset eisque cultum soli Deo debitum reddidisset. Ergo.

R. 2^o. Nego min. Probabile quidem est philosophos aliosque viros conspicuos simulacra sincero animo non adorasse : at vulgus, inter paganos, persuasum habebat ea quadam divina virtute esse donata, eisque vere supplicabant, offerebant, etc., ut patet ex lib. Sap. xiii, 18;

ex Isai. xlii, 12 et seq., ex Athenagora qui, in Legatione pro Christianis, hæc habet : « Qui plerique, cum » internoscere non possint quid sit materia, quid Deus, » et quantum inter utrumque intervallum, supplicant » confectis ex materia simulacris; » ex S. Aug., in Ps. cxiii, n. 3 : « Cum adorari atque honorari a multitudine cœperit (simulacrum), parit in unoquoque sorte didissimum erroris effectum, ut quoniam in illo figmento non invenit vitalem motum, credat nomen occultum. » Ita multi alii auctores antiqui. Ergo. Vide opus inscriptum : *Discussion amicale*, t. II.

Obj. 2^o. In primis Ecclesiæ sæculis imagines non erant in usu : ergo illarum cultus habebatur ut illicitus.

R. 1^o. Nego ant. Usus imaginum erat quidem rarus in primis temporibus, 1^o ob prohibitionem apud Judæos exstantem, ne offenderentur; 2^o ob periculum ne gentiles conversi quasdam paganismi superstitiones retinerent, statuas et imagines videndo : hinc S. Irenæus, S. Epiphanius, S. Ambrosius aliique Patres nonnullos redarguerunt Christianos imagines more gentilium honorantes; 3^o quia mos imagines habendi, ad essentiam religionis christianæ non pertinens, nondum fuerat introductus. Nullibi tamen illarum cultus damnatur ut malus; quinimo, in antiquissimorum Patrum scriptis, ut S. Basilii, S. Greg. Nyss., aperta reperiuntur testimonia imagines tunc in usu esse probantia. Ergo.

R. 2^o. Nego conseq. Etiam si enim imagines nullo modo fuissent in usu in primis Ecclesiæ sæculis, Ecclesia sapientissima eas deinceps nihilominus approbare potuisset, cum, ex dictis, nihil mali ex se habeant, et ad finem optimum referri possint. Ergo.

Obj. 3^o. Concilium Eliberitanum, circa annum 300 celebratum, statuit, can. 36, *Labbe*, t. 1, *picturas in Ecclesia esse non debere*. Ergo.

R. Nego conseq. Concilium enim, ob imminens superstitionis periculum, usum picturarum in ecclesiis prohibet : verum non decernit illarum usum in se malum esse. Ergo.

Quidam obijciunt concilium 338 episcoporum, Constantinopoli anno 754 celebratum; sed frustra, nullius quippe est auctoritatis: 1º quia Patres illius concilii non fuerunt liberi; 2º quia summus Pontifex illi non adfuit, nec per se nec per legatos, nec cæteri orbis christiani præsules ei adhæserunt; 3º quia Acta hujus conciliabuli a Stephano II papa, a tribus Orientalibus patriarchis, et tandem a septima synodo generali rescissa sunt. Ergo.

Acta septimæ synodi generalis in linguam Latinam conversa, ad Ecclesias Occidentales devenerunt, sed versio in uno puncto graviter erat mendosa: Constantinus, Cypri episcopus, sensu catholico dixerat: « Ego consensio... suscipiens et honorabiliter amplectens sanctas et venerabiles imagines, atque adorationem per latrariam... soli Trinitati impendo: » interpres verterat, *secundum servitium adorationis quod Trinitati emitto*. Labbe, t. VII.

Patres concilii Francofordiensis, anno 794 celebrati, ex Gallia, Aquitania et Germania coadunati, quibus duo legati summi Pontificis adjuncti erant, hoc facti errore decepti, talem adorationem imaginibus delatam contempserunt atque consentientes condemnaverunt, et quidem merito. Labbe, t. VII.

At ne unum quidem dixerunt verbum contra cultum imaginum sensu nostro intellectum: eorum igitur auctoritas bona fide nobis obijci non potest.

Obj. 4º. Quatuor exstant libri dicti Carolini, quia a Carolo Magno vel ipsius jussu scripti sunt, in quibus synodus Nicæna II acerrime reprehenditur, et omnis cultus imaginibus denegatur: ergo illarum cultus est illicitus.

R. Nego conseq. Nam 1º auctor, quisquis sit, eodem errore facti laborabat ac Patres concilii Francofordiensis: debuit ergo cultum imaginibus attributum reprobare ut impium et idololatricum. 2º Cultum latriæ imaginibus exhibitum condemnat, non vero cultum sensu catholico intellectum. Nonnullos quidem condemnat ritus apud Græcos usitatos, ut imagines deosculari, coram illis pro-

cumbere, eis thus adolere, coram illis luminaria accendere, quia hæc in Gallia locum non habebant: cum autem hujusmodi signa in honorem sanctorum eorumque imaginum legitime fieri possint, si nempe recta sit intentio, decursu temporum in toto Occidente usurpari cœperunt: ergo ex dispositione librorum Carolinorum nihil contra eos concludi potest.

Obj. 5º. Concilium Parisiense, jussu Ludovici Pii anno 824 convocatum, concilium Nicænum II et cultum imaginum condemnat ac rejicit: ergo clerus Gallicanus cultum imaginum erat oppositus.

R. Nego conseq. Nam 1º Concilium Parisiense, errore facti supra memorato præoccupatum, concilium Nicænum II rejicere debuit; 2º non omnem rejicit cultum imaginum, sed tantum cultum immoderatum qui soli Deo debetur, vel cultum superstitiosum qui aliquam divinitatis virtutem in imaginibus residentem supponeret. Ergo.

DE GRATIA.

Priusquam aggrediamur quæstiones quandoque difficiles quæ occurrent, animadvertendum volumus hunc Tractatum esse maximi momenti. Ad ipsum enim spectat quidquid docetur de consiliis Dei Creatoris et Christi Redemptoris circa ordinem supernaturalem hominisque sanctificationem. Absque notionibus quæ sequuntur, mirabilis ordo divinæ Providentiæ in dispensatione gratiæ intelligi nequit. Multiplices enim, ut sæpius accidit, hæreticorum errores ad majorem veritatis elucidationem inservierunt. Hic etiam reperiuntur theologiæ mysticæ et asceticæ, quam sacerdotes ignorare non licet, vera fundamenta.

Hunc Tractatum in duas dividemus partes, unam historicam et alteram dogmaticam, quibus præmittemus caput prævium de notionem et divisionem gratiæ.

CAPUT PRÆVIUM.

DE NOTIONE ET DIVISIONE GRATIÆ.

Ut melius intelligatur quod dicturi sumus de gratia, quædam prius notandæ sunt.

Deus nos fecit ut voluit. Natura nostra est complexio attributorum nos constituentium tales quales sumus, non vero quales nos creare potuisset. Naturale id dicitur quod naturæ nostræ consentaneum est, seu quod vires naturæ nostræ non superat.

Supernaturale id vocatur quod propriis naturæ nostræ viribus obtinere vel attingere non valemus.

Quod supernaturale est respectu nostri in præsentem constitutionem nostram, potuisset esse naturale in alia hypothese, si nempe creati fuisset perfectiores. Sic multa supernaturalia sunt relative ad nos, quæ naturalia sunt angelis.

Gratia, sic dicta quia gratis datur, sub variis sensibus accipitur in Scriptura : 1^o pro benevolentia Dei erga homines : sic legitur in Gen. vi, 8 : *Noe vero invenit gratiam coram Domino* ; et in Luc. i, 30 : *Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum* ;

2^o Pro gratitudine in memoriam alicujus beneficii ; v. g., David dicit, II Reg. ii, 4 : *Et ego reddam gratiam, eo quod fecisti istud* ;

3^o Pro omni dono a Deo hominibus gratis concessio : unde B. Paulus ait, I Cor. xv, 10 : *Gratia Dei sum id quod sum*. Eo sensu intelliguntur tum bona naturalia, ut creatio, conservatio, animi corporisque qualitates et perfectiones, etc. ; tum supernaturalia, quæ Deus creaturis intelligentibus concedit in ordine ad vitam æternam.

De gratia, posteriori hoc sensu accepta, nobis agendum est in præsentem Tractatu. Definitur : *Donum supernaturale, creaturæ intellectuali a Deo gratis concessum, in ordine ad vitam æternam*. Hæc definitio competit omnibus gratiis a Deo concessis, sive angelis in cælo, sive protoparentibus in statu innocentie, sive homini lapsio.

Gratia sic definita dividitur : 1^o in gratiam Dei et gratiam Christi. Gratia Dei ea est quæ datur independentem a meritis Christi, et dicitur gratia *sanitatis*, juxta Thomistas : tales erant gratiæ angelis et primis parentibus nondum lapsis concessæ. Gratia Christi ea est quæ intuitu meritorum Christi conceditur, et vocatur *medicina*, juxta scholasticos : tales sunt omnes gratiæ hominibus post lapsum preparatæ.

2^o Dividitur in internam et externam. *Interna* ea est quæ immediate agit in mentem, intellectum illuminando aut voluntatem movendo. Gratia *externa* immediate agit in sensus, ut promulgatio legis, miracula, prædicatio verbi divini, exemplum virtutis, etc.

3^o Dividitur in gratiam gratis datam et gratiam gratum

facientem. Gratia *gratis data* non in propriam recipientis, sed in aliorum utilitatem primario conceditur, ut donum miraculorum, potestas administrandi sacramenta, etc. Hujusmodi gratias enumerat Apostolus, I Cor. XII, 8, dicens: *Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ..... alteri fides..... alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum.* Gratia *gratum faciens* in utilitatem recipientis directe conceditur, ut motio voluntatis in bonum, remissio peccatorum, etc.

4° Hæc gratia dividitur in habitualem et actualem. Gratia *habitualis* est quid permanens a Deo in mentibus infusum, et triplex est: nempe 1° gratia *sanctificans*, quæ est prima vel secunda: prima remittit peccatum, justificationem informando; et secunda auget gratiam sanctificantem jam existentem. 2° Virtutes infusæ, quæ sunt theologicæ vel morales: *theologicæ* ita dicuntur, quia Deum habent pro objecto immediato, ut sunt fides, spes et charitas; *morales* non habent Deum pro objecto immediato, sed mores componendos; inter eas quatuor eminent, quæ ideo vocantur *cardinales*: sunt justitia, prudentia, fortitudo et temperantia. 3° Dona Spiritus sancti, quæ septem numerari solent, videlicet, dona sapientiæ, intellectus, consilii, fortitudinis, scientiæ, pietatis et timoris. De his omnibus dicemus, ubi de gratia habituali et de natura justificationis.

Gratia *actualis* ea est quæ datur per modum actus.

5° Duplex est gratia actualis, nempe gratia intellectus et gratia voluntatis. Gratia *intellectus* est quædam illustratio divina, proponens intellectui humano verum supernaturale credendum, vel bonum agendum; gratia *voluntatis* est motio inclinans voluntatem ad bonum supernaturale agendum.

6° Gratia actualis dividitur adhuc in operantem et cooperantem, in prævenientem et subvenientem, in excitantem et adjuvantem. Sensum his vocibus proprium assignabimus in decursu Tractatus.

7° Gratia actualis dividitur iterum in sufficientem et efficacem: gratia *sufficiens* ea est quæ dat veram potestatem agendi, licet effectus non sequatur; gratia *efficax* non solum dat potestatem agendi, sed effectum semper obtinet. Naturam utriusque hic non expendimus.

8° Dividitur in gratiam simpliciter et gratiam pro gratia. Gratia *simpliciter* conceditur absque ullo merito ex parte recipientis, etiam ex gratia anteriori producto; gratia vero *pro gratia* supponit meritum ex gratia anteriori obtentum.

PARS HISTORICA.

DE VARIIS CIRCA GRATIAM ERRORIBUS.

Inter eos qui circa gratiam errarunt, alii nimis naturæ, et alii nimis gratiæ tribuebant: de his et illis in duplici capite dicemus.

CAPUT PRIMUM.

DE HIS QUI ERRARUNT NIMIS TRIBUENDO NATURÆ.

Qui nimis naturæ, id est, libero hominis arbitrio tribuerunt, sunt Pelagiani et Semipelagiani.

ARTICULUS PRIMUS.

DE PELAGIANIS.

Pelagius, in Britannia Majori natus, versus medium quarti sæculi, fuit monachus gyrovagus, id est, non in monasterio reclusus, nec solitarius, nec sacerdos. Inge-

facientem. Gratia *gratis data* non in propriam recipientis, sed in aliorum utilitatem primario conceditur, ut donum miraculorum, potestas administrandi sacramenta, etc. Hujusmodi gratias enumerat Apostolus, I Cor. XII, 8, dicens: *Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ..... alteri fides..... alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum.* Gratia *gratum faciens* in utilitatem recipientis directe conceditur, ut motio voluntatis in bonum, remissio peccatorum, etc.

4° Hæc gratia dividitur in habitualem et actualem. Gratia *habitualis* est quid permanens a Deo in mentibus infusum, et triplex est: nempe 1° gratia *sanctificans*, quæ est prima vel secunda: prima remittit peccatum, justificationem informando; et secunda auget gratiam sanctificantem jam existentem. 2° Virtutes infusæ, quæ sunt theologicæ vel morales: *theologicæ* ita dicuntur, quia Deum habent pro objecto immediato, ut sunt fides, spes et charitas; *morales* non habent Deum pro objecto immediato, sed mores componendos; inter eas quatuor eminent, quæ ideo vocantur *cardinales*: sunt justitia, prudentia, fortitudo et temperantia. 3° Dona Spiritus sancti, quæ septem numerari solent, videlicet, dona sapientiæ, intellectus, consilii, fortitudinis, scientiæ, pietatis et timoris. De his omnibus dicemus, ubi de gratia habituali et de natura justificationis.

Gratia *actualis* ea est quæ datur per modum actus.

5° Duplex est gratia actualis, nempe gratia intellectus et gratia voluntatis. Gratia *intellectus* est quædam illustratio divina, proponens intellectui humano verum supernaturale credendum, vel bonum agendum; gratia *voluntatis* est motio inclinans voluntatem ad bonum supernaturale agendum.

6° Gratia actualis dividitur adhuc in operantem et cooperantem, in prævenientem et subvenientem, in excitantem et adjuvantem. Sensum his vocibus proprium assignabimus in decursu Tractatus.

7° Gratia actualis dividitur iterum in sufficientem et efficacem: gratia *sufficiens* ea est quæ dat veram potestatem agendi, licet effectus non sequatur; gratia *efficax* non solum dat potestatem agendi, sed effectum semper obtinet. Naturam utriusque hic non expendimus.

8° Dividitur in gratiam simpliciter et gratiam pro gratia. Gratia *simpliciter* conceditur absque ullo merito ex parte recipientis, etiam ex gratia anteriori producto; gratia vero *pro gratia* supponit meritum ex gratia anteriori obtentum.

PARS HISTORICA.

DE VARIIS CIRCA GRATIAM ERRORIBUS.

Inter eos qui circa gratiam errarunt, alii nimis naturæ, et alii nimis gratiæ tribuebant: de his et illis in duplici capite dicemus.

CAPUT PRIMUM.

DE HIS QUI ERRARUNT NIMIS TRIBUENDO NATURÆ.

Qui nimis naturæ, id est, libero hominis arbitrio tribuerunt, sunt Pelagiani et Semipelagiani.

ARTICULUS PRIMUS.

DE PELAGIANIS.

Pelagius, in Britannia Majori natus, versus medium quarti sæculi, fuit monachus gyrovagus, id est, non in monasterio reclusus, nec solitarius, nec sacerdos. Inge-

nio erat acutus, eloquentia facundus, licet parum doctus; pius apparebat et virtutis incitator, quamvis mensis, balneis et epulis nutritus: latos humeros et robustam cervicem gestiebat, referente Orosio, in Apologetico. Circa finem quarti sæculi, petiit Romam, Loca sancta invisendi causa, ibique Ruffinum habuit magistrum, a quo plures hausit errores. Sub perfectionis larva, cepit scriptis et verbis docere, contra vitia inclamare, homines et præsertim mulieres, quibus blandiebatur, usum Scripturarum et cantus in ecclesia eis concedens, ad virtutes christianas hortari et excitare. Cum ipsi objiceretur homines in Adamo lapsos et natura corruptos tantæ perfectionis non esse capaces, quibusdam locis Patrum libertatem humanam contra philosophos omnia fato tribuentes, nec non contra Marcionitas aliosque hæreticos duo principia admittentes defendentium abutens, docuit:

1° Adamum et Evam creatos fuisse mortales, et peccando sibi solis nocuisse; ac consequenter nullum existere peccatum originale, sed infantes in eodem statu nasci in quo primi parentes fuerunt creati; unde morientes absque baptismo vitam æternam habent. Discipuli ejus verbis Christi apud Joan. v, 3, etc., *Nisi quis renatus fuerit*, pressi, distinctionem finxerunt inter vitam æternam et regnum Dei, confitentes dictos infantes regnum Dei non ingressuros, et tamen in vita æterna collocandos esse.

2° Docuit eandem nunc existere libertatem quæ primitus data fuit Adamo, vi cujus quaslibet tentationes vincere, perfectam justitiam adipisci et conservare possumus.

3° Necessariam esse gratiam ad bonum faciendum negabat.

Primus Pelagii discipulus fuit Cælestius, monachus sacerdos, patria incertus, homo *acerrimi ingenii qui profecto, si corrigeretur, plurimis profuisset*, inquit S. Aug.

Celebrior alter exstitit, nomine Julianus, ex Apulia oriundus, primum conjugatus; deinde, adhuc junior, Eclanensis episcopus, qui cum septemdecim aliis epi-

scopis causam Pelagianorum jam desperatam et fere perditam suscepit defendendam, sicque perturbationes in Ecclesia diu protraxit.

Viginti quatuor celebrata sunt concilia adversus Pelagianos, a Carthaginensi I, anno 412, usque ad Ephesium generale, anno 431. Sex summi Pontifices eos profligaverunt, nempe Innocentius I, Zozimus, Bonifacius I, Cælestinus I, Sixtus III et Leo I cognomento Magnus: quinque imperatores Pontificibus auxilium constitutionibus suis præstiterunt, videlicet Honorius, Theodosius I, Constantius, Valentinianus III et Theodosius II.

Præcipui doctores qui scriptis suis Pelagianos impugnaverunt, sunt: S. Hieronymus; Paulus Orosius, presbyter Hispanus, S. Augustini amicus; Marius Mercator, et præsertim S. Augustinus, qui, ab anno 412 usque ad mortem suam, anno 430, eos in multis et doctissimis operibus continuo insecutus, merito vocatus est Doctor Gratiæ.

Pelagiani vero et in primis Cælestius et Julianus, multa pro tuendis erroribus suis scripserunt, atque non semel sententiam mutaverunt, sin in re, saltem in verbis: 1° negabant gratiam esse necessariam; 2° rationibus adversariorum victi, necessitatem ejus agnoverunt, sed nomine gratiæ intelligebant naturam et liberum arbitrium; 3° gratiam, cujus necessitatem agnoscebant, reposuerunt in lege et doctrina qua admonemur de bono faciendo et de malo fugiendo; 4° eum ipsis objiceretur majorem esse gratiam sub lege evangelica quam sub Mosaica, dixerunt eam consistere in exemplo Christi nos ad bonum hortantis, dum Adamus exemplo suo nos impellebat ad malum; 5° novis argumentis iterum pressi, dixerunt gratiam consistere in remissione peccatorum et in recordatione hujus remissionis, quæ sine novo adjutorio ad vitanda peccata plene sufficit. In observatione mandatorum Dei tria distinguebant: possibilitatem, voluntatem et actionem; fatebantur possibilitatem a Deo venire, at volebant duo posteriora esse hominis. 6° Adhuc convicti, gratiam interiorum illustrationis admiserunt, non ut prorsus necessariam, sed ad facilius agendum.

Graviter controvertitur inter theologos 1° an Pelagiani tandem admiserint gratiam voluntatis, et 2° quam fuerit gratia de qua tanta exstitit controversia inter eos et S. Augustinum.

Ad primum, ut probabilius habetur Pelagianos tandem admisisse, post damnationem suam a Zozimo pronuntiatam, gratiam internam etiam voluntatis, sed gravibus vitiis fœdatam, scilicet 1° inchoationi bonorum operum alienam, 2° non necessariam ab bene agendum, et 3° juxta uniuscujusque merita concessam.

Ad secundum, constat gratiam a S. Aug. adversus Pelagianos decertante requisitam ut dogma catholicum, fuisse gratiam actualem, prævenientem, gratuitam et ad bonum agendum necessariam, non tamen necessitantem, nec probabiliter ex natura sua efficacem. Hæc assertio ex ipsismet S. Aug. scriptis comprobatur, et insuper ex ratione; S. Aug. enim dogma Ecclesiæ defendere suscipit, non vero opinionem ad fidem non pertinentem: porro Ecclesia semper docuit, *ut ex infra dicendis patet*, gratiam actualem, prævenientem et gratuitam, ad omnes actus pios necessariam esse, et tamen nullam imponere necessitatem: ergo. An autem hæc gratia ex natura sua sit efficax, vel non, quæstionem Ecclesia nunquam definiit.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE SEMIPELAGIANIS.

Semipelagiani sic dicti sunt, quia errores Pelagianorum circa gratiam mitigantes, quasi dimidiaverunt. Quidam viri docti, pii et sancti, quorum plerique erant sacerdotes et nonnulli episcopi, doctrinæ S. Aug. circa necessitatem gratiæ gratuitæ cum laudibus subscribentes, existimabant ipsius sententiam circa prædestinationem esse duriorum, atque importune S. Doctorem hanc movisse quæstionem. Primo dicebant se illum in eo puncto facile non intelligere; deinde asseruerunt illum Pelagianos impugnantem, in oppositum errorem incidisse; et tan-

dem docuerunt: 1° saltem probabiliter gratiam non esse necessariam ad initium fidei, nec ad orationem et desiderium generale faciendi quæ necessaria sunt ad salutem; imò quidam, a Pelagianis minus recedentes, tenebant desiderium speciale bonum ad salutem necessarium faciendi absque gratia haberi posse, non tamen perfici; 2° gratiam intuitu voluntatis hominis actualis vel futuræ et a Deo prævisæ concedi; et in hoc sistebat caput totius Semipelagianismi. Duo ad salutem igitur sunt necessaria, gratia scilicet et obedientia: obedientia est hominis; Deus autem propter obedientiam prævisam concedit gratiam, tum ad recte credendum, tum ad bene agendum, tum ad perseverandum. Hinc inferebant Semipelagiani homines puniendos vel remunerandos esse in altera vita, non tantum secundum peccata realiter commissa aut merita acquisita, sed secundum ea quæ fecissent si diu vixissent: unde, v. g., ex duobus infantibus simul natis et Ecclesiæ præsentatis, unus ante baptismum moritur; gratia salutis ipsi denegatur, quia prævidetur peccaturus si vixisset: alter baptizatur, et statim moriens salvatur, quia prævidetur bene acturus et in bonis operibus usque in finem perseveraturus si diu vixisset.

Pelagiani igitur et Semipelagiani in hoc consentiebant, quod scilicet gratuitam esse gratiam negarent, volebantque eam intuitu meritorum hominis actualium aut prævisorum concedi; et in eo differebant, quod Pelagiani necessitatem gratiæ non admitterent, dum Semipelagiani eam agnoscebant, saltem excepto fidei initio.

Præcipui auctores vel propugnatores Semipelagianorum hæresis fuerunt: 1° quidam Vincentius, a celebri abbate Lirinensi ejusdem nominis distinctus; 2° Joannes Cassianus monachus, natione Scythæ juxta multos, Gallus secundum alios, in monasterio Bethleem edoctus: lustratis cœnobiis Ægypti et Thebaidæ, perfectionis causa, venit Constantinopolim, ubi a S. Joanne Chrysostomo ordinatus est diaconus. Missus Romam ad defendendum S. Chrysostomum injuste accusatum, inde

transiit Massiliam ibique duo instituit monasteria, unum virorum et alterum virginum. Rogante S. Castore, episcopo Vapicensi, scripsit ea quæ a monachis in Oriente didicerat, in Institutionibus monasticis. Scripsit etiam Collationes Patrum deserti, gallice *Conférences*: in 13^a collatione docet bonam voluntatem gratiæ non semper tribuendam esse; 3^o Faustus, in Britannia natus, primam advocatus, deinde monachus Lirinensis, et postea episcopus Regiensis in Gallia; 4^o Gennadius, doctus presbyter Massiliensis.

Quoniam Semipelagiani frequentiores erant Massiliæ aut in regione Massiliensi, vocati sunt Massilienses, eorumque error dictus est hæresis presbyterorum Massiliensium.

S. Prosper et Hilarius, ab Hilario Arelatensi diversus, ambo Galli et probabilius laici, S. Augustinum contra Semipelagianos nascentes defenderunt in Gallia, S. Doctorem de seminibus erroris prodeuntibus epistola communi monnerunt, petierunt Romam, et novam hæresim denuntiaverunt summo Pontifici Cœlestino I, qui episcopis Galliæ contra presbyteros Massilienses scripsit. S. Aug., licet senio confectus, duos adversus eos composuit libros, unum de Prædestinatione sanctorum, et alterum de Dono Perseverantiæ. S. Fulgentius, episcopus Ruspensis in Africa, eosdem confutavit: denique synodus Arausicana II, anno 529 sub Felice IV celebrata, a Bonifacio II approbata et in orbe christiano percelebris, errores Semipelagianorum, in viginti quinque canonibus ex scriptis S. Aug. decerptis, condemnavit, tota silentio suo comprobante Ecclesia, sicque res finita est.

CAPUT SECUNDUM.

DE HIS QUI ERRAVERUNT NIMIS GRATIÆ TRIBUENTES.

Numerantur Prædestinatiani, Wicelista, Lutherani, Calvinista, Baianista et Jansenista.

ARTICULUS PRIMUS.

DE PRÆDESTINATIANTIS.

Quidam necessitatem et efficacitatem gratiæ adversus Pelagianos et Semipelagianos nimis extollentes, in oppositum errorem inciderunt, dixeruntque 1^o Deum, absoluto decreto, ante prævisa opera, homines ad vitam vel ad mortem æternam prædestinare; 2^o solos prædestinatos salvos fieri velle; 3^o pro solis prædestinatis Christum mortuum esse; 4^o liberum hominis arbitrium in præsentī statu penitus extinctum esse; 5^o sacramenta nihil prodesse, id est, gratiam non conferre, nec peccata remittere iis qui ad vitam æternam non sunt prædestinati. Quidam Lucidus presbyter hos in fine quinti sæculi docuit errores, ut constat ex epistola Fausti, episcopi Regiensis, eum refellentis, ex retractatione ipsius Lucidi in concilio Arelatensi, circa annum 476 celebrato. Falsum est ergo Prædestinatianismum merum esse figmentum a Pelagianis vel Semipelagianis in odium S. Aug. excogitatum, ut volebant Janseniani.

In nono sæculo exortus est Gotescale, filius comitis Saxonix, monachus Orbacensis, in diocesi Suessionensi. Sacerdos sine proprii episcopi licentia ab alieno ordinatus est; adiit Romam devotionis vel inquietudinis causa, itinera suscepit per diversas regiones, et ab episcopo Veronensi in Italia, Rabano, archiepiscopo Moguntino, anno 848, delatus tanquam errores circa prædestinationem docens, convictus est; ad Hincmarum, archiepiscopum Rhemensem, ipsius metropolitanum, missus, examinatus est in synodo Carisiaca I, anno 849. Iterum damnatus velut hæreticus obstinatus, virgis cæsus est, juxta regulam sancti Benedicti, et in ergastulo monasterii Altivillarensis reclusus, e carcere duas edidit professiones fidei callidas, in quibus errores suos adeo occultabat ut plurimi, eum credentes innocentem, Hincmarum nimix severitatis accusaverunt, et magna exorta est dissensio etiam inter episcopos, qui tandem sibi consense-

transiit Massiliam ibique duo instituit monasteria, unum virorum et alterum virginum. Rogante S. Castore, episcopo Vapicensi, scripsit ea quæ a monachis in Oriente didicerat, in Institutionibus monasticis. Scripsit etiam Collationes Patrum deserti, gallice *Conférences*: in 13^a collatione docet bonam voluntatem gratiæ non semper tribuendam esse; 3^o Faustus, in Britannia natus, primam advocatus, deinde monachus Lirinensis, et postea episcopus Regiensis in Gallia; 4^o Gennadius, doctus presbyter Massiliensis.

Quoniam Semipelagiani frequentiores erant Massiliæ aut in regione Massiliensi, vocati sunt Massilienses, eorumque error dictus est hæresis presbyterorum Massiliensium.

S. Prosper et Hilarius, ab Hilario Arelatensi diversus, ambo Galli et probabilius laici, S. Augustinum contra Semipelagianos nascentes defenderunt in Gallia, S. Doctorem de seminibus erroris prodeuntibus epistola communi monnerunt, petierunt Romam, et novam hæresim denuntiaverunt summo Pontifici Cœlestino I, qui episcopis Galliæ contra presbyteros Massilienses scripsit. S. Aug., licet senio confectus, duos adversus eos composuit libros, unum de Prædestinatione sanctorum, et alterum de Dono Perseverantiæ. S. Fulgentius, episcopus Ruspensis in Africa, eosdem confutavit: denique synodus Arausicana II, anno 529 sub Felice IV celebrata, a Bonifacio II approbata et in orbe christiano percelebris, errores Semipelagianorum, in viginti quinque canonibus ex scriptis S. Aug. decerptis, condemnavit, tota silentio suo comprobante Ecclesia, sicque res finita est.

CAPUT SECUNDUM.

DE HIS QUI ERRAVERUNT NIMIS GRATIÆ TRIBUENTES.

Numerantur Prædestinatiani, Wicelista, Lutherani, Calvinista, Baianista et Jansenista.

ARTICULUS PRIMUS.

DE PRÆDESTINATIANTIS.

Quidam necessitatem et efficacitatem gratiæ adversus Pelagianos et Semipelagianos nimis extollentes, in oppositum errorem inciderunt, dixeruntque 1^o Deum, absoluto decreto, ante prævisa opera, homines ad vitam vel ad mortem æternam prædestinare; 2^o solos prædestinatos salvos fieri velle; 3^o pro solis prædestinatis Christum mortuum esse; 4^o liberum hominis arbitrium in præsentī statu penitus extinctum esse; 5^o sacramenta nihil prodesse, id est, gratiam non conferre, nec peccata remittere iis qui ad vitam æternam non sunt prædestinati. Quidam Lucidus presbyter hos in fine quinti sæculi docuit errores, ut constat ex epistola Fausti, episcopi Regiensis, eum refellentis, ex retractatione ipsius Lucidi in concilio Arelatensi, circa annum 476 celebrato. Falsum est ergo Prædestinatianismum merum esse figmentum a Pelagianis vel Semipelagianis in odium S. Aug. excogitatum, ut volebant Janseniani.

In nono sæculo exortus est Gotescale, filius comitis Saxoniae, monachus Orbaecensis, in diocesi Suessionensi. Sacerdos sine proprii episcopi licentia ab alieno ordinatus est; adiit Romam devotionis vel inquietudinis causa, itinera suscepit per diversas regiones, et ab episcopo Veronensi in Italia, Rabano, archiepiscopo Moguntino, anno 848, delatus tanquam errores circa prædestinationem docens, convictus est; ad Hincmarum, archiepiscopum Rhemensem, ipsius metropolitanum, missus, examinatus est in synodo Carisiaca I, anno 849. Iterum damnatus velut hæreticus obstinatus, virgis cæsus est, juxta regulam sancti Benedicti, et in ergastulo monasterii Altivillarensis reclusus, e carcere duas edidit professiones fidei callidas, in quibus errores suos adeo occultabat ut plurimi, eum credentes innocentem, Hincmarum nimis severitatis accusaverunt, et magna exorta est dissensio etiam inter episcopos, qui tandem sibi consense-

runt anno 860 in concilio Tullensi, atque definierunt, 1^o existere prædestinationem pro electis; 2^o liberum arbitrium non esse extinctum, sed tamen læsum et gratia indigere; 3^o Deum velle salutem omnium hominum, et 4^o Christum mortuum esse pro omnibus hominibus.

Interea *Gotescalc*, gravi morbo in carcere correptus, professioni fidei a monachis Altvillarensibus jussu Hinemari sibi exhibitæ subscribere noluit, sicque obiit sacramentis Ecclesiæ et sepultura christiana privatus.

Nomen hujus novatoris oblivioni traditum mansit ignoratum per octingentos annos, usque ad Usserium, calvinistam, et Jansenium qui contenderunt illum fuisse miserum, ab Hinemaro injuste vexatum, nequam vero hæresi infectum. Hinc nata est controversia inter ipsos catholicos an *Gotescalc*, erroribus Prædestinatio- rum fuerit addictus, nec ne. Persona ejus stricte defendi potest absque ulla fidei læsione, ut constat exemplo Prudentii, Trecentis episcopi, Lupi, Ferrariensis abbatis, Ramnani, Corbeiensis monachi, auctoris duorum librorum, de Tenenda veritate, et de Tribus epistolis, sub nomine Ecclesiæ Lugdunensis falso inscriptorum, et aliorum qui, licet catholici, arbitrati sunt illum ab erroribus Prædestinatio- rum immunem: ut certum tamen habetur illum reipsa fuisse hæreticum, idque probatur 1^o testimonio Rabani, Hinemari aliorumque episcoporum qui eum stricto examini subjectum invenerunt reum et damnaverunt; 2^o definitionibus conciliorum adversus illum celebratorum: septem numerantur, et in tribus saltem declaratur hæreticus; 3^o consensu fere omnium theologorum.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE ERRORIBUS WICLEFI.

Wiclefus, natione Anglus, sacerdos, doctor Oxoniensis, theologiæ professor, deinde parochus et anno 1384 defunctus, a regimine collegii Cantuariensis auctoritate

archiepiscopi, postea summi Pontificis ejectus, debacchatus est præ ira, et innumeras docuit hæreses, inter quas sequentes: 1^o omnia ipsumque Deum fato esse subjecta; 2^o omnes actus Dei, tum internos, tum externos, esse necessarios, et tamen liberos, quia Deus voluntarie eos facit, et aliter faceret si vellet, quamvis aliter velle non possit; 3^o eo sensu tantum hominem esse liberum; 4^o alios ad vitam æternam et ad bona opera, alios vero ad damnationem et ad peccata prædestinari: omnes tamen hæc libere faciunt, quia volunt, et aliter facerent si vellet, quamvis velle non possint.

Varii Wiclefi errores damnati sunt a Gregorio XI, in pluribus conciliis particularibus, et tandem in generali Constantiensi, anno 1415.

ARTICULUS TERTIUS.

DE LUTHERANIS ET CALVINISTIS.

Martinus Lutherus, anno 1483 natus in Saxonia, monachus ordinis Eremitarum S. Augustini et sacerdos, cœpit dogmatizare anno 1517; et Joannes Calvinus, Novioduni anno 1509 natus, erroribus ejus adhæsit et novos eis adjecit. Ambo enormiter erraverunt circa liberum arbitrium, gratiam et prædestinationem.

1^o Circa liberum arbitrium, docuerunt 1^o hominem primitus non liberum, juxta Lutheram; liberum, licet ad peccatum destinatum, secundum Calvinum, per Adami lapsum, a justitia excidisse, imaginem Dei in ipso impressam amisisse, ipsiusque naturam, essentialiter vitiatam, omnem libertatem electionis perdidisse; 2^o suum peccatum cum natura essentialiter vitiata ac libertate destituta ad posterum transmisisse; 3^o animam essentialiter vitiatam nullam ex se producere posse actionem quæ per se non sit mala. Hinc concludebant liberum arbitrium esse duntaxat figmentum ac titulum sine re. Fatebatur Calvinus omnes scriptores ecclesiasticos sibi ipsi circa libertatis existentiam contrarios esse,

excepto S. Augustino, quem gloriabatur esse suum, l. 3 de lib. Arbit., cap. 3.

2^o *Quoad gratiam*, dixerunt 1^o justitiam in statu innocentiae a natura non fuisse distinctam, et Adamum tam naturaliter Deum cognovisse, ipsi credidisse eumque dilexisse, quam naturale est oculos lucem percipere; 2^o Adamum bonum agere potuisse, non tamen sine gratia quam Deus ipsi denegavit; 3^o reformationem naturae corruptae solius Dei opus esse, minime vero hominis, etiam gratia praeviente adjuti; 4^o virtutes infidelium et optima philosophorum opera, coram Deo impia esse et sacrilega defectu gratiae, et denique quidquid cogitat et perficit homo antequam per fidem reconcilietur, esse maledictum et aeterna damnatione dignum; 5^o legem Moysis gratia destitutam, hominem magis peccatorem effecisse, et intolerabilem fuisse, quia malum ostendebat, potentiam illud vitandi non conferens.

3^o *Circa praedestinationem*, censebant 1^o Deum ante creationem decreta ordinasse ut inter homines nascerentur qui suo exitio nomen ipsius glorificarent, sicque alios praedestinari ad vitam et alios ad mortem aeternam; 2^o Christum pro solis electis mortuum esse, orasse et satisfacisse; 3^o Deum aliquando permittere ut Evangelium annuntietur iis qui perituri sunt, sed ad eos magis obsecrandos, obdurandos et damnandos; 4^o praecipua dare impossibilia, ut habeat occasionem miserandi, vel severitatem suam ostendendi, ipsumque bonum et malum in nobis agere et maximorum facinorum auctorem esse. Fateatur Lutherus, lib. de Servo Arbitr. fol. 455 et 481, se, sicut multos alios, hac doctrina offensum esse: eam nihilominus admittendam iudicat.

Alios permultos docuerunt errores circa justificationem, meritum, etc., quos hic referre longius esset: concilium Tridentinum, anno 1545 inceptum et anno 1563 absolutum, eos in sessione sexta et alibi passim censura perstrinxit.

Doctrinis Lutheri et Calvini plus minusve adherent innumeræ sectae familiae Protestantium componentes.

Verum multi dogmata eorum ita emollierunt ut nunc potius gratiam tollant quam nimis ei tribuant: negant peccati originalis existentiam, naturae depravationem, proinde gratiae necessitatem, reprobationem decretam, etc. Vide *la Revue protestante*, t. v, n^o d'octobre 1828; *la Symbolique*, par Moelher; *la Symbolique populaire*, par Buchman, etc., etc.

ARTICULUS QUARTUS.

DE BAIANISTIS.

Historia M. Baii.

Michael Baius, in Belgio anno 1515 natus, in Universitate Lovaniensi theologiae doctor anno 1550, et Scripturae sacrae professor anno sequenti, statim errores spargere cepit. Ruardus Tapper qui magister ejus fuerat, redux e conc. Trid., anno 1552, dolens hos errores advertit eisque pro viribus obstitit. Anno 1560, Fratres Minores Belgii decem et octo propositiones Baii detulerunt Facultati Parisiensi, quae eas censura notavit. Baius quasdam propositiones sibi imputatas explicavit, et contra censuram scripsit: magna in toto Belgio exstitit contentio. Pius IV silentium utrique parti imposuit. Baius, amicus ejus Hessels eosdem errores docens, missi sunt anno 1563 a rege catholico ad conc. Trident. tanquam theologi: Baius inde reversus fregit silentium sibi imperatum, quaedam opuscula in lucem immittendo. Theologi Lovanienses plurimas propositiones inde extractas miserunt Romam: Pius V, Pii IV successor, eas stricto examini subjectas numero novem et septuaginta solemniter damnavit bulla diei 1 oct. anni 1567, quae in Facultate Lovaniensi fuit acceptata, non tamen publicata. Baius, aegre ferens se ita fuisse damnatum, scripsit Pontifici, eumque rogavit ut attente perpenderet an melius non esset bullam tanquam subreptitiam suppressere, quam eam reddere publicam. Pontifex vero, brevi

diei 13 maii anni 1569, bullam confirmavit atque silentium tum Baio, tum defensoribus ejus imperavit. Baius, exhortante *Morillon*, vicario generali cardinalis *de Granvelle*, archiepiscopi Mechliniensis, brevi et condemnationi propositionum suarum subscripsit.

In concilio provinciali celebrato Mechlinii, anno 1570, statutum est quod bulla Pii V solemniter publicaretur Lovanii, propter animorum dissensiones adhuc exstantes.

Mortuo Pio V, rumor disseminatus est Gregorium XIII, ejus successorem, bullam revocaturum esse: quomobrem Pontifex novam edidit bullam, die 29 januarii 1579, qua primam confirmavit, et P. Toletum, insignem theologum e societate Jesu, misit Lovanium cum mandato bullam promulgandi. Baius, a Toletto, perlecta bulla, interrogatus an eidem acquiesceret, respondit se bullam reverenter suscipere et omnes propositiones in illa damnatas, secundum ipsius bullæ intentionem, damnare; huicque retractationi errorum suorum propria manu subscripsit. Vixit adhuc novem annis, et mortuus est anno 1589 in communione catholica: at ipsius errores plures invenerunt defensores, in primis Jansenium Ypreensem, de quo infra dicemus. Urbanus VIII celebrem edidit bullam *In eminenti*, die 6 martii an. 1641, qua bullas decessorum suorum renovans, confirmavit.

Doctrina Baii.

Præcipui Baii errores continentur in propositionibus a summis Pontificibus damnatis, numero novem et septuaginta, juxta bullam Gregorii XIII, fere omnes ex hoc præfuentes principio a Lutheranis mutuato, scilicet, hominem, necessario determinari amore Dei propter se dilecti aut vitiosa cupiditate: ad tria revocari possunt capita, prout spectant ad naturam innocentem, naturam lapsam aut naturam reparatam.

1^o *Circa naturam innocentem*, docebat 1^o visionem Dei intuitivam ita naturæ intellectuali essentialem esse, ut Deus angelum et hominem ob aliam finem creare non

potuisset; 2^o exaltationem humanæ naturæ in consortium divinæ esse naturalem, ac proinde primæ conditionis integritati fuisse debitam; 3^o primum hominem creati non potuisse sine justitia originali; 4^o merita angeli et primi hominis in statu innocentiae gratiam recte vocari non potuisse; 5^o immortalitatem et felicitatem bonis angelis et primo homini in statu illo perseverantibus promissam, similiter non futuram fuisse gratiam, sed mercedem.

2^o *Circa naturam lapsam*, docebat 1^o hominem per peccatum orbatum esse omnibus gratiis quæ ipsi erant naturales, et eujuslibet boni factum incapacem; 2^o cum Pelagio sentire, qui bonum aliquod naturale ex solis viribus humanis produci posse agnoscit; 3^o nulli tentationi hominem resistere posse sine gratia; 4^o peccatum originale situm esse in concupiscentia cunctis hominibus communi, quæ in baptizatis peccantibus non minus mala est quam cæteri pravi habitus; 5^o hominem in peccato constitutum semper obsequi concupiscentiæ, etiam bonum faciendo, et mortaliter peccare: unde inferebat omnia infidelium opera ipsamque infidelitatem negativam, in iis quibus Christus non fuit prædicatus, esse peccata; 6^o motus concupiscentiæ indeliberatos in ipsis justis tot esse transgressiones præcepti *Non concupisces*, quas tamen Deus ipsis ex misericordia non imputat; hinc dari præcepta Dei impossibilia: S. Aug. contrarium non dixisse, sed Pelagium; 7^o solam violentiam, non vero simplicem necessitatem, libertati naturali hominis repugnare: itaque, *quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit* (Prop. 39).

3^o *Circa naturam reparatam*, docebat: 1^o omne opus bonum, quod in solis justis invenitur, ex natura sua, independentem ab ordinatione Dei et meritis Christi, vitam æternam mereri, quia ex charitate perfecta procedit; 2^o justitiam qua homo justificatur formaliter consistere in obedientia mandatis, non autem in gratia aliqua infusa; 3^o veram justificationem cum remissione peccatorum non semper conjungi, ac consequenter hominem in

peccato mortali existentem habere posse charitatem perfectam et justitiam; 4^o duo distinguenda esse in peccato, actum et pœnæ reatum: actum seu concupiscentiam per charitatem perfectam deleri, non vero pœnæ reatum, qui per sacramenta Baptismi aut Pœnitentiæ remittitur.

Hinc patet Baium, modo Pelagianum, modo Prædestinatianum fuisse, et sæpe sibi contradixisse.

Plures alios docuit errores, ad præsentem Tractatum minus attinentes, quos igitur hic referendos non duximus.

De bullis in causa Baii editis.

Tres latæ sunt bullæ, ut jam diximus, contra Baii errores, scilicet a Pio V, a Gregorio XIII et ab Urbano VIII. Secunda primam confirmat et publicari mandat; tertia, quæ incipit *In eminenti*, duas priores renovat, confirmat et ad universam dirigit Ecclesiam. Illius robur elidere conati sunt Baii fautores, ejus authenticitatem, auctoritatem, sensum et extensionem lacessentes, sed frustra.

Nam 1^o evidenter *authentica est*; ipse enim Urbanus VIII eam declaravit authenticam in brevi ad archiepiscopum Mechliniensem, anno 1643; et revera sub nomine hujus Pontificis reperitur in Bullario Romano; insuper Alexander VIII sequentem damnavit propositionem: *Bulla Urbani VIII est subreptitia*.

2^o *Est judicium dogmaticum irreformabile*, juxta id quod in Tractatu *de vera Ecclesia* probavimus; continet enim aliquid fide credendum, a Romano pontifice universæ Ecclesiæ propositum, ad omnes dirigitur episcopos; solemniter fuit acceptata et in Belgio ubi nata erat controversia, et in pluribus aliis ecclesiis, et adversarii nullam invocant Ecclesiam quæ reclamaverit. Ergo.

3^o *Sensum ejus frustra adulterarunt*, dicentes comma, in hac phrasi, *quas quidem sententias stricto coram nobis examine ponderatas, quanquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent: in rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, et in pias aures offensionem immitten-*

tes, præsentium auctoritate damnamus, etc., post verbum *intento* collocandum esse, siquidem examine jussu Urbani VIII in autographis facto, post verbum *possent* ut supra, exaratum in tribus bullis repertum est et sic in Bullario semper imprimitur. Aliunde quomodo damnari potuissent propositiones quæ in rigore ac proprio verborum sensu ab assertoribus intento defendi potuissent? Ergo.

4^o Quoad *extensionem*, certum est omnes propositiones in Bullario contentas sensu obvio et naturali fuisse damnatas in globo, omnesque saltem unam ex notis numero sex supra assignatis mereri. Suarez sex et septuaginta tantam recenset propositiones; Lovanienses novem et septuaginta; quidam alii octoginta: diversitas in computatione inde venit quod in Bulla Pii V et Urbani VIII omnes propositiones, aliæ simplices et aliæ complexæ, uno tenore exprimantur. Verum in tribus bullis sunt eadem de verbo ad verbum, et septuaginta novem numerantur a Gregorio XIII in Bullario.

ARTICULUS QUINTUS.

DE JANSENIO.

Exponemus 1^o historiam compendiosam Jansenii et causæ ejus; 2^o summam ipsius doctrinæ.

Historia compendiosa Jansenii et causæ ejus.

Cornelius Jansen, qui postea dictus est Jansenius, anno 1585 ex communi genere ortus in Batavia, studuit litteris Lovanii in collegio Patrum e societate Jesu; deinde in Facultate theologica ejusdem oppidi magistrum habuit Jacobum Janson, doctrinæ Baii defensorem acerrimum. Cursu theologiæ feliciter expleto, venit Parisios cum condiscipulo et amico Joanne du Verger de Hourane, ex illustri familia Baionensi, quo protegente, munus præ-

ceptoris apud consiliarium curiæ obtinuit. Aliquot annis sic transactis, amicitia erga *du Verger* illectus petiit Baionam, ibi primarius collegii recens creati factus est, et per octo annos multam dedit operam theologiæ una cum amico, juxta principia a communi magistro accepta. Lovanii lauream doctoratus anno 1619 accepit, et anno 1630 factus est professor regius Scripturæ sacræ. Anno 1636 episcopus Yprensis consecratus, post biennium, peste correptus, in civitate episcopali, annis quinquaginta tribus natus, obiit. Per viginti et duos annos insudaverat ut ingens componeret opus, cui nomen *Augustinus*, in defensionem doctrinæ S. Aug. prout eam a *Jacobo Janson* didicerat, id est, in gratiam errorum Baii.

Morti proximus, scripsit testamentum, in quo profertens se usque ad lectum mortis Ecclesiæ Romanæ obedientem esse, librum suum judicio sanctæ Sedis Apostolicæ subjecit.

Liber typis mandatus prodiit Lovanii anno 1640, cum offensione catholicorum non modica. Urbanus VIII eum statim proscripsit in bulla *In eminenti*, contra errores Baii edita.

Cum nihilominus nonnulli baccalaurei tuerentur etiam publice theses ex *Augustino* depromptas, Facultas Parisiensis, promovente doctore *Cornet*, syndico, quinque extraxit propositiones quas episcopis Gallicanis, comitia generalia tunc celebrantibus, anno 1650, præsentavit notandas: episcopi, numero quinque et octoginta, rem sanctæ Sedi detulerunt epistola communi, postulantes ut quinque Propositiones singulatim damnarentur. Undecim alii episcopi in oppositum scripserunt, et doctorem *Ludovicum de Saint-Amour* causam ipsorum defensurum Romam miserunt. Innocentius X, litteris episcoporum die 12 aprilis 1651 receptis, instituit congregationem ex quinque cardinalibus et tredecim consultoribus conflata, quæ Propositiones delatas longo et ponderoso examine sub omni respectu perpendit, auditis pari facilitate et accusantibus et defendentibus: tandem Innocen-

tius X, bulla *Cum occasione*, diei 31 maii anni 1653, quinque sequentes damnavit Propositiones:

« I^a. Aliqua Dei præcepta hominibus justis, volentibus » et conantibus, secundum præsentem quas habent vires, » sunt impossibilia: deest quoque illis gratia qua possibilia fiunt, » declaratur temeraria, impia, blasphema, anathemate damnata et hæretica.

« II^a. Interiori gratiæ, in stato naturæ lapsæ, nunquam » resistitur, » declaratur hæretica, et ut talis damnatur.

« III^a. Admerendum, et demerendum, in statu naturæ » lapsæ, non requiritur in homine libertas a necessitate, » sed sufficit libertas a coactione, » declaratur hæretica, et ut talis damnatur.

« IV^a. Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ » interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, et in hoc erant hæretici, quod vellent eam » gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare, » declaratur falsa et hæretica, et ut talis damnatur.

« V^a. Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse, » declaratur falsa, temeraria, scandalosa, et intellecta eo sensu quod *Christus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus sit*, impia, blasphema, contumeliosa, divinæ pietati derogans et hæretica, et ut talis damnatur.

Hæc Constitutio ad omnes episcopos catholici orbis directa, ubique cum debita reverentia recepta est, præsertim in Gallia. Jansenii defensores fatebantur quinque Propositiones recte esse damnatas, at contendebant eas non inveniri in opere dicto *Augustinus*, aut in sensu auctoris non fuisse reprobatas; hinc famosa distinctio *juris et facti*.

Innocentius X, de hac distinctione novis episcoporum litteris diei 28 martii anni 1654 admonitus, declaravit die 19 septembris ejusdem anni, brevi ad episcopos Galliæ comitia tunc celebrantes directo, quinque Propositiones esse Jansenii et in sensu Jansenii a sancta Sede fuisse damnatas.

Nihilominus nonnulli iterum argutiebant, contententes vel quinque Propositiones in libro Jansenii non reperiri, vel in sensu ab auctore intento non fuisse damnatas: episcopi pro comitiis generalibus adunati scripserunt, die 2 septembris anni 1656, ad Alexandrum VII, eum rogantes ut finem hujusmodi dissensionibus suprema auctoritate imponeret. Clarissimus ille Pontifex edidit bullam *Ad sacram*, die 16 octobris ejusdem anni, qua Constitutionem decessoris sui confirmabat, atque declarabat quinque Propositiones ex libro Cornelii Jansenii fuisse depromptas, et in sensu ab auctore intento damnatas. Recepto Pontificali hoc decreto, clerus Gallicanus, in comitiis adunatus, statuit ut illud ad episcopos absentes mitteretur, cum sequenti forma subscriptionis, pro servanda unitate et præcavendis omnibus subterfugiis:

« Je me soumetts sincèrement à la Constitution du pape Innocent X, du 31 mai 1653, selon son véritable sens, qui a été déterminé par la Constitution de notre saint Père le Pape Alexandre VII, du 16 octobre 1656. Je reconnais que je suis obligé en conscience d'obéir à ces Constitutions, et je condamne de cœur et de bouche la doctrine des cinq Propositions de Cornélius Jansénius, contenues dans son livre intitulé *Augustinus*, que ces deux Papes et les Evêques ont condamnées; laquelle doctrine n'est point celle de saint Augustin, que Jansénius a mal expliquée, contre le vrai sens de ce saint docteur. »

Plurimi huic Formulario subscribere noluerunt, dicentes episcopos non habere jus regulam fidei sic statuendi. Alexander VII novam edidit Constitutionem, die 15 februarii anni 1665, per verba *Regiminis Apostolici* incipientem, qua præcipiebat omnibus subscribere sequenti Formulario: « Ego N. Constitutioni Apostolicæ Innocentii X, datæ die 31 maii 1653 et Constitutioni Alexandri VII, datæ die 16 octobris 1656, summorum Pontificum, me subscipio, et quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui nomen *Augustinus*, excerptas, et in sensu ab eodem auctore intento, prout illas

» per dictas Constitutiones Sedes Apostolica damnavit, » sincero animo rejicio, ac damno et ita juro: sic me » Deus adjuvet et hæc sancta Dei Evangelia. »

Jansenii defensores ad distinctionem juris et facti, a doctore *Arnauld* excogitatum, adhuc recurrerunt, dicentes Ecclesiam esse infallibilem in quæstione juris, non vero in quæstione facti: unde mandatum subscribendi Formulario obligabat quoad jus, id est, quinque Propositiones juste fuisse condemnatas, non autem quoad factum, id est, dictas Propositiones esse Jansenii, vel in sensu a Jansenio intento fuisse reprobatas.

Cum tamen subscriptio ab ipsis auctoritate Pontificis et legis exigeretur, in duas abierunt sententias: alii rigidiores æstimabant distinctionem juris et facti exprimendam esse, ut tolleretur perjurium; alii vero molliores, opinabantur Formularium simpliciter subscribi posse, distinctione juris et facti in mente retenta.

Interea quatuor episcopi, *Pavillon* Aletensis, *Caulet* Apamiensis, *de Buzanval* Bellovacensis, et *Henricus Arnauld* Andegavensis, ab aliis episcopis Gallicanis recentibus, mandatis publicis docuerunt distinctionem juris et facti necessario admittendam esse saltem tacite, et neminem teneri credere quinque Propositiones esse Jansenii, vel in sensu ab auctore intento fuisse damnatas, aut merito damnari potuisse. Inde magna dissensio in tota Gallia. Ludovicus XIV mandata episcoporum decreto Consilii Status suppressit, die 20 julii anni 1665, atque fortiter institit apud Alexandrum VII ut, tribunali instituto, illos canonicè judicandos procuraret, quod quidem Alexander paratus erat concedere quando morte fuit sublatus. Successor ejus, Clemens IX, propositiones pacis libenter audiit: tunc de negotio amice componendo actum est, et anno 1669 Clemens benevolentiam suam quatuor episcopis ea conditione reddidit ut novam præstarent subscriptionem, qua *sine ulla restrictione quinque Propositiones in sensu Jansenii damnarentur*. Hæc reconciliatio dicta est *Pax Clementina*.

Novatores illam in patrocinium distinctionis juris et facti invocaverunt, dicentes quatuor episcopos cum restrictione circa factum subscripsisse, idque in actis verbalibus synodorum suorum consignasse. Hinc novus animorum æstus et in Gallia et in Belgio. Episcopi Belgæ aliquid addidere Formulario, ut omne effugium tutius præcluderetur distinctionis juris et facti defensoribus: Innocentius XII jussit, brevi diei 6 februarii anni 1694, ut nihil Formulatio adderetur: unde Janseniani hujus regionis imo et Galliæ conclamarunt distinctionem juris et facti etiam a pontifice Romano tolerari. Pontifex, volens satisfacere episcopis hac de re conquerentibus, aliud dedit breve die 20 nov. 1696, quo declaravit se, præcedenti brevi, Constitutionibus prædecessorum suorum minime derogasse, sed eas e contra confirmasse.

In posteriori loquebatur de *creditis Jansenianis*: hinc novus rumor, quasi confessus esset hæresim Jansenianam merum esse figmentum. Plurima successive publicata sunt opera in gratiam hujus causæ, et anno 1702 prodiiit famosus Casus conscientiæ, seu libellus cui titulus: *Cas de conscience*, in quo quadraginta doctores, apposito nomine, respondent absolutionem sacramentalem negari non posse clerico dicenti se condemnare quinque Propositiones quoad jus, sed quantum ad factum seu attributionem illarum libro Jansenii, existimare silentium religiosum sufficere.

Hæc decisio condemnata fuit a cardinali *de Noailles*, archiepiscopo Parisiensi, a Facultate theologica ejusdem civitatis et a Clemente XI, brevi diei 12 februarii anni 1703. Doctores alii post alios subscriptionem suam revocaverunt, excepto *Petitpied*, qui e Facultate expulsus est. Nihilominus defensores silentii religiosi acriter disputaverunt, et innumera in lucem ediderunt opera, quibus sententiam suam tueri conabantur.

Clemens XI, rogante rege Christianissimo, novam dedit Constitutionem *Vineam Domini sabaoth*, die 16 julii 1705, qua cuncta novatorum effugia præcludere nitentur

et silentium religiosum condemnabat, jubens ut Formulatio subscriberetur sine ulla distinctione, etiam pure interna.

Tunc novatores in ipsam Constitutionem debacchati sunt, et multa evomuerunt scripta quibus satagebant probare illam Pelagianismum redolere, fundamenta virtutum christianarum evertere, etc. Attamen episcopi Gallicani eam solemniter acceptarunt, cæteris ubique ipsis suffragantibus; sicque res ab Ecclesia consummata est, et hæresis fautores paulatim evanuerunt, quamvis multi perseveraverint usque ad tempora nostra, schisma anni 1791 in Gallia prodixerint, aut alimenta ei præstiterint.

Summa doctrinæ Jansenii.

Præcipui errores Jansenii in quinque famosis Propositionibus supra citatis continentur, et ex uno principio, a schola Baii hausto, sponte fluunt. Principium istud hoc est, voluntatem humanam per peccatum Adami vitiatam sub duplici esse delectatione, una terrena quæ ad malum, et altera celesti quæ ad bonum sollicitat.

Duplex illa delectatio potest esse 1^o indeliberata vel deliberata: prior advertentiam rationis et consensum voluntatis antecedit; posterior vero consensum voluntatis includit vel sequitur; 2^o victrix, quæ effectum obtinet, et victa, quæ effectum ad quem destinata est non consequitur.

Cum ambæ delectationes sint oppositæ, mens utriusque simul obtemperare non potest, sed fortiori necessario cedit, juxta hæc S. Augustini verba: *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est*. Si autem parva delectatio crescens, oppositam gradibus superet, voluntatis determinatio eo ipso mutatur. Unde voluntas sub duplici hac delectatione est velut statera quæ elevatur vel deprimitur, pro imminutis vel auctis ponderum viribus.

Contendit tamen Jansenius eam esse liberam, quia

necessitas ex majori delectatione proveniens non est absoluta, sed relativa ad præsentis circumstantias, et variabilis, prout variantur circumstantiæ: sic, dominante delectatione terrena, homo bonum agere non potest, sed posset in aliis circumstantiis, et hoc sufficit, inquit Jansenius.

Ex fundamentali hoc principio quinque supradictæ Propositiones evidenter sequuntur, nempe 1^o *Aliqua Dei præcepta hominibus justis sunt impossibilia*; nam justi quandoque, non obstantibus nonnullis voluntatis conatibus, præcepta Dei transgrediuntur: atqui tunc dicendum est, juxta Jansenium, delectationem terrenam in eis dominari: ergo, secundum præsentis quas habent vires, hæc præcepta ipsis sunt impossibilia, et deest gratia qua possibilia fiunt.

2^o *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur*; resistere enim gratiæ est illam privare effectu ad quem destinatur: atqui, præfato admissio principio, gratia nunquam privatur effectu ad quem destinatur; vel enim est superior cupiditate, et vinci non potest; vel inferior, et nihilominus effectum suum consequitur, id est, cupiditatem non vincit, quia ad eam vincendam non fuerat concessa: ergo, etc.

3^o Hinc sequitur, *ad merendum aut demerendum non requiri libertatem a necessitate, solam vero sufficere libertatem a coactione*; nam, juxta Jansenii principium, non nisi ex invincibili delectatione, sive gratiæ, sive concupiscentiæ, homo bonum aut malum agit, et tamen meretur aut demeretur. Ergo

4^o Cum Jansenius asserat de fide esse gratiam interiori necessitatem imponere et ei nunquam resisti, sequitur Semipelagianos, necessitatem gratiæ prævenientis admittentes, in hoc fuisse hæreticos, quod dicerent ei resisti posse. Unde in hac propositione duplex est error facti, scilicet 1^o Semipelagianos necessitatem gratiæ interioris et prævenientis ad singulos actus, etiam ad initium fidei, admisisse; et 2^o in hoc fuisse hæreticos, quod arbitrentur tali gratiæ resisti posse.

5^o Supposito quod gratiæ nunquam resistatur, sequitur eos qui non salvantur gratias salutis non habere, alioquin salutem necessario consequerentur: ergo Christus pro ipsis non mortuus est: unde, per secundam conclusionem, sequitur illum pro solis electis mortuum esse, quo in sensu propositio est impia, *blasphema, contumeliosa, divinæ pietati derogans et hæretica*. Ergo quinque Propositiones ex prædicto principio naturaliter fluunt.

ARTICULUS SEXTUS.

DE QUESNELLO.

Paschasius *Quesnel*, natus Parisiis anno 1634, presbyter Oratorii, adhuc junior, institutionis Parisiensis primus director creatus est: inter alia opera pietatem redolentia, composuit librum cui titulus: *Réflexions morales sur le Nouveau Testament*, in parvo volumine in-12, quod breves tantum continebat annotationes in verba Salvatoris. Plures viri, doctrina, dignitate et pietate conspicui, huic operi benigne annuentes, suaserunt auctori ut quatuor Evangelia similiter explicaret; precibus eorum acquiescens, librum suum actum de novo typis mandavit cum approbatione D. *Vialard*, episcopi Catalaunensis, qui tamen plures in eo fieri correctiones prius exegerat. Anno 1681, e Parisiis expulsus jussu D. *de Harlay*, archiepiscopi Parisiensis, tanquam jansenismi suspectus, secessit Aureliam, in domum Oratorii, ibique opus suum in cæteros Novi Testamenti libros completere tentavit. Anno 1681, cætus generalis Oratorii, philosophiæ Cartesii adversus, Formularium composuit, quo Jansenii doctrinam et quædam novæ philosophiæ principia propugnare et docere interdicebat; Formularium illud jussit ab omnibus membris congregationis subscribi: P. *Quesnel* hanc subscriptionem recusavit, et congregationem deserens, adiit Antonium *Arnauld* Bruxelliam. Ibi opus suum in Novum Testamentum perfecit atque in lucem edidit anno 1694. D. *de Noailles*, successor D. *Via-*

lard in sede Catalaunensi, illud publico mandato approbavit et fidelibus sibi commissis commendavit. Eodem anno factus archiepiscopus Parisiensis et Cardinalis condemnavit opus inscriptum : *Exposition de la foi de l'Église, touchant la Grâce et la Prédestination*, ut errores Jansenii renovans. Anno 1698 prodiit opus dictum : *Problème ecclésiastique*, in quo ostendebatur doctrinam operis ab episcopo Catalaunensi approbati eandem esse ac doctrinam operis ab archiepiscopo Parisiensi condemnati. Hinc magnus animorum conflictus, quo turbata est pax Clementina : ipsimet episcopi divisi sunt circa opus *Quesnel*, aliis illud damnantibus et aliis approbantibus. Clemens XI, qui anno 1708 idem opus jam damnaverat, precibus regis acquiescens et litem terminare volens, celebrem edidit Constitutionem *Unigenitus*, die 8 septembris 1713, qua centum et unam propositiones e libro *Quesnel* excerptas, cum respectivis censuris damnavit, prohibuitque sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ librum legere vel retinere. Cardinalis *de Noailles*, cum octo aliis episcopis, hanc Constitutionem acceptare noluit. Quatuor episcopi, scilicet *de la Broue* Mirapicinus, *Soanen* Sanitiensis, *Colbert* Montispezzulanus, et *de Langle* Bononiensis, per actum coram notario exaratum, a Constitutione ad futurum concilium generale, anno 1717, appellarunt : eorum exemplo moti, plurimi simplices presbyteri pariter appellarunt, atque novum creatum est scandalum. Tandem Cardinalis *de Noailles*, post multas disceptationes, Constitutioni subscripsit anno 1718. Existit historia famosa hujus Constitutionis, auctore *Godau*, episcopo Vinciensi, 2 vol. in-12.

Præcipua errorum *Quesnel* capita sunt : 1^o gratiæ interiori nunquam resisti ; 2^o non dari gratiam sufficientem, sed omnem gratiam esse efficacem ; 3^o aliqua Dei mandata multis, etiam justis, esse impossibilia ; 4^o omnia opera infidelium et peccatorum esse peccata ; 5^o gratiam et justitiam primo homini fuisse debitam ; 6^o non esse in Deo sinceram voluntatem omnes homines salvos fieri ; 7^o Christum non mortuum esse pro omnibus ho-

minibus ; 8^o opera sine charitate facta esse mala : unde, amissa charitate, simul amittantur fides, spes, omnes virtutes, etc. Igitur errores Jansenii renovat et novos eis adjicit.

Notandum est Clementem XI prohibuisse, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, legere aut servare librum *Quesnel*, aliosve libros existentes aut existituros, doctrinam ejus defendentes. Bulla *Unigenitus* omnem vim habet et auctoritatem cui omnes catholici parere tenentur.

PARS DOGMATICA.

DE DOCTRINA ECCLESIE CIRCA GRATIAM.

In hac parte exponenda est fides catholica circa gratiam et vindicanda de erroribus supra relatis. Dicemus 1^o de variis humanæ naturæ statibus relative ad gratiam ; 2^o de natura gratiæ ; 3^o de ejus necessitate ; 4^o de variis ejus speciebus ; 5^o de ejus effectibus, et 6^o de prædestinatione et reprobatione : hanc igitur partem in sex capita divide mus.

CAPUT PRIMUM.

DE VARIIS NATURE HUMANÆ STATIBUS RELATIVE AD GRATIAM.

Nomine *status* intelligitur conditio hominis in ordine ad finem ultimum. Duplex distinguitur in genere, *status termini* et *status viae*.

Status termini est conditio mortuorum, et triplex est,

lard in sede Catalaunensi, illud publico mandato approbavit et fidelibus sibi commissis commendavit. Eodem anno factus archiepiscopus Parisiensis et Cardinalis condemnavit opus inscriptum : *Exposition de la foi de l'Église, touchant la Grâce et la Prédestination*, ut errores Jansenii renovans. Anno 1698 prodiit opus dictum : *Problème ecclésiastique*, in quo ostendebatur doctrinam operis ab episcopo Catalaunensi approbati eandem esse ac doctrinam operis ab archiepiscopo Parisiensi condemnati. Hinc magnus animorum conflictus, quo turbata est pax Clementina : ipsimet episcopi divisi sunt circa opus *Quesnel*, aliis illud damnantibus et aliis approbantibus. Clemens XI, qui anno 1708 idem opus jam damnaverat, precibus regis acquiescens et litem terminare volens, celebrem edidit Constitutionem *Unigenitus*, die 8 septembris 1713, qua centum et unam propositiones e libro *Quesnel* excerptas, cum respectivis censuris damnavit, prohibuitque sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ librum legere vel retinere. Cardinalis *de Noailles*, cum octo aliis episcopis, hanc Constitutionem acceptare noluit. Quatuor episcopi, scilicet *de la Broue* Mirapicinus, *Soanen* Sanitiensis, *Colbert* Montispezzulanus, et *de Langle* Bononiensis, per actum coram notario exaratum, a Constitutione ad futurum concilium generale, anno 1717, appellarunt : eorum exemplo moti, plurimi simplices presbyteri pariter appellarunt, atque novum creatum est scandalum. Tandem Cardinalis *de Noailles*, post multas disceptationes, Constitutioni subscripsit anno 1718. Existit historia famosa hujus Constitutionis, auctore *Godau*, episcopo Vinciensi, 2 vol. in-12.

Præcipua errorum *Quesnel* capita sunt : 1^o gratiæ interiori nunquam resisti ; 2^o non dari gratiam sufficientem, sed omnem gratiam esse efficacem ; 3^o aliqua Dei mandata multis, etiam justis, esse impossibilia ; 4^o omnia opera infidelium et peccatorum esse peccata ; 5^o gratiam et justitiam primo homini fuisse debitam ; 6^o non esse in Deo sinceram voluntatem omnes homines salvos fieri ; 7^o Christum non mortuum esse pro omnibus ho-

minibus ; 8^o opera sine charitate facta esse mala : unde, amissa charitate, simul amittantur fides, spes, omnes virtutes, etc. Igitur errores Jansenii renovat et novos eis adjicit.

Notandum est Clementem XI prohibuisse, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, legere aut servare librum *Quesnel*, aliosve libros existentes aut existituros, doctrinam ejus defendentes. Bulla *Unigenitus* omnem vim habet et auctoritatem cui omnes catholici parere tenentur.

PARS DOGMATICA.

DE DOCTRINA ECCLESIE CIRCA GRATIAM.

In hac parte exponenda est fides catholica circa gratiam et vindicanda de erroribus supra relatis. Dicemus 1^o de variis humanæ naturæ statibus relative ad gratiam ; 2^o de natura gratiæ ; 3^o de ejus necessitate ; 4^o de variis ejus speciebus ; 5^o de ejus effectibus, et 6^o de prædestinatione et reprobatione : hanc igitur partem in sex capita divide mus.

CAPUT PRIMUM.

DE VARIIS NATURE HUMANÆ STATIBUS RELATIVE AD GRATIAM.

Nomine *status* intelligitur conditio hominis in ordine ad finem ultimum. Duplex distinguitur in genere, *status termini* et *status viae*.

Status termini est conditio mortuorum, et triplex est,

scilicet, beatorum in cœlis, reproborum in inferis, et justorum in purgatorio. De his dicendi hic non est locus.

Status viæ sextuplex distingui potest, videlicet 1^o naturæ puræ, 2^o naturæ integræ, 3^o justitiæ originalis, 4^o naturæ lapsæ, 5^o naturæ lapsæ non reparatæ, et 6^o naturæ lapsæ reparatæ.

Status naturæ puræ esset conditio hominis creati sine ullo dono supernaturali, nec etiam naturali indebito, ad finem naturalem destinati, concupiscentiæ, miseriis hujus vitæ et morti subjecti.

Status naturæ integræ eadem esset conditio hominis ob finem naturalem creati, sed dono naturali indebito muniti, quo inordinatos concupiscentiæ motus facile refrenare potuisset.

Status justitiæ originalis seu innocentæ ille est in quo protoparentes nostri fuerunt constituti, ad visionem Dei intuitivam destinati, gratia sanctificante ornati, concupiscentiæ, miseriis hujus vitæ et morti minime subjecti.

Status naturæ lapsæ ille est in quo erant primi parentes post lapsum et in quo sunt eorum posterii gratia non regenerati, id est, peccato inquinati et omni jure ad regnum cœlorum destituti.

Status naturæ lapsæ non reparatæ idem esset status cui Deus nullum præstitisset remedium.

Status naturæ lapsæ reparatæ idem etiam est status hominis, cui tamen Deus, ex misericordia, dedit Salvatorem.

De gratia relative ad hominem in hoc ultimo statu consideratum præcipue agimus in præsentis Tractatu.

Status naturæ puræ, naturæ integræ et naturæ lapsæ non reparatæ nunquam exstiterunt. Igitur de illis tantum ut possibilibus agere possumus. Nullum est dubium quin status naturæ lapsæ non reparatæ fuerit possibilis, cum apud omnes constet Deum ex misericordia omnino gratuita nobis dedisse Salvatorem. At non ita omnes concedunt statum naturæ puræ, ad quem status naturæ integræ refertur, fuisse possibilem. Aliquid ergo dicemus 1^o de statu naturæ puræ, et 2^o de statu justitiæ originalis.

ARTICULUS PRIMUS.

DE STATU NATURÆ PURÆ.

Pelagiani olim docuerunt hominem esse in statu naturæ puræ, nullamque subisse depravationem; idem tenent Sociniani et hodierni philosophi nostri. Verum ex dicendis patebit de fide esse genus humanum a primævo statu per peccatum excidisse, gratia indigere, nec igitur in statu naturæ puræ versari.

Contra verò Lutherus, Calvinus, Baius, Jansenius eorumque sequaces contendunt, ut supra notavimus, statum naturæ puræ impossibilem esse; contra quos sit sequens propositio, quæ non est de fide catholica, sed apud catholicos velut certa communissime habetur.

PROPOSITIO.

Status naturæ puræ est possibilis.

Prob. Illud pro certo tenendum est quod nititur 1^o decretis summorum Pontificum, 2^o auctoritate S. Aug., 3^o argumento theologico, et 4^o consensu fere omnium theologorum: atqui his momentis nititur status naturæ puræ possibilitas.

1^o *Decretis summorum Pontificum.* Pius V et Gregorius XIII, Constitutionibus ab Urbano VIII confirmatis, sequentem damnaverunt Bani propositionem, n. 56: « Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur: » contradictoria igitur est vera; ergo Deus potuit ab initio talem creare hominem qualis nunc nascitur. Sensus tamen non est Deum potuisse illum creare peccato originali inquinatum, ut omnes faterentur, nec probabiliter cum tantis inordinationibus in ipsius natura existentibus et peccati originalis consecrari ac pœnis, sed in eadem conditione, in eodem statu substantialiter: porro nascitur omni dono supernaturali

orbatus, concupiscentiæ, miseriis hujus vitæ et morti subjectus : ergo, etc. Ergo 1^o.

II^o *Auctoritate S. Aug.* quem adversarii confidenter invocant. Lib. 3 de Libero Arb., c. 20, sic habet, varios describens modos quibus animæ ad corpus accedere possunt : « Si ergo altera talis esse cœpit, non solum ante » peccatum, sed ante omnem vitam suam, qualis alia » post vitam suam culpabilem facta est, non parvum » bonum habet, unde conditori suo gratias agat. » Ergo supponit animas a peccato immunes eisdem miseriis subijci posse quibus subijciuntur animæ peccato inquinatæ, ut ex contextu clarius patet. Ergo 2^o.

III^o *Argumento theologico.* Ut status naturæ puræ sit possibilis, sufficit quod homo creari potuerit sine ordinatione ad finem supernaturalem, concupiscentiæ, miseriis vitæ et morti obnoxius : atqui hæc quatuor constant.

1^o Homo creari potuit *sine ordinatione ad finem supernaturalem*; sola enim gratia ad hunc finem fuit destinatus et justitia originali donatus, ut patet damnatione propositionum Baii et præsertim sequentis, n. 29 : « In- » tegeritas creationis non fuit indebita humanæ naturæ » exaltatio, sed naturalis ejus conditio. » Si autem sola gratia homo destinatus fuerit ad finem supernaturalem, hæc destinatio ipsi non est naturalis : ergo 1^o creari potuisset sine ordinatione, etc.

2^o *Concupiscentiæ obnoxius.* Patet 1^o ex damnatione prædictarum propositionum; 2^o ex S. Aug. dicente in lib. 4 contra Julianum, cap. 16 : « Gratia quippe Dei » magna ibi erat, ubi terrenum et animale corpus bestialem libidinem non habebat; » 3^o ratione; concupiscentia enim naturalis est appendix unionis mentis cum corpore. Ergo.

3^o *Obnoxius miseriis vitæ.* Nam, vi unionis mentis cum corpore subijcitur impressionibus quæ ex actione objectorum externorum in sensus nostros naturaliter nascuntur. Hinc injucundæ sensationes, morbi, infirmitates aliæque miseriæ : atqui, posita creatione hominis sine ordinatione ad finem supernaturalem, hæc ipsius conditio-

nis naturales forent appendices : unde S. Pius V censura percussit propositiones 72 et 73 Baii, asserentis pœnas infligi non posse nisi peccatoribus : ergo 3^o.

4^o *Morti obnoxius.* Probat 1^o censura propositionis 78 Baii sic se habentis : « Immortalitas primi hominis » non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio; » 2^o auctoritate S. Aug. qui, in lib. 6 de Genesi ad litteram, cap. 25, sic se habet : « Primus creatus est homo immortalis, quod ei præstatur de ligno vitæ, non de constitutione naturæ. Mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio Creatoris; » 3^o ratione; corpus enim organicum aliorum corporum motibus, ictibus aliisque pressionibus expositum, naturaliter debilitatur, infirmatur et tandem moritur, ut exemplo totius naturæ corporeæ constat : ergo 4^o, etc.; aliunde, etc. Ergo.

IV^o *Consensu theologorum.* Si enim paucissimi excipiantur, omnes possibilitatem naturæ puræ agnoscunt : atqui temerarium foret a consensu tam universali doctorum catholicorum recedere : ergo.

Nota. Illa tamen propositio non est de fide catholica, quamvis contradictoria ejus inter propositiones Baii a summis Pontificibus damnatas reperiatur; quia affirmari non potest eam nota hæreseos fuisse qualificatam, siquidem omnes damnantur in globo tanquam respective hæreticæ, erroneæ, suspectæ, temerariæ, scandalosæ, etc.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1^o. Pelagiani docebant infantes absque peccato nasci, et tamen eos ante baptismum decedentes a regno cœlorum excluderent. S. Aug. variis in locis, et præsertim in lib. contra Julianum, contendit injustum esse eos a regno cœlorum excludere : ergo arbitratur destinationem ad hunc finem supernaturalem naturæ nostræ essentiali esse.

R. Nego conseq. Nam in præfatis locis S. Aug. non loquitur de statu possibili, sed de statu præsentis in quo,

fatentibus Pelagianis, ad regnum cœlorum destinati sumus : porro si ad regnum cœlorum destinati sumus, injustum est ab illo excludi re infantes a peccato immunes. Hic S. Doctor utitur argumento ad hominem, cui Pelagiani respondere non poterant. Nihil ergo adversum nos inde sequitur.

Eodem modo resolvendi sunt S. Thomas qui dicit naturale inesse homini desiderium videndi Creatorem, et philosophi christiani qui, ex desiderio naturali in nobis existente immarcescibilem consequendi felicitatem, concludunt nos ad visionem Dei intuitivam destinatos esse; in statu enim nostro præsentis argumentantur, non vero in statu naturæ puræ, in quo fides non existeret, nec desiderium talem obtinendi felicitatem.

Inst. 1^o. Philosophi Platonici, teste S. Aug., de Civitate Dei, l. 8, c. 8, docebant ultimum finem hominis in visione Dei intuitiva consistere : ergo hæc visio homini est naturalis.

R. Nego conseq. Platonici loquebantur de homine in præsentis statu spectato : porro homo in præsentis statu spectatus, ad visionem Dei destinatur, ut fides docet. Platonici autem id scire vel conjicere poterant, tum ex fragmentis primævæ revelationis per traditionem transmissæ, tum ex aliqua librorum sacrorum notitia, ut ipse dicit S. Aug., ibid., cap. 11; tum ex desiderio homini nunc insito, quod in statu naturæ puræ non ita existeret. Ergo.

Inst. 2^o. Homo natura sua summam appetit beatitudinem : atqui summam beatitudinem in sola Dei fruitione, seu in visione intuitiva, invenire potest : ergo sua natura ad visionem Dei intuitivam destinatur.

R. Dist. min. Homo summam beatitudinem in sola Dei fruitione invenire potest, in præsentis statu, *conc.*; in statu naturæ puræ, *nego min.* Desideraret quidem beatitudinem, sed naturalem et statui suo proportionatam; non vero supernaturalem, cujus nullam haberet ideam. Porro beatitudo naturalis absque visione Dei intuitiva existere potest : ergo.

Inst. 3^o. Homo creari non potest nisi propter Deum, ergo in sola fruitione Dei beatus esse potest.

R. Dist. conseq. In sola Dei fruitione beatus esse potest in præsentis statu, *conc.*; in statu naturæ puræ, *nego conseq.* Tunc enim appeteret beatitudinem facultatibus suis proportionatam, non vero supernaturalem. Ergo.

Inst. 4^o. Homo Deo frui non potest, nisi eum amando : atqui omnis amor Dei est supernaturalis : ergo.

R. Nego min. Supposito enim, cum Baio et Jansenio, hominem creari non posse sine amore Dei, nihil omnino vetat ne amor ille sit naturalis, si videlicet homo ad finem pure naturalem ordinetur : ergo, etc. Semper igitur fit petitio principii.

Inst. 5^o. Vera felicitas etiam naturalis excludit miseriam hujus vitæ : ergo homo in statu naturæ puræ, miseriam hujus vitæ subjectus, nulla vera felicitate, ne quidem naturali, frui posset.

R. 1^o Forte homo in statu naturæ puræ, a peccato immunis, miseriam in eodem gradu non expertus esset : ita plurimi sentiunt theologi. *2^o* In eo statu forte exstisset via probationis, sicut in præsentis vita, et terminus requietionis naturalis, licet ignoremus in quo constitisset. *3^o* Deus miseriarum existentiam permittendo, sufficientia contulisset bona ut vita fuisset status desiderabilis. Ergo.

Obj. 2^o. Concupiscentia vocatur ab Apostolo, Rom. vii, peccatum : atqui repugnat hominem creari cum peccato : ergo creari non posset cum concupiscentia.

R. Dist. maj. Apostolus vocat concupiscentiam peccatum, id est, effectum peccati in præsentis vita, *conc.*; absolute et prout esset in statu naturæ puræ, *nego maj.* Apostolus enim considerat hominem ut peccato Adami a primævo statu dejectum, concupiscentiæ obnoxium illaque variis modis ad malum pertractum aut sollicitatum : nihil autem dicit de concupiscentia prout in statu naturæ fuisset : ergo ex illius doctrina, ex verbis S. Aug, aliorumve Patrum contra concupiscentiam loquentium, nihil adversus propositionem nostram concludi potest,

cum hic de statu præsentis loquantur, non vero de statu mere possibili.

Cæterum, probabilius est concupiscentiam in statu naturæ puræ, secluso peccato, cum tanta inordinatione non existitur: unde argumentum theologorum, lapsum hominis ex inspectione ipsius conditionis actualis concludentium non ruit; merito quippe ostendunt tot specimina celsitudinis cum tantis signis abjectionis conciliari non posse, et ens rationale sic constitutum non concipi tanquam opus Dei summe sapientis integrum.

ARTICULUS PRIMUS.

DE STATU JUSTITIE ORIGINALIS.

Pelagiani contendebant primum hominem creatum fuisse sine gratia, ignorantie, concupiscentie aliisque miseriis hujus vite obnoxium: idem dicunt Sociniani, hodierni Protestantes et philosophi nostri, quamlibet corruptionem naturæ humanæ negantes.

Certum est, ex modo dictis, Adamum creari potuisse in statu naturæ: quærendum est igitur 1º an creatus fuerit in statu justitiæ, 2º an in illo statu perseverare potuisset, et 3º an et quando ab illo exciderit. His quæsitis per sequentes satisfacemus propositiones.

PROPOSITIO PRIMA.

Adamus in statu justitiæ et sanctitatis fuit creatus, vel eum post creationem evectus; id est, ante suum peccatum certo erat justitia et sanctitate originali præditus.

Hæc propositio est de fide, quia ut talis ab universa docetur Ecclesia, et sic definita est a conc. Trid., sess. 5, decreto de Peccato originali, n. 1: « Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem

» et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse....
» anathema sit. »

Prob. 1º Scriptura sacra. Gen. i, 26: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Imago et similitudo Dei in homine præcipue consistit, juxta SS. PP., in justitia et sanctitate. Eceles. vii, 30: Solum hoc invenit quod fecerit Deus hominem rectum; id est ex interpretibus, justum ac sanctum. Eph. iv, 23 et 24: Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis. Colos. iii, 10: Et induentes novum, cum qui renovatur in agnitionem secundum imaginem ejus qui creavit illum. Voces renovamini et renovatur supponunt primam existisse sanctitatem. Ergo 1º, etc.

Prob. 2º auctoritate S. Aug. textum B. Pauli ad Ephes. interpretantis, de Gen. ad litt., l. 6, cap. 26: Induite novum hominem, etc., et addentis: « Ecce quod perdidit » Adam per peccatum. » Ergo 2º, etc.

Prob. 3º concil. Araus. II, c. 19, quod sic se habet: « Unde cum sine gratia salutem non possit (humana natura) custodire quam accepit, quomodo sine Dei gratia » poterit reparare quod perdidit? » Ergo 3º, etc.

Ad præcavendas difficultates ex nonnullis Patrum textibus depromptas, advertendum est nos non dicere præcise Adam creatum esse in justitia et sanctitate, sed creatum vel paulo post ad hunc statum evectum fuisse, ut plures volunt doctores licet improbabiler.

PROPOSITIO SECUNDA.

Adamus eximius præditus est donis in anima et in corpore.

Concilium enim Trid., sess. 5, n. 1, anathemate percutit eos qui non confiterentur « primum hominem » Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam in qua constitutus fuerat amisisse... totumque, per prævaricationis

» offensam, secundum corpus et animam in deterius
» commutatum fuisse. »

Prob. primum hominem donatum fuisse scientia in intellectu, ordinatione perfecta in voluntate, immortalitate in corpore et exemptione ab omnibus miseriis.

1° *Scientia in intellectu.* Patet ex his Ecclesiastici verbis, xvii, 5 : *Disciplina intellectus replevit illos. Creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum, et mala et bona ostendit illis.* Ergo 1°.

2° *Ordinatione perfecta in voluntate.* Concil. Trid., sess. 5, decreto de Peccato originali, n. 5, sub fine, expresse dicit concupiscentiam, quæ gravem generat inordinationem in voluntate, ex peccato venisse et ad peccatum inclinare. Hæc igitur inordinatio non existebat ante peccatum.

S. Aug., lib. 2 de peccat. Merit. et Remiss., cap. 22, ait, de primis parentibus nostris loquens : « Placebant Deo et placebat illis Deus ; et quamvis corpus animale gestarent, nihil inobediens in illo adversum se sentiebant. »

Talis est sensus omnium theologorum et fides totius Ecclesiæ. Ergo 2°.

3° *Immortalitate in corpore.* Legimus enim in Genesi, ii, 16 : *Ex omni ligno Paradisi comede : de ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas. In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Si ergo non comedisset, immortalis fuisset. In Sap. ii, 23, legitur : *Deus creavit hominem inexterminabilem.* Unde B. Paulus, ad Rom. v, 12 : *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit.* Ergo 3°.

4° *Exemptione ab omnibus miseriis.* Tulit quippe Dominus Deus hominem et posuit eum in paradiso voluptatis, Gen. ii, 15. S. Aug., de Civitate Dei, lib. 14, cap. 26, de Adamo dicit : « Vivebat sine ulla egestate, ita semper vivere habens in potestate. »

Miseriæ hujus vitæ sunt appendices mortis : qui ergo immortalitate donatus erat, eo ipso ab omni miseria exi-

mebatur. Hinc traditiones apud antiquos populos sparsæ de quadam aurea ætate quæ olim exstitisset. Ergo 4°.

Dices 1° : Primi parentes, ex Genesi, cibo indigebant. Ergo nec immortales, nec a miseriis exempti erant.

R. Nego conseq. Non repugnat enim Deum omnipotentem effecisse ut primi parentes cibo indigerent, et tamen nec ullum sentirent dolorem, nec morti obnoxii essent : non de illis ratiocinandum est sicut de nobis in præsentī statu constitutis.

Dices 2° : Incredibile est Adamum, justum, sanctum, scientia et recta ordinatione voluntatis præditum, a miseriis exemptum ac beatum, hæc omnia per peccatum amittere consensisse. Ergo.

R. Nego ant. Lapsus primi hominis tam eximiis ornati donis est quidem stupendus et ad incutiendum timorem idoneus, non vero incredibilis, quia 1° ille homo erat liber ; sua igitur libertate abuti potuit sicut angeli in celo ; 2° lapsus iste, quantumvis inexplicabilis, est factum in sacra Scriptura relatam, in traditionibus populorum impressum, totius religionis christianæ fundamentum, et ad rectam humanæ naturæ, in statu suo præsentī, intelligentiam omnino necessarium. Ergo nullatenus in dubium revocari potest.

PROPOSITIO TERTIA.

Primus homo perseverare potuisset in statu justitiæ.

Prob. Hæc propositio ex verbis Geneseos et B. Pauli superius citatis sequitur, et ubique docetur. Ergo :

Attamen primus homo bene agere et perseverare non poterat sine gratia ; nam bonum opus et perseverantia, in statu justitiæ, fuissent ordinis supernaturalis : ergo vires naturæ superassent. Hoc expresse docet S. Aug., l. De Corrept. et Gratia, cap. 11, n. 32, dicens de Adamo et ejus justitiæ : « Deus dederat adjutorium sine quo in ea non posset permanere... Non deerat adjutorium per

» quod posset, et sine quo non posset perseveranter bonum tenere. » Idem habet in multis aliis locis.

Hoc etiam definiit Concil. Araus. II, can. 19 : « Unde cum sine Dei gratia natura humana salutem non possit custodire quam accepit, quomodo sine Dei gratia poterit reparare quod perdidit? »

Qualis autem gratia fuisset necessaria, non sibi consentiunt theologi : communius tamen docent necessariam fuisse quandam gratiam actualem sive intellectus, sive voluntatis, et forte utriusque. Eam gratiam vocant, cum S. Aug., lib. de Correptione et Gratia, cap. 12, *Adjutorium sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset.*

Aliud est adjutorium quo fit aliquid, v. g., quo prædestinati nunc perseverant in bono, et efficaciter, absque tamen necessitate, determinantur ad perseverandum.

Scinduntur doctores circa sensum quo intelligi debeant adjutorium *sine quo* et adjutorium *quo*. Ab hujusmodi controversia, juxta morem, abstinemus. Nobis tamen videtur Adamum indiguisse eadem gratia, saltem quoad speciem, qua nosmetipsi indigemus, et in mente S. Augustini, qui his verbis usus est, adjutorium *sine quo* ad gratiam sufficientem reduci, et adjutorium *quo* ad gratiam efficacem, de quibus infra dicemus. Discrimen itaque inter gratiam status justitiæ et gratiam status naturæ lapsæ non in eo consistit, ut vult Calvinus, quod Adam gratiæ assentiri vel resistere potuerit pro libitu, dum gratiæ in præsentis statu nobis concessa resistere non valeamus; nec in eo quod omnis gratia sanitatis sit adjutorium *sine quo*, et omnis gratia medicinalis sit adjutorium *quo*, juxta beneplacitum Jansenii, sub eo nomine fingentis gratiam relative victricem.

Circa hanc difficilem quæstionem non sibi consentiunt doctores catholici, sed in varias abeunt sententias, quas, ut pote inutiles, ne exponere quidem volumus.

PROPOSITIO QUARTA.

Primus homo in justitia originali non perseveravit.

Hæc propositio est de fide, et fuse probatur in Tractatu *de Peccatis* : certum est igitur primum hominem a primævo statu excidisse, et totum genus humanum in eandem ruinam proruissse. Deus procul dubio nos in infelici statu naturæ lapsæ relinquere potuisset, siquidem homo pro peccato satisfacere non poterat, ut in Tractatu *de Incarnatione* ostenditur, nec ipse tenebatur Filium suum ad salvandos homines mittere. Unde ipse Christus suam exhibet missionem ut insigne misericordiæ Patris beneficium : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*, Joan. III, 16.

Ergo pariter de fide est nos in statu naturæ reparatæ versari : de gratia igitur relative ad hunc statum tractare nunc restat.

Hinc, ex catholicorum doctrina circa hominis creationem in statu justitiæ, ejusque lapsum et maculæ peccati originalis transmissionem, apprime sequitur gratiæ supernaturalis necessitas, de qua acturi sumus, cum explicaverimus quid per ipsius naturam intelligendum sit.

De his omnibus, et de difficultatibus a recentioribus philosophis et exegetis præsertim in Germania allatis, utiliter legetur P. Perrone, de Deo creatore, part. III, de Homine.

CAPUT SECUNDUM.

DE NATURA GRATIÆ.

Cum duplex in genere sit gratia, habitualis et actualis, specialiter quærere solent theologi quid sit natura utriusque.

» quod posset, et sine quo non posset perseveranter bonum tenere. » Idem habet in multis aliis locis.

Hoc etiam definiit Concil. Araus. II, can. 19 : « Unde » cum sine Dei gratia natura humana salutem non possit custodire quam accepit, quomodo sine Dei gratia poterit reparare quod perdidit? »

Qualis autem gratia fuisset necessaria, non sibi consentiunt theologi : communius tamen docent necessariam fuisse quandam gratiam actualem sive intellectus, sive voluntatis, et forte utriusque. Eam gratiam vocant, cum S. Aug., lib. de Correptione et Gratia, cap. 12, *Adjutorium sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset.*

Aliud est adjutorium quo fit aliquid, v. g., quo prædestinati nunc perseverant in bono, et efficaciter, absque tamen necessitate, determinantur ad perseverandum.

Scinduntur doctores circa sensum quo intelligi debeant adjutorium *sine quo* et adjutorium *quo*. Ab hujusmodi controversia, juxta morem, abstinemus. Nobis tamen videtur Adamum indiguisse eadem gratia, saltem quoad speciem, qua nosmetipsi indigemus, et in mente S. Augustini, qui his verbis usus est, adjutorium *sine quo* ad gratiam sufficientem reduci, et adjutorium *quo* ad gratiam efficacem, de quibus infra dicemus. Discrimen itaque inter gratiam status justitiæ et gratiam status naturæ lapsæ non in eo consistit, ut vult Calvinus, quod Adam gratiæ assentiri vel resistere potuerit pro libitu, dum gratiæ in præsentî statu nobis concessa resistere non valeamus; nec in eo quod omnis gratia sanitatis sit adjutorium *sine quo*, et omnis gratia medicinalis sit adjutorium *quo*, juxta beneplacitum Jansenii, sub eo nomine fingentis gratiam relative victricem.

Circa hanc difficilem quæstionem non sibi consentiunt doctores catholici, sed in varias abeunt sententias, quas, ut pote inutiles, ne exponere quidem volumus.

PROPOSITIO QUARTA.

Primus homo in justitia originali non perseveravit.

Hæc propositio est de fide, et fuse probatur in Tractatu *de Peccatis* : certum est igitur primum hominem a primævo statu excidisse, et totum genus humanum in eandem ruinam proruissse. Deus procul dubio nos in infelici statu naturæ lapsæ relinquere potuisset, siquidem homo pro peccato satisfacere non poterat, ut in Tractatu *de Incarnatione* ostenditur, nec ipse tenebatur Filium suum ad salvandos homines mittere. Unde ipse Christus suam exhibet missionem ut insigne misericordiæ Patris beneficium : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*, Joan. III, 16.

Ergo pariter de fide est nos in statu naturæ reparatæ versari : de gratia igitur relative ad hunc statum tractare nunc restat.

Hinc, ex catholicorum doctrina circa hominis creationem in statu justitiæ, ejusque lapsum et maculæ peccati originalis transmissionem, apprime sequitur gratiæ supernaturalis necessitas, de qua acturi sumus, cum explicaverimus quid per ipsius naturam intelligendum sit.

De his omnibus, et de difficultatibus a recentioribus philosophis et exegetis præsertim in Germania allatis, utiliter legetur P. Perrone, de Deo creatore, part. III, de Homine.

CAPUT SECUNDUM.

DE NATURA GRATIÆ.

Cum duplex in genere sit gratia, habitualis et actualis, specialiter quærere solent theologi quid sit natura utriusque.

ARTICULUS PRIMUS.

DE NATURA GRATIÆ HABITUALIS.

PROPOSITIO.

Gratia habitualis est quid creatum, permanens, animæ realiter inhærens.

Prob. Scriptura sacra et concilio Tridentino.

1^o *Scriptura sacra.* Rom. v, 3: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*; I Tim. iv, 14: *Noli negligere gratiam quæ est in te, quæ data est tibi*; I Joan. iii, 9: *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit; quoniam semen ipsius in eo manet.* Certe in his textibus agitur de gratiâ sanctificante seu habituali: atqui verba, *quæ est diffusa in cordibus nostris, quæ est in te, semen ipsius in eo manet*, evidenter designant aliquid creatum, animæ intrinsece et realiter inhærens: ergo.

2^o *Conc. Trid.*, sess. 6, can. 11: « Si quis dixerit homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illis inhæreat; aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei; anathema sit. » Ergo.

Non autem per hanc gratiam habitualem intelligenda est quasi substantia menti superaddita; sed ipsi conceditur vel in ea producitur per modum formæ accidentalis.

Nostra tamen propositio, licet certissima, non certo videtur esse de fide catholica, quia canon concilii dirigitur contra Protestantes, asserentes justificationem fieri per imputationem justitiæ Christi aut per solam remissionem peccatorum: error igitur eorum directe percutitur, et indirecte tantum dicitur charitatem cordibus inhærerere.

Queritur 1^o an gratia sanctificans sit habitus proprie dictus.

R. Communius docent theologi eam esse habitum proprie dictum in mentibus nostris infusum, nosque ad pia

opera facile exercenda disponentem; sed omnes fatentur non esse de fide.

Queritur 2^o an gratia sanctificans et charitas habitualis sint quid unum et idem.

Affirmat Estius cum multis aliis, quia passim in Scriptura et apud Patres eadem dicuntur de gratia sanctificante ac de charitate habituali. Negat vero S. Thomas, et multi cum illo, dicentes charitatem supponere gratiam sanctificantem, sicut virtus naturalis supponit hominem in esse naturali perfectum. S. Th. 1 2, q. 110, art. 3. Vide Habert, de Grat. hab. quæst. 6.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE NATURA GRATIÆ ACTUALIS.

Gratia actualis est auxilium transiens quo Deus nos excitat vel adjuvat ad bonum supernaturale cognoscendum, volendum aut agendum: non est igitur aliquid creatum animæ inhærens. Quid ergo?

1^o *Quesnel* dicit eam ab omnipotenti voluntate Dei non distingui: unde concludit gratiæ Dei nunquam resisti. 2^o *Arnauld*, t. vii, epist. 598 ad *Duancel*, contendit gratiam actualem ipsam esse actionem mentis deliberatam. 3^o Alii, e contra, volunt illam esse actionem indeliberatam in anima existentem, nec tamen ab ea productam. 4^o *Belarminus*, *Suarez* alique plures docent eam esse actionem indeliberatam ab anima physice productam. 5^o *Vasquez* tenet omnem gratiam excitantem in sola illustratione intellectus consistere. 6^o Tota Jansenianorum turba, palmari suo principio de duplici amore inhærens, prætendit omnem gratiam voluntatis divinam esse charitatem aut ejus inspirationem. Hos omnes per sequentes refellemus propositiones.

PROPOSITIO PRIMA.

Gratia actualis non est omnipotens Dei voluntas.

Prob. Scriptura sacra, auctoritate Clementis XI, SS. Patribus, consensu theologorum, et ratione.

1° *Scriptura sacra*. Act. Apost. VIII, 51 : *Vos semper Spiritu sancto resistitis* : atqui omnipotenti voluntati Dei nunquam resistitur : ergo.

2° *Auctoritate Clementis XI* sequentes *Quesnel* propositiones n. 11 et 19 damnantis : « Gratia non est aliud » quam voluntas omnipotentis Dei jubentis et facientis » quod jubet. Dei gratia nihil aliud est quam ejus omnipotens voluntas. » (*Curs. compl.*, t. VI, col. 738.)

3° *Ex SS. Patribus*, qui sæpe vocant gratiam *vocem*, *suasionem*, *lumen*, *auxilium*, etc. : atqui hæc nomina effectus divinæ voluntatis designant, minime vero ipsam Dei voluntatem omnipotentem.

4° *Consensu theologorum*, qui unanimiter docent expresse, vel æquivalenter, gratiam ab omnipotenti Dei voluntate esse distinctam.

5° *Ratione*. Si gratia ab omnipotenti voluntate Dei non distingueretur, omnis gratia esset efficax, et ideo quicumque mandata Dei transgrediuntur, a peccato immunnes essent, siquidem gratia ipsis defuisset : atqui hæc admitti nequeunt : ergo.

PROPOSITIO SECUNDA.

Gratia actualis non est ipsa mentis actio deliberata.

Prob. Conc. Trident. et ratione. 1° *Conc. Trident.*, sess. 6, can. 4, definiendi « liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum cooperari, assentiendo Deo » excitanti, ad obtinendam justificationis gratiam : » ergo gratia distincta est ab actione hominis libera. 2° *Ratione*. Actio hominis est effectus gratiæ : ergo non est ipsa gratia. Præterea gratiæ resistitur : atqui repugnat hominem resistere actioni deliberatæ : ergo.

PROPOSITIO TERTIA.

Gratia actualis non est actio indeliberata in anima existens, nec ab ea producta.

Prob. Actio indeliberata in anima existens, et ab illa

non producta, certe non esset actio mentis, sed alterius potentia agentis. Quæstio itaque non solvitur, sed remanet integra : minime enim videtur quomodo hæc actio indeliberata animam adjuvet et adjuvare valeat in actibus deliberatis, quod tamen esset dicendum. Ergo.

PROPOSITIO QUARTA.

Prima gratia excitans non est actus mentis indeliberatus et ab ipsa productus.

Prob. Prima gratia excitans est in nobis sine nobis : *Ecce sto ad ostium et pulso*, ait Christus, Apoc. III, 20 ; *Vocavi et renuistis*, Prov. I, 24 ; soli Deo tribuenda est : atqui non esset in nobis sine nobis, nec soli Deo tribuenda foret, si esset actus a mente productus : ergo.

Si autem motus indeliberati mentis quandoque vocentur gratiæ, hoc fit quia sæpe sunt effectus primæ gratiæ, et ad novas gratias disponentes ; ideo veræ dici possunt gratiæ.

PROPOSITIO QUINTA.

Omnis gratia actualis non in sola mentis illustratione consistit.

Prob. Scriptura sacra, traditione et ratione.

1° *Scriptura sacra*. Ps. CXVIII, 36 : *Inclina cor meum... in testimonia tua* ; Philip. II, 13 : *Deus est qui operatur in nobis et velle et perficere*. At gratiæ hujusmodi in illustratione intellectus non consistunt : ergo 1°.

2° *Traditione*. Semper enim gratia appellata est a SS. Patribus et in constanti traditione, *dilectio*, *suasio*, *dilectatio*, *tactus cordis*, etc. : atqui hujusmodi locutiones gratiam voluntatis manifeste designant : ergo 2°.

3° *Ratione*. 1° Gratia in præsentis statu est medicinalis, et præstatur ad subveniendum infirmitatibus nostris : atqui præcipuæ infirmitates nostræ, post peccatum, sistunt in voluntate, ejus vires debilitatæ sunt. 2° Infra ostendemus gratiam voluntatis necessariam esse ad bo-

num agendum : ergo essentia gratiæ actualis in sola mentis illustratione non consistit.

PROPOSITIO SEXTA.

Omnis gratia voluntatis non est essentialiter charitas vel ejus inspiratio.

Prob. 1° Gratia voluntatis non est actus voluntatis, sed voluntatem ad agendum movet, excitat, adjuvat; est ergo principium charitatis, non verò ipsamet charitas.

2° Ideo Janseniani contendunt omnem gratiam voluntatis esse charitatem vel ejus inspirationem, quia volunt 1° omnem actum voluntatis esse formaliter amorem; 2° nullum dari medium inter laudabilem amorem, et creaturæ amorem seu vitiosam cupiditatem : atqui hæc duo principia sunt falsa.

1° Falsum est omnem actum voluntatis esse formaliter amorem; nam odium et timor sunt actus voluntatis : atqui non sunt formaliter actus amoris; amor enim in objectum inclinatur, odium vero ab illo repellit : per amorem anima quiescit in objecto, per timorem turbatur : ergo. Etsi concedatur cum S. Aug., S. Thoma et multis aliis, omnes actus voluntatis ex amore procedere, v. g., ex amore objecti venire odium oppositi, non sequeretur hos actus esse formaliter amores, quia aliud est esse principium actuum et aliud eos formaliter constituere. Ergo.

2° Datur medium inter laudabilem amorem et vitiosam cupiditatem, quod quidem probatur conc. Trident., auctoritate summorum Pontificum, S. Aug. et ratione.

1° *Conc. Trid.* quod, sess. 6, can. 28, definit veram fidem absque charitate stare posse. In capite 5 ejusdem sessionis, describit modum quo peccatores disponuntur ad justitiam, et dicit eos divina gratia excitatos, fidem ex auditu concipere, libere in Deum moveri, credere vera esse quæ divinitus revelata et promissa sunt, intelligere se esse peccatores, divinæ justitiæ timore concessos, ad

considerandam Dei misericordiam se convertere, in spem erigi, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore : at certe illæ virtutes non sunt formaliter charitas, cum eam præcedant : ergo 1°.

2° *Auctoritate summorum Pontificum*, nempe Pii V, Gregorii XIII et Urbani VIII, qui sequentes Baii propositiones damnaverunt, n. 46 : « Non est vera legis obedientia quæ fit sine charitate; » et 38 : « Omnis amor creaturæ rationalis aut est vitiosa cupiditas qua mundus diligitur, aut laudabilis illa charitas qua Deus amatur. » (*Curs. compl.*, t. VI, col. 674.)

His Pontificibus adjici potest Clemens XI qui eundem errorem in pluribus *Quesnel* propositionibus sparsum similiter damnavit. Ergo 2°.

3° *Auctoritate S. Aug.* ab adversariis toties invocati, Sermone 349 : « Charitas alia est divina, et alia humana; alia est humana licita, et alia illicita. » S. Doctor admittit charitatem a charitate divina distinctam : atqui tamen illam non reputat vitiosam cupiditatem : ergo.

4° *Ratione.* 1° Invicibili propensione nosmetipsos diligimus : atqui ille amor non est charitas divina, nec tamen vitiosa cupiditas; 2° admissa hypothese duplicis amoris, unicum esset motivum omnium virtutum : ergo fides, spes, religio, etc., a charitate non differrent, nisi forte dicatur eas ex objecto tantum differre et specificari, quod admitti non potest, et revera sic a nemine intelligitur. 3° Multa inde sequerentur absurda, v. g., amorem Dei ut auctoris naturæ esse malum, omnia infidelium opera esse peccata, etc., cum hæc ex vitiosa cupiditate oriantur necesse est : atqui tamen, ex dictis et maxime ex dicendis, hæc admitti nequeunt : ergo, etc.; aliunde, etc. Ergo.

Dices 1° : S. Aug. in *Enchiridio*, cap. 117, ait : « Regnat carnalis cupiditas, ubi non est Dei charitas. » Ergo nullum datur, etc.

R. Distinguo ant. Regnat carnalis cupiditas, quoad habitum, *conc.*; quoad actum, *nego ant.* Etenim, ubi non est charitas, adest peccatum, sicque regnat cupiditas

quoad habitum. Dicit adhuc potest : Regnat cupiditas ordinarie, *conc.*; semper, *nego*.

Vel iterum : Ubi non est charitas generatim sumpta, sive naturalis, sive supernaturalis, regnat cupiditas, *conc.*; ubi non est charitas supernaturalis, semper regnat cupiditas, *nego ant.* *Solutio desumitur ex dictis.*

Dices 2° : Amor hæret in creaturis vel in Creatore : si in creaturis, est vitiosa cupiditas ; si in Creatore, est laudabilis charitas : ergo nullum est medium.

R. Dist. primam partem min. Si amor hæreat in creaturis exclusive, est vitiosa cupiditas, *conc.*; si non exclusive, *nego*. Etenim amor qui hæret creaturis, sed non exclusive, nihil habet inordinati. Similiter amor inhærens Deo ex motivo charitatis, vera est charitas : ex alio motivo, v. g., ex motivo naturali, non est charitas ; et tamen non est vitium : ergo datur medium, etc.

Huc usque satis diximus in quo natura gratiæ actualis non resideat : nunc vero quærendum foret in quo præcise sita sit ; sed impotentiam nostram fatemur : ad utiliora, præsertim pro fine a nobis intento, transeamus.

CAPUT TERTIUM.

DE NECESSITATE GRATIÆ.

Gratiæ potest esse necessaria ad verum cognoscendum, ad bonum agendum et ad perseverandum : hinc triplex hujus capitis erit articulus.

ARTICULUS PRIMUS.

DE NECESSITATE GRATIÆ AD VERUM COGNOSCENDUM.

Duplicis generis sunt veritates, naturales scilicet et supernaturales. Naturales illæ sunt quæ absque revelatione cognosci possunt : non excluditur tamen prima revelatio Adamo facta. Supernaturales vero sunt quando

sola fide noscuntur. Item aliæ sunt speculativæ, quæ ad mores nihil conducunt, ut veritates mathematicæ ; et aliæ practicæ, quæ indicant bonum agendum et malum fugiendum. Denique considerari possunt collectivæ, vel distributive.

Certum est 1° hominem, in præsentis rerum statu, non posse, absque speciali auxilio divino naturali aut supernaturali, omnes cognoscere veritates naturales ; nullus quippe visus est homo qui potuerit dicere se eas omnes collectivæ sumptas possidere aut acquirere posse.

Certum est 2° hominem, in statu præsentis, multo pauciores cognoscere posse veritates naturales, absque gratia, quam cognoscere potuisset in statu innocentie ; nam intellectus humanus, etsi non extinctus, fuit valde debilitatus per peccatum, juxta omnes. Ergo, etc.

Duo igitur supersunt quærenda, videlicet 1° an homo aliquas veritates naturales cognoscere possit absque gratia ; 2° an veritates supernaturales.

PROPOSITIO PRIMA.

Homo sine gratia aliquas cognoscere potest veritates naturales, tum speculativas, tum practicas.

Hæc propositio est contra Vasquez aliosque paucissimos.

Prob. Scriptura, S. Aug. et ratione. 1° *Scriptura sacra.* Rom. I, 30 : *Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Ibi loquitur Apostolus de philosophis gentilibus qui Deum ex inspectione mundi cognoverant, et nullam faciunt mentionem de gratia. Ergo.

2° *S. Aug.*, lib. de Spiritu et Littera, cap. 28, qui sic habet : « Non usque adeo in anima humana imago Dei » terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea » velut lineamenta extrema remanserint : unde merito » dici possit etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere ali- » qua legis vel sapere. »

quoad habitum. Dicit adhuc potest : Regnat cupiditas ordinarie, *conc.*; semper, *nego*.

Vel iterum : Ubi non est charitas generatim sumpta, sive naturalis, sive supernaturalis, regnat cupiditas, *conc.*; ubi non est charitas supernaturalis, semper regnat cupiditas, *nego ant.* *Solutio desumitur ex dictis.*

Dices 2° : Amor hæret in creaturis vel in Creatore : si in creaturis, est vitiosa cupiditas ; si in Creatore, est laudabilis charitas : ergo nullum est medium.

R. Dist. primam partem min. Si amor hæreat in creaturis exclusive, est vitiosa cupiditas, *conc.*; si non exclusive, *nego*. Etenim amor qui hæret creaturis, sed non exclusive, nihil habet inordinati. Similiter amor inhærens Deo ex motivo charitatis, vera est charitas : ex alio motivo, v. g., ex motivo naturali, non est charitas ; et tamen non est vitium : ergo datur medium, etc.

Huc usque satis diximus in quo natura gratiæ actualis non resideat : nunc vero quærendum foret in quo præcise sita sit ; sed impotentiam nostram fatemur : ad utiliora, præsertim pro fine a nobis intento, transeamus.

CAPUT TERTIUM.

DE NECESSITATE GRATIÆ.

Gratia potest esse necessaria ad verum cognoscendum, ad bonum agendum et ad perseverandum : hinc triplex hujus capitis erit articulus.

ARTICULUS PRIMUS.

DE NECESSITATE GRATIÆ AD VERUM COGNOSCENDUM.

Duplicis generis sunt veritates, naturales scilicet et supernaturales. Naturales illæ sunt quæ absque revelatione cognosci possunt : non excluditur tamen prima revelatio Adamo facta. Supernaturales vero sunt quando

sola fide noscuntur. Item aliæ sunt speculativæ, quæ ad mores nihil conducunt, ut veritates mathematicæ ; et aliæ practicæ, quæ indicant bonum agendum et malum fugiendum. Denique considerari possunt collective, vel distributive.

Certum est 1° hominem, in præsentis rerum statu, non posse, absque speciali auxilio divino naturali aut supernaturali, omnes cognoscere veritates naturales ; nullus quippe visus est homo qui potuerit dicere se eas omnes collective sumptas possidere aut acquirere posse.

Certum est 2° hominem, in statu præsentis, multo pauciores cognoscere posse veritates naturales, absque gratia, quam cognoscere potuisset in statu innocentie ; nam intellectus humanus, etsi non extinctus, fuit valde debilitatus per peccatum, juxta omnes. Ergo, etc.

Duo igitur supersunt quærenda, videlicet 1° an homo aliquas veritates naturales cognoscere possit absque gratia ; 2° an veritates supernaturales.

PROPOSITIO PRIMA.

Homo sine gratia aliquas cognoscere potest veritates naturales, tum speculativas, tum practicas.

Hæc propositio est contra Vasquez aliosque paucissimos.

Prob. Scriptura, S. Aug. et ratione. 1° *Scriptura sacra.* Rom. I, 30 : *Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Ibi loquitur Apostolus de philosophis gentilibus qui Deum ex inspectione mundi cognoverant, et nullam facit mentionem de gratia. Ergo.

2° *S. Aug.*, lib. de Spiritu et Littera, cap. 28, qui sic habet : « Non usque adeo in anima humana imago Dei » terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea » velut lineamenta extrema remanserint : unde merito » dici possit etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere ali- » qua legis vel sapere. »

3^o *Ratione*. Intellectus humanus fuit quidem læsus per peccatum, sed non extinctus: ergo propriis viribus veritates sibi proportionatas attingere potest, sicut oculus absque alieno auxilio objecta videre: ergo, etc. Ergo datur certitudo naturalis.

Attamen intellectus humanus ad assentiendum vero aut falso flexibilis, concursu divinæ providentiæ indiget ut assentiatur vero potius quam falso, quatenus concursus ille necessarius est ad omnem actum positivum, uti docetur in philosophia; insuper gratia valde utilis et sæpe necessaria est ad cognoscendum verum naturale: unde merito donum intelligentiæ etiam in naturalibus a Deo postulatur.

PROPOSITIO SECUNDA.

Homo sine gratia nec fidem nec initium fidei habere potest.

Prob. Illa propositio tenenda est quæ definita fuit olim in pluribus conciliis et postea in conc. Trid., probatur Scriptura sacra, testimonio S. Aug. et praxi Ecclesiæ: atqui, etc.

1^o Necessitas gratiæ etiam pro initio fidei definita fuit contra Pelagianos et Semipelagianos. Concil. Araus. II, can. 5: « Si quis augmentum, ita etiam initium fidei ipsumque credulitatis affectum... non per gratiæ donum... sed naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus adversarius probatur. » Idem asseritur can. 6, et confirmatur in concil. Trid., sess. 6, can. 3: « Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur; anathema sit. »

2^o *Scriptura sacra*. I Cor. IV, 7: *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Et II Cor. III, 5: *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est.* Unde sic: Juxta hæc Apostoli verba ni-

hil habemus, nihil possumus, saltem in ordine salutis æternæ, sine auxilio Dei. Ergo nec fidem nec initium fidei propriis viribus habere possumus.

3^o *S. Aug.*, lib. de Prædestinatione sanctorum, cap. 3, referens textum B. Pauli, *Quid habes quod non accepisti?* addit: « Quo præcipue testimonio etiam ipse convictus sum, cum similiter errarem, putans fidem qua in Deum credimus non esse donum Dei, sed a nobis esse in nobis. » In fine præcedentis capituli, arguit hominem qui componit cum Deo, *ut partem fidei sibi vindicet atque illi partem relinquat.* Ergo.

4^o *Praxi Ecclesiæ*. Ecclesia universalis semper oravit et orat pro infidelibus, ut illuminentur et ad fidem adducantur; orando autem, persuasum semper habuit gratiam esse necessariam etiam ad initium fidei.

Dices 1^o: Dæmones credunt et contremiscunt, inquit apostolus Jacob. II, 19: atqui tamen non habent gratiam: ergo.

R. Distinguo maj. Dæmones credunt fide naturali, evidentia signorum convicti, *conc.*; fide supernaturali, *nego maj.* Porro gratia non necessaria est ad credendas fide naturali veritates revelatas; suppositis enim factis revelationem manifestantibus, ratio apprehendere potest hujusmodi veritates ut existentes: sic hæretici plurima credunt fidei mysteria, v. g., Trinitatem, Incarnationem, peccatorum remissionem, etc., sed non fide divina ad salutem conducente, nisi in bona fide versentur, et tunc gratia eos adjuvat. Non repugnat tamen Deum concedere hæreticis, etiam malæ fidei, gratias ad credendum necessarias: si veritatibus revelatis falsa admisceant dogmata, aut quædam revelata negent, gratiæ dissentiant et peccant.

Vide quæ diximus in Tractatu *de Fide*, ubi de moralitate fidei, n. 3, disserendo de ejus *supernaturalitate*.

Dices 2^o: Tota religio christiana nititur motivis evidenter credibilibus: ergo sine gratia cognosci et credi potest.

R. Nego conseq. Motiva credibilitatis præparant ad

fidem divinam, non autem hanc fidem constituunt: ibi vero agitur de fide supernaturali ad salutem conducente: atqui fides supernaturalis ad salutem conducens, ex auctoritatibus citatis, haberi non potest sine gratia, etsi motivis evidenter credibilibus nitatur: ergo.

Inst. Infidelis cui illa mysteria sufficienter proponuntur, ea credere tenetur: ergo gratia non necessaria est.

R. Nego conseq. Gratia enim in eo casu infideli non deest, quod alibi probabitur.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE NECESSITATE GRATIÆ AD BONUM AGENDUM.

Notandum triplicis generis distingui opus, nempe 1^o bonum opus morale et naturale, v. g., amor parentum; 2^o opus supernaturale ratione substantiæ, et non ratione modi, quia deest finis supernaturalis, ut grave obstaculum ab infideli cum gratia victum; 3^o opus sub omni respectu supernaturale.

Multipliciter errarunt hæretici circa hanc gratiæ necessitatem; alii enim dixerunt illam non esse necessariam, aut saltem non gratuitam, ad bonum opus supernaturale; alii, e contra, contendunt nullum bonum opus morale fieri posse sine fide; alii, sine charitate; alii, sine gratia, etc. Ut omnibus respondeamus et doctrinam catholicam per ordinem stabiliamus, hunc articulum in quinque dividemus paragraphos. Examinabimus in primo an gratia necessaria sit ad bonum opus supernaturale; in secundo, an bonum opus morale fieri possit sine charitate; in tertio, an sine fide; in quarto, an sine gratia; in quinto, quæ opera moralia fieri possint sine gratia.

§ I. — An gratia sit necessaria ad bonum opus supernaturale.

Negarunt Pelagiani, contententes aut gratiam non esse necessariam, aut eam meritis hominum concedi, ac proinde non esse gratuitam, nec igitur proprie gratiam.

PROPOSITIO.

Gratia in genere necessaria est ad quodlibet opus supernaturale.

Prob. Hæc propositio est de fide. Probatur insuper auctoritate conciliorum et pontificum Romanorum, Scriptura sacra et ratione.

1^o *Est de fide*, ut pote definita a conc. Trident., sess. 6, can. 3: « Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem nem credere, sperare, diligere aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur; anathema sit. »

Aliunde fulcitur auctoritate aliorum conciliorum ac Romanorum pontificum, qui Pelagianorum errores damnaverunt.

2^o *Scriptura sacra.* Joan. vi, 44: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*; Ibid. xiii, 5: *Sine me nihil potestis facere*; Philip. ii, 13: *Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere.* Adjici possunt textus B. Pauli modo citati et plures alii: atqui hi textus nihil excipiunt: ergo sine gratia homo versatur in impossibilitate physica aliquod bonum opus supernaturale faciendi.

3^o *Ratione.* Opus dicitur supernaturale, quia vires naturæ superat: ergo eo ipso supponit auxilium viribus naturæ superadditum, id est gratiam: ergo.

Dices 1^o: *Deus apud Zachariam prophetam, i, 3: Convertimini ad me, et ego convertar ad vos*; Prov. xvi, 1, legitur: *Hominis est animam præparare*: ergo saltem initium conversionis fieri potest sine gratia.

R. Nego conseq. Nam in textibus objectis gratia non excluditur; sensus est: *Convertimini ad me per gratiam meam vos prævenientem, et ego convertar ad vos per gratiam largiorem; hominis est animam præparare utendo gratia.* Ita enim gratia nos prævenit, ut nihilo-

minus liberum arbitrium per gratiam agat, sicque conversio aliaque bona opera sunt simul Dei et hominis. Ergo.

Dices 2°: Multi citantur textus sanctorum Patrum, præsertim Græcorum, qui docuerunt saltem initium bonorum operum solius esse libertatis. Ergo.

R. Nego ant. Nam 1° Ecclesia Pelagianos damnavit; hos vero Patres in magno semper habuit honore: ergo iudicavit illorum opera in sensu Pelagianorum non intelligenda esse. 2° Cum illi Patres fere omnes ante disputationes circa gratiam scripserint, non mirum si quædam verba minus præcisa et correctæ ipsis incautis exciderint. 3° Libertatem contra Marcionitas et Manichæos defendebant. Porro « ubi de arbitrio voluntatis et » Dei gratia disputatur, quæstio ita est ad discernendum » difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, ne » gari Dei gratia videatur; quando autem asseritur Dei » gratia, liberum arbitrium putetur auferri. » Sic S. Aug., de Gratia Christi contra Pelagium et Cœlest., cap. 41.

Cæterum Patres Græci ab omni errore circa gratiam vindicati sunt a doctore *Hubert*, episcopo Vabrensi, in opere erudito cui titulus: *Défense de la théologie des Pères grecs sur la grâce.*

Dices 3°: Si homo nullum opus supernaturale facere possit sine gratia, non est liber. Ergo.

R. Dist. ant. Non est liber, seclusa gratia, *conc.*; præsentē gratia, *nego*. Fatemur enim hominem cui desset gratia, non fore liberam ad bonum opus supernaturale agendum: at, posita gratuita ordinatione nostra ad finem supernaturalem, Deus omnibus concedit gratiam, *ut alibi demonstrabimus*: ergo.

Dices 4°: *Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam*: est axioma apud theologos receptum: ergo saltem gratiam mereri possumus.

R. Dist. conseq. Possumus mereri gratiam subsequenter, gratia præveniente bene utendo, *conc.*; possumus propriis viribus gratiam prævenientem mereri, *nego conseq.*

Notandum est non solum opus supernaturale fieri non posse sine gratia, sed nec dari potestatem bene operandi, ab actu sejunctam, ut quidam volunt; textus enim Scripturæ et argumenta nostra ipsammet potestatem excludunt: *Sine me nihil potestis facere; non quod sufficientes simus*, etc. Ergo.

Quæritur an homo justus indigeat gratia actuali ad bonum opus supernaturale.

R. affirmative. 1° Sic docent S. Cyprianus, Testimon. lib. 3, cap. 4: *In nullo gloriandum quando nostrum nihil est*; S. Aug., lib. de Natura et Gratia, cap. 26: « Si » cut oculus plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus » non potest cernere; sic homo, etiam perfectissime justificatus, nisi æterna luce justitiæ divinitus adjuvetur, recte non potest vivere: » sic etiam alii Patres. 2° Omnes in eo suffragantur theologi. 3° Gratia actualis necessaria erat Adamo in statu innocentiae ut bonum opus supernaturale faceret: ergo a fortiori homini justo in statu præsentī.

Hinc sequitur 1° hominem nullo modo primam gratiam mereri posse, neque de condigno, neque de congruo; alioquin initium salutis ipsius esset, et gratia jam non esset gratia; 2° primam gratiam actibus humanis quantumvis bonis infallibili ordinatione non annecti tanquam debitam, quia tunc cessaret esse gratuita; 3° totum opus bonum ab initio usque ad perfectionem gratiæ tribuendum esse, juxta hæc Ecclesiæ verba, oratione dominicæ VI post Pentecosten: *Deus virtutum, cujus est totum quod est optimum*: est simul opus nostrum, cum, mediante gratia, illud reipsa operemur.

§ II. — An bonum opus morale fieri possit sine charitate.

Charitas est amor quo Deus propter semetipsum super omnia diligitur. Est habitualis vel actualis: habitualis inhæret menti eamque sanctificat; actualis est actus quo mens hic et nunc Deum super omnia propter ipsum diligit. Potest esse perfecta vel imperfecta. Per-

fecta, ea est qua Deus propter se super omnia diligitur et homo justificatur: imperfecta vero, est illa qua mens Deum incipit diligere, sed nondum satis perfecte ut justificatio obtineatur. Quæstio est igitur an aliqua charitas, saltem actualis et imperfecta, necessaria sit ut actus humanus non sit peccaminosus.

Wiclefus et Joannes Hus contendebant nullum opus bonum fieri posse sine gratia sanctificante; Lutherani et Calvinistæ dicunt omnia etiam justorum opera tot esse peccata, et tamen ea justis non imputari ob eorum fidem; Baius requirebat charitatem perfectam actualem; Jansenius saltem initium charitatis exigebat.

PROPOSITIO PRIMA.

Homo sine gratia sanctificante, seu sine charitate habituali, bonum opus agere potest.

Prob. Hæc propositio est de fide, probatur Scriptura sacra et ratione.

1° *Est de fide*, ut pote definita in concilio Constantiensi sequentem articulum adversus Wiclefum et Joannem Hus damnante: « Ex principiis fidei est per se » notum quod quidquid homo in mortali peccato fecerit, » peccat mortaliter; » et in conc. Trident. sic habente, sess. 6, can. 7: « Si quis dixerit opera omnia quæ ante » justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, » vera esse peccata; anathema sit. »

2° *Prob. Scriptura sacra.* Ezech. XVIII, 30: *Convertimini et agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas.* Daniel, IV, 24: *Peccata tua elemosynis redime.* Deus non hortatur ad peccata, sed ad opera quibus peccator ad justitiam se præparat. Ergo.

3° *Prob. ratione.* 1° Actus quibus peccator ad justificationem disponitur, non solum immunes sunt a peccato, sed vera sunt opera supernaturalia, alioquin non essent in ordine ad justificationem: atqui sunt actus pœnitentis,

ut fidei, spei, timoris et doloris, quibus ad justificationem disponitur, ut patet ex conc. Trid., sess. 6, cap. 6: illi autem actus ex charitate habituali non procedunt, ut evidens est: ergo. 2° Dici non potest cuncta peccatoris opera esse mala, nisi constet illum ex cupiditate in illo dominante semper agere, ut volunt Protestantes etiam de justis: at illud est absurdum; non magis enim homo semper agit ex cupiditate in ipso dominante quam ex charitate in eo habitante. Porro, juxta ipsos Protestantes, homo non semper agit ex charitate in eo habitante, alioquin nunquam peccare posset: ergo, etc. 3° *Probativus supra*, p. 305, 306, dari medium inter laudabilem charitatem et vitiosam cupiditatem, non quidem quoad hominem qui necessario est in gratia sanctificante vel in peccato, sed quoad actus hominis: ergo opera ex charitate habituali non procedentia, possunt esse saltem moraliter bona. 4° Mox ostensuri sumus omnia opera sine fide facta non necessario esse mala: ergo a fortiori nec opera sine charitate habituali peracta.

Dices 1°: Prov. XV, 8: *Victimæ impiorum abominabiles Domino.*

Distinguo textum. Victimæ impiorum impietati suæ adhærentium sunt abominabiles Domino, conc.; victimæ impiorum de impietate sua dolentium et Deum placare quærentium, nego. Sic evanescit difficultas hujus textus et aliorum ejusdem generis.

Dices 2°: Matth. VII, 18: *Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere:* atqui certe qui charitatem habitualement non habent, sunt arbores malæ: ergo.

R. Iterum dist. textum. Non potest arbor, etc., id est non solet, conc.; nullo modo potest et aliquando non facit fructus bonos, nego. Christus enim in eo loco tradit regulam probabilem et communem qua veri prophetæ a falsis discerni possint, et utitur comparatione duplicis arboris; ipsius autem verba ultra sensum intentum urgeri non debent. Quemadmodum arbor bona non solet malos fructus facere, nec arbor mala bonos producere;

ita pseudoprophetae, licet quandoque sanctitatem simulare possint, non solent diu latere, vel ea pietatis et sinceritatis non exhibent signa quæ in veris prophetis et in bonis pastoribus relucere solent. Ergo.

PROPOSITIO SEGUNDA.

Homo sine charitate actuali, sive perfecta sive imperfecta, aliquod bonum opus facere potest.

Prob. iisdem rationibus ac præcedens propositio. Et enim 1° ut bonum opus sine ulla charitate fieri possit, sufficit quod detur medium inter charitatem et cupiditatem : atqui jam probavimus hujusmodi dari medium. Ergo. 2° Primi actus qui ad justificationem præparant non sunt peccaminosi : atqui tamen fieri possunt sine charitate etiam initiali, siquidem peccatores qui eos exercent, non statim, sed tantum post plures ex ipsis jam elicitos, *Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt*, conc. Trid. sess. 6, cap. 6. 3° In sequenti propositione demonstratur bona fieri posse opera sine fide : ergo, a fortiori, et sine charitate actuali, etiam imperfecta.

§ III. — An bonum opus morale fieri possit sine fide.

Quæstio movetur 1° contra Lutherum et Calvinum, qui, volentes liberum arbitrium esse penitus extinctum, contendunt nullum bonum opus morale fieri posse sine fide et charitate; 2° contra Baium et Jansenium, qui medium inter laudabilem charitatem et vitiosam cupiditatem non agnoscentes, omnia infidelium opera totidem esse peccata pronuntiant; 3° contra famosum *Arnauld*, qui contendit nullum opus bonum sine fide in Christum mediatorem agi posse; 4° contra nonnullos mitiores Jansenii defensores, qui fatentur aliqua infidelium opera esse bona in se, et tamen infideles semper peccare defectu relationis sufficientis ad Deum; 5° denique contra paucos alios, qui infideles Deum cognoscen-

tes ab infidelibus Deum ignorantibus distinguunt, dicuntque priores aliquod bonum operari posse, non item alios, quia ex perversa intentione vel ex malo fine semper agunt. Contra omnes sit

PROPOSITIO.

Homo sine fide christiana bonum opus morale agere potest, ac proinde omnia infidelium opera non sunt necessario peccata.

Prob. Hæc propositio ut certissima tenenda est, quæ probatur Scriptura sacra, auctoritate summorum Pontificum, testimonio S. Aug. et ratione : atqui propositio nostra probatur, etc.

1° *Scriptura sacra.* Rom. II, 4 : *Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex; qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum.* S. Aug. hunc quidem interpretatus est textum de gentibus ad fidem conversis, ut Pelagianos illum allegantes facilius devinceret : at orationis series, scopus Apostoli, verba quibus utitur, clare ostendunt sermonem esse de gentibus ad fidem christianam nondum conversis; numquid enim dici posset gentes ad fidem conversas *legem non habere, naturaliter ea quæ legis sunt facere, sibi esse legem, opus legis in cordibus scriptum ostendere?* Ergo.

2° *Auctoritate summorum Pontificum*, nempe Pii V, Gregorii XIII et Urbani VIII, qui propositiones Baii damnarunt, et, inter eas, sequentem, n. 22 : « Cum Pelagio » sentiunt, qui textus Apostoli ad Romanos, *gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt,* » intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus; » et hanc alteram, n. 25 : « Omnia infidelium opera sunt » peccata et philosophorum virtutes sunt vitia. » Ergo fides non est absolute necessaria ad bonum opus morale, et talis est sensus condemnationis etiam propositionis 22 Baii.

3^o S. Aug. testimonio. Sic enim se habet, lib. de Spiritu et Littera, cap. 27, loquens de infidelibus : « Quorum » etiam impiorum, nec Deum veraciter justeque colentium, quædam facta vel legimus, vel audimus, quæ » secundum justitiæ regulam non solum vituperare non » possumus, verum etiam merito recteque laudamus, » quanquam si discutiantur quo fine fiant, vix inveniuntur quæ justitiæ debitam laudem defensionemve » mereantur. » Unde sic : Opera quæ nihil habent mali, nec in se, nec ratione finis, sunt moraliter bona : atqui, ex præfato textu, sunt opera infidelium quæ nihil habent mali in se, ut expresse dixit S. Doctor, et possunt nihil habere mali ratione finis, quamvis raro, ut patet ex his verbis, *vix inveniuntur*, etc. : ergo.

4^o *Ratione*. Opus ratione objecti, finis et circumstantiarum laudabile, moraliter bonum est : atqui sine fide christiana fieri possunt opera ratione objecti, finis et circumstantiarum laudabilia : v. g., sit exemplum elemosyna ab infideli data : certe bona est in se seu ratione objecti; dari potest motu misericordiæ naturalis, ad sublevandum egenum, et tunc finis est laudabilis; fieri potest ut nulla reperiatur circumstantia vitiosa, v. g., scandali, impietatis, asperitatis, exprobrii, etc. Ergo. Idem dicendum est de amore erga parentes, de fidelitate conjugali, de cura familiæ, imo, de cunctis actibus in ordine ad finem honestum factis.

Si ergo hujusmodi facta mala essent, certe, ut plerique confessi sunt adversarii, defectu relationis ad Deum : atqui nec sub hoc respectu necessario mala sunt; nam 1^o præceptum referendi actus nostros explicite ad Deum est affirmativum, et ideo non obligat pro semper; 2^o actus propter honestatem naturalem vel propter ordinem exerciti, ad Deum, totius honestatis fontem et ordinis auctorem, proprio pondere referuntur. Ergo, etc.

Insuper, si omne opus sine fide actum sit peccatum, sequeretur 1^o consulendum esse infidelibus et incredulis ut ab actibus etiam honestis, v. g., ab elemosynis, a curis pauperum et infirmorum, a sollicitudine pro filiis

abstineant : 2^o eos, urgente præcepto, necessario peccaturos, et agendo, cum opus futurum sit malum, et abstinendo, cum præceptum urgeat : porro hæc consecraria sunt absurda : ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1^o. Rom. xiv, 33 : *Omne quod non est ex fide peccatum est*. Ergo.

Nego conseq. Nam 1^o fere omnes Scripturæ interpretes censent textum nobis objectum non de fide theologica intelligendum esse, sed de conscientia seu persuasione quod actio sit licita. Hic sensus valde congruit scopo Apostoli; de selectu enim ciborum agens, dicit eum peccare qui manducat cibum quem putat illicitum : affert rationem, *quia non ex fide*, id est, ex persuasione hoc licitum esse, addens principium naturale : *Omne quod non est ex fide, peccatum est*.

2^o Si autem ille textus, cum S. Aug. et Pontificali Romano de fide theologica intelligatur, tunc sensus est : *Omne quod est contra fidem peccatum est, schismaticum est*. (Pontif. Rom., alloc. ad ord. in subd.) Porro nec in eo sensu est aliquid contra propositionem nostram. Apostolus quippe de infidelibus sermonem non habet, sed de fidelibus Romæ degentibus : ergo.

Obj. 2^o. Tit. 1, 15 : *Omnia munda mundis : coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum mens et conscientia*. Ergo.

R. Nego conseq. Sensus enim Apostoli, ut advertit Estius, est omnia esse munda mundis, id est, bene utentibus, et nihil mundum esse iis qui creaturis velut immundis uti nolunt; qui enim arbitrantur creaturas esse immundas iis sine peccato uti non possunt, quia conscientiam habent inquinatam : atqui jam diximus talem sensum propositioni nostræ non adversari.

Aliunde, eodem sensu intelligendus est Apostolus de infidelibus ac de fidelibus seu mundis : atqui omnia opera mundorum non sunt essentialiter bona : ergo nec omnia

opera infidelium essentialiter sunt mala, sed ad summum communius vel moraliter sumpta.

Obj. 3^o. Hebr. xi, 6 : *Sine fide impossibile est placere Deo* : ergo nullum est bonum sine fide.

R. Nego conseq. Datur enim medium inter placere Deo in genere et facere opus malum, nempe facere opus moraliter bonum. Aliunde Apostolus loquitur de fide qua Noe placuit Deo et translatus est, de fide qua acceditur ad Deum, ac consequenter de fide quæ est fons justitiæ et ducit ad salutem : atqui certum est sola fide divina hæc obtineri posse ; nec tamen inde ullo modo sequitur eos qui talem non habent fidem semper peccare : ergo.

Obj. 4^o. S. Aug. passim et præcipue in libris contra Julianum, docet 1^o nullum opus esse bonum, nisi tale sit tum ratione officii, tum ratione finis ; 2^o officia quidem posse interdum bona esse sine fide, nunquam vero finem, dicente Apostolo : *Sine fide*, etc. ; 3^o opus ex fine bonum sterile censeri non posse in ordine ad vitam æternam ; 4^o si infideles bonum opus agere possent, Christum frustra bonum esse ; 5^o tandem infideles ob sua opera mitius vel gravius puniendos esse : ergo judicabat omnia eorum opera esse mala.

R. Nego conseq. Ad solutionem notandum est Julianum, ex fundamentali Pelagianorum principio, scilicet naturam humanam justitia donatam per peccatum non fuisse vitiatam, deduxisse 1^o hominem propriis viribus totam legem servare posse ; 2^o per virtutes moraliter honestas gratias ad legem facilius implendam mereri posse ; 3^o per actiones honestas vitam æternam consequi valere ; 4^o actus ex objecto honestos esse steriles si dirigantur ad temporalia, et meritorios, si ad cœlestia.

S. Aug., contra Julianum scribens, statuit 1^o non nisi per gratiam Salvatoris totam legem adimpleri posse ; 2^o nullum per solas virtutes morales gratiam mereri et vitam æternam consequi posse ; 3^o non solum ex objecto, sed et ex fine actus humanos constitui intrinsece bonos aut malos : ac proinde rejiciendam esse distinctionem inter actus steriles et actus meritorios, ad sensum Juliani.

Nullus igitur est actus cœli meritorius, nisi ope gratiæ et fidei ad ordinem supernaturalem elevetur. Infidelium autem opera ad ordinem supernaturalem non pertinent : non sunt ergo vere meritoria, quod ostendit S. Aug. At inde non sequitur ea tot esse peccata. Ergo.

Obj. 5^o. Omnes actus nostri referendi sunt, saltem aliquo modo, ad gloriam veri Dei, juxta hæc Apostoli verba, I Cor. x, 31 : *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite* : atqui opera infidelium ad gloriam Dei veri referri non possunt : ergo.

R. Dist. min. Referri non possunt relatione supernaturali et meritoria, ut optat Apostolus loquens ad fideles, *conc.* ; relatione naturali, *nego min.* Jam diximus enim opera propter naturalem honestatem facta, indirecte et quasi proprio pondere ad Deum totius bonitatis fontem referri : porro hæc relatio sufficit ut opera aliunde sub omni respectu honesta, non sint peccata : ergo.

Inst. 1^o. Omnia infidelium opera referuntur ad idola : ergo nec indirecte referri possunt ad gloriam veri Dei.

R. Nego ant. Nam fieri potest ut inter agendum infideles de falsis diis suis non cogitent, et solummodo ex naturali honestate opus in se bonum perficiant : atqui opus illud ad gloriam veri Dei proprio pondere seu indirecte refertur : ergo.

Inst. 2^o. « Virtus primæ intentionis respectu ultimi finis remanet in quolibet appetitu rei, etiamsi de ultimo » fine actu non cogitetur ; » inquit S. Thomas, 1^o 2^o, q. 1, art. 6, ad 3 : atqui prima intentio infidelis est serviendi falsis diis : ergo.

R. Dist. maj. Virtus primæ intentionis remanet respectu ultimi finis in actibus qui vi illius intentionis fiunt, *conc.* ; in aliis actibus, *nego maj.* Enim vero, omnes actus in quos prima intentio influit, ad finem ultimum prius intentum referuntur : sic viator pergit ad civitatem virtute primæ intentionis, quamvis iter faciendum de illa non cogitet. At non ita est de actibus qui vi primæ intentionis non fiunt : v. g., idem viator, pergendo ad locum sibi propositum, dat eleemosynam, indicat viam,

succurrit cadenti, etc.; hi actus ad finem itineris non referuntur. Item infidelis qui propositum iniit falso deo serviendi, actus ad illum directos illi refert; non vero alios ad hunc finem non tendentes. Omnes actus boni proprio pondere ad Deum referuntur, quia Deus est principium omnis bonitatis: sed idolum merum est figmentum: nihil ergo ad illud proprio pondere refertur: ergo,

Inst. 3^o. Vel infidelis actus suos refert ad idolum, vel non: si prius, peccat, ut evidens est; si posterius, agit contra conscientiam præcipientem omnia ad divinitatem referre, et iterum peccat: ergo, quidquid agat, necessario peccat.

R. Nego secundam partem min. Infidelis enim, quantumvis sit in bona fide et erga idolum devotus, sibi non persuadet dari obligationem cunctas actiones suas ad illud singulis momentis referendi, cum hæc obligatio non sit in natura, ne quidem pro Christianis erga verum Deum: multa igitur faciet, de idolo non cogitans, et tunc non peccabit propter falsam conscientiam; ea autem quæ ex natura sua ad servitium idoli non tendunt, ad verum Deum proprio pondere referentur. Ergo.

Inst. 4^o. Homo in præsentī statu destinatus est ad finem supernaturalem; atqui omnis homo ad ultimum finem suum semper tendere debet: ergo.

R. 1^o Dist. min. Homo ad ultimum finem suum tendere debet eo sensu quod in creatura finaliter quiescere nequeat, *conc.*; eo sensu quod omnes actus suos ad illum finem sub peccato referre teneatur, *nego min.* Certum est quidem hominem ad ultimum finem suum seipsum semper referre teneri; certum est etiam actus ad hunc finem non convenienter relatos nullam mereri apud Deum remunerationem: at non peccabit si quædam opera in particulari ad hunc finem positive non referat. *Ita omnes.*

2^o Qui invincibiliter ignorat se ad finem supernaturalem destinari, non peccat si ad hunc finem supernaturaliter non tendat, quia ad impossibile nemo tenetur: at infideles quibus Evangelium non fuit annuntiatum, invincibiliter ignorare possunt se, etc.. Ergo.

§ IV. — An bonum opus morale fieri possit sine gratia.

Baius, Jansenius eorumque asseclæ charitatem et fidem, aut ad minus fidem ad non peccandum requirentes, eo ipso contendunt nullum opus bonum, etiam in ordine naturali, sine aliqua Dei gratia fieri posse. Inter catholicos autem necessitatem charitatis et fidei negantes, quidam volunt aliquam gratiam ad quodlibet opus bonum morale requisitam esse; alii, ut *Vasquez*, speciale exigunt auxilium naturale, sed naturæ lapsæ indebitum. Vide Clericum a Belliberone, *Curs. compl. theol.*, t. x, col. 1111. Omnes alii docent, cum S. Thoma, hominem, in præsentī rerum ordine, propriis viribus aliquid bonum morale facere posse, quibuscum sit

PROPOSITIO.

Homo sine ulla gratia aliquid bonum opus morale facere potest.

Prob. conc. Trid., auctoritate summorum Pontificum, S. Aug. et ratione.

1^o *Conc. Trident.* quod, sess. 5, can. 6, sic habet: « Si » quis liberum hominis arbitrium, post Adæ peccatum, » amissum et extinctum esse dixerit; anathema sit. » At si liberum arbitrium non sit omnino extinctum, propriis viribus aliquid potest: ergo.

2^o *Auctoritate summorum Pontificum.* Hæc enim propositio Baii, n. 37: « Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid » quid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus » ortum ducit, agnoscit; » et hæc altera *Quesnel*, n. 38: « Peccator non est liber, nisi ad malum, sine gratia Sal- » vatoris, » damnata sunt; atqui sunt contradictoriae propositionis nostræ: ergo.

3^o *S. Aug.*, lib. de Correctione et Gratia, cap. 11: « Quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum » autem parum est, nisi adjuvetur ab omnipotenti » bono. » Si parum possit, non est prorsus impotens. Ergo.

4^o *Ratione*. Natura humana per peccatum fuit quidem vitata, non vero omnino corrupta : ergo per virtutem sibi derelictam aliquid sibi proportionatum in ordine morali facere potest : ergo.

Dices : S. Joan. xv, 5 : *Sine me nihil potestis facere* : ergo nullum bonum opus fieri potest sine gratia.

R. Distinguo ant. Sine me nihil potestis facere in ordine ad vitam æternam, de qua agitur in textu, *conc.* ; omnia opera sine auxilio supernaturali facta, etiam in ordine naturali, sunt mala, *nego ant.* Solutio patet ex dictis.

§ V. — Quodnam bonum opus homo sine gratia facere possit.

Non agitur de præceptis Dei supernaturalibus, nec de præceptis naturalibus, in quantum ad finem supernaturalem diriguntur; certum est enim in utroque casu gratiam necessariam esse. Quæstio est igitur quænam præcepta naturalia impleri possint sine gratia.

Notandum est nos modo probavisse hominem aliquod opus bonum morale sine gratia facere posse.

PROPOSITIO.

Homo solis naturæ viribus omnia legis naturalis præcepta implere non potest, sed quædam tantum faciliora.

Prob. Scriptura sacra, conciliis, S. Aug. et ratione.

1^o *Scriptura sacra*. Sap. viii, 21 : *Ut scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det...*, adii *Dominum* : continentia est præceptum naturale : atqui tamen auctor sacer pronuntiat illam donum Dei esse.

2^o *Conciliis*. Concilium Milevitanum, can. 5, damnat Pelagianos dicentes quod « si gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possemus etiam sine illa implere divina mandata : » ibi agitur de præceptis Decalogi quæ naturalia sunt. Idem habetur in aliis conciliis, ut Diospolitano, Arausicano II, etc., adversus Pelagianos

celebratis. Aliunde probavimus aliquod bonum opus morale fieri posse sine gratia. Ergo.

3^o *S. Aug.* Sic enim se habet, Serm. 248 : « Hæc de » cem præcepta nemo implet viribus suis, nisi adjuvetur » gratia Dei. »

4^o *Ratione*. Homo lapsus non potest propriis viribus adimplere opus præstantissimum quod vix implere potuisset homo sanus : atqui observatio totius legis naturalis est opus præstantissimum quod vix implere potuisset homo sanus, cum in eo constituta fuisset perfectio : ergo.

Dices : Lex dicitur naturalis quia vires naturæ non superat : ergo præcepta ejus sine gratia impleri possunt.

R. Dist. ant. Lex dicitur naturalis quia vires naturæ sanæ non superat, *transeat* ; quia vires naturæ lapsæ non superat, *nego ant.* Etenim homo lapsus eadem non potest quæ potuisset in natura integra. Ergo.

Diximus *transeat* ; lex enim non præcise dicitur naturalis quia vires naturæ non superat : sed quia præcepta ejus in natura rerum deprehenduntur fundata, ut talia rationi nostræ plus minusve innotescunt, in conscientia reperiuntur inscripta, et in hoc a lege positiva distinguitur.

Inst. Deus non jubet impossibilia : atqui juberet impossibilia si præcepta legis naturalis sine gratia impleri non possent : ergo.

R. Nego min. Nam Deus gratiam necessariam non denegat. Ergo.

Hinc 1^o homo solis naturæ viribus Deum amore perfecto, etiam naturali, diligere non potest, sed tantum imperfecto, ut S. Th. 1 2, quæst. 109, art. 8, in conclusione docet, dicens : « Homo in statu naturæ integræ non » indigebat dono gratiæ superadditæ naturalibus bonis, » ad diligendum Deum naturaliter super omnia... sed » in statu naturæ corruptæ, indiget homo etiam ad hoc » auxilio gratiæ naturam sanantis. »

Hinc 2^o homo solis naturæ viribus omnes tentationes vitare non potest, alioquin omnia præcepta saltem legis naturalis observare posset. Unde in lib. Sap. viii, 21, Sa-

piens ait : *Ut scivi quoniam aliter non possem esse continens nisi Deus det, adii Dominum;* et Christus apud Matth. XXVI, 41 : *Vigilate et orate ut non intretis in tentationem.*

Hinc 3^o homo solis naturæ viribus vitare non potest omnia peccata mortalia; nam tunc omnia legis naturalis præcepta, saltem gravia, cunctasque graves tentationes vincere posset: at contrarium est demonstratum.

Hinc 4^o homo solis naturæ viribus potest, ex dictis, quædam legis naturæ præcepta observare, et nonnullas tentationes saltem leves superare: ergo quædam vitare potest peccata.

ARTICULUS TERTIUS.

DE NECESSITATE GRATIÆ AD PERSEVERANDUM.

Duplici modo intelligi potest perseverantia justî in gratia, scilicet: 1^o eo sensu quod nec venialiter peccet; 2^o eo sensu quod gratiam sanctificantem per peccatum mortale nunquam amittat, in gratia sanctificante decedat et salvus fiat: quæstio igitur est an, præter gratiam sanctificantem, specialis requiratur gratia actualis, 1^o ad vitanda peccata venialia, 2^o ad vitanda peccata mortalia, et 3^o ad perseverantiam finalem.

§ 1. — An specialis necessaria sit gratia ad vitanda peccata venialia.

Pelagiani, necessitatem gratiæ ad bonum faciendum negantes, tenebant a fortiori hominem justum consuetis gratiæ auxiliis omnia peccata vitare posse: catholici vero fatentur omnia peccata venialia, etiã collective sumpta, ex speciali gratiæ privilegio vitari posse, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia; hocque negari non potest, quia nihil impossibile est Deo: tenent insuper cuncta peccata venialia, seorsim sumpta, consuetis gratiæ auxiliis a justo devitari posse, quia Deus omnibus præcipit ea devitare, et tamen impossibilia non jubet. Restat igitur quæstio de peccatis venialibus collective sumptis, se-

cluso speciali privilegio de quo supra, pro qua solvenda sit

PROPOSITIO.

Homo, consuetis gratiæ auxiliis adjutus, omnia peccata venialia per diuturnum tempus vitare non potest.

Hæc propositio est de fide. *Prob.* insuper Scriptura sacra, testimonio S. Aug. et ratione.

1^o *Est de fide*, saltem si intelligatur de tota vita nostra, ut pote definita in conc. Trident., sess. 6, can. 23 : « Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius » peccare non posse... aut contra, posse in tota vita peccata omnia etiã venialia vitare, nisi ex speciali Dei » privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia; anathema sit. »

Notandum sanctum concilium non definire nos in absoluta versari impossibilitate omnia peccata venialia, etiã seorsim sumpta, vitandi, sed loqui de impotentia morali circa ea collective sumpta per totam vitam, vel, ut inferunt theologi, per longum tempus, et enuntiare factum ex debilitate nostra proveniens.

2^o *Prob. Scriptura sacra.* Eccl. vii, 21 : *Non est homo justus in terra qui faciat bonum et non peccet;* S. Jacob. iii, 2 : *In multis offendimus omnes.* S. Apostolus hic non loquitur de peccatis mortalibus in quæ non omnes ita frequenter labuntur. Ergo 2^o.

3^o *Testimonio S. Aug.* sic habentis in Opere imperfecto contra Julianum, lib. 1, cap. 101 : « Nunc ergo non solum » potest peccare post baptismum, veram etiã quia et » bene reluctans concupiscentiæ carnis, aliquando ab ea » trahitur ad consensionem, et quamvis venialia, tamen » aliqua peccata committit, habet eum semper hic dicat : » *Dimitte nobis debita nostra,* etc. » (t. x, col. 933). Ergo.

4^o *Ratione.* Ad vitanda omnia peccata venialia per diuturnum tempus, necesse foret ut omnes superarentur tentationes, omni ex parte vincerentur superbia, vana gloria, impatientia, gulæ appetitus, sensuum eva-

gatio, negligentia in officiis, tepor in oratione et in servitio Dei, etc.; atqui homo, nisi specialissima adjuvetur gratia, tanti et tam diuturni conatus non est capax. Ita S. Th. 1 2, quæst. 109, art. 8 in conclusione. Ergo 4^o, etc.; aliunde, etc. Ergo.

Dices 1^o: I Joan. III, 9: *Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit.* Ergo, etc.

R. Dist. textum. Peccatum mortale non facit, remansens justus, *conc.*; peccatum veniale, *nego.* Hunc esse sensum Apostoli patet ex contextu, et sic interpretatur Estius.

Dices 2^o: Singula peccata venialia seorsim sumpta possunt vitari: ergo et collective.

R. Nego conseq. Nam major requiritur virtus ad resistendum collectioni tentationum, imo ad resistendum multis successive, quam ad vincendam unam seorsim sumptam: ergo non mirum si speciali indigeamus auxilio ad diu resistendum, quamvis auxilio communi unamquamque tentationem superare possimus. Responsio lucidior fiet exemplo. Miles robustus nullum timebit hostem singularem; sed adversus multos etiam successive dimicare formidaret, atque infallibiliter vinceretur: ergo *a pari*, etc.

Inst. 1^o. Repugnat dari peccatum necessarium: at si omnia peccata venialia vitari nequeunt, datur peccatum necessarium: ergo.

R. Nego min. Nullus de facto omnia vitabit peccata venialia, nisi speciali adjuvetur gratia: at minime inde sequitur aliquod peccatum esse realiter necessarium.

Inst. 2^o. Qui consuetis gratiæ auxiliis utendo, priora vitat peccata venialia, novas obtinet gratias quibus sequentia vitare potest: ergo omnia peccata vitare posset.

R. Nego conseq. Quamvis enim homo, gratiis bene utendo, alias obtineat et majorem habeat facilitatem peccata venialia vitandi, eaque omnia singulatim vitare possit, certum est illum, ut pote infirmum, mobilem, inconstantem, in sensibilia proclivem, multitudine et varietate tentationum obrutum, diu non perseveraturum

sine ullo peccato veniali, saltem ex perturbatione vel ex fragilitate commisso: talis est quippe tristis conditio nostra. Unde semper vigilare et orare debemus, ne peccemus, et semper dicere Deo: *Dimitte nobis debita nostra*; vel cum Apostolo: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus et veritas in nobis non est*, Joan. I, 8.

§ II. — An gratia actualis necessaria sit ad vitanda peccata mortalia.

Non præcise hic quæritur an specialis necessaria sit gratia ad perseverandum in justitia usque in finem: de hac quæstione in paragrapho sequenti agemus; sed quæstio est an, præter gratiam habitualement, homo justus auxilio actuali indigeat ad devitanda singula peccata mortalia, seu ad observanda Dei mandata. Negat P. Thomassin, vir aliunde eruditus valde et commendabilis: contendit gratiam habitualement fieri activam, viresque ad faciendum bonum supernaturale sufficientes homini justo conferre.

PROPOSITIO.

Homo justus, præter gratiam sanctificantem, actuali indiget auxilio ad observanda Dei mandata, ac consequenter ad vitanda peccata mortalia.

Prob. Testimonio S. Aug. et consensu theologorum.
1^o *Testimonio S. Aug.* Sic enim habet, lib. de Natura et Gratia, cap. 26: « Sic mala nostra non ad hoc solum » supernus Medicus sanat, ut illa jam non sint, sed ut » de cætero recte ambulare possimus; quod quidem etiam » sani non nisi illo adjuvante poterimus; » quod confirmat exemplo oculi corporis qui, licet « plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere: » sic homo etiam plenissime justificatus, nisi æterna » luce justitiæ divinitus adjuvetur, recte non potest vivere. » Ergo 1^o.

2^o *Consensu omnium theologorum*, post S. Thomam qui

hanc doctrinam expresse tradit in 1 2, q. 109. art. 9.

Insuper hæc propositio aperte sequitur ex iis quæ diximus de necessitate gratiæ ad omne opus bonum supernaturale agendum, et ad implenda omnia legis naturalis præcepta, etiam pro homine justo; imo et pro Adamo in statu justitiæ originalis. Auxilium enim cujus necessitatem probavimus evidenter exhibetur in textibus citatis ut gratia actualis, a gratia sanctificante distincta.

§ III. — De necessitate gratiæ ad perseverantiam finalem.

Sub duplici respectu considerari potest perseverantia, ut passiva, scilicet, et ut activa: ut passiva, si cooperationem hominis non requirat; v. g., si infans post baptismum, vel adultus statim post justificationem decedat: ut activa autem, ubi cooperatio hominis requiritur.

Semipelagiani fatebantur perseverantiam sub priori respectu spectatam, esse donum Dei speciale, quia solius est Dei efficere ut quis ante justificationem non moriatur, et post adeptam justificationem, ante usum rationis vel ante peccatum decedat, juxta Sapientiæ, IV, 11, verba: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus aut ne fictio deciperet animam illius.*

Quæstio est igitur an specialis requiratur gratia, ut homo justificatus in justitia active perseverare possit, et de facto perseveret usque in finem. Negabant Semipelagiani, asserentes gratias consuetas sufficientes dare vires justo ad perseverandum usque in finem.

Catholici vero docent, præter gratias consuetas, speciale requiri donum Dei gratuitum, ut homo justificatus omnes vincat tentationes, cuncta devitet mortalia peccata et in justitia perseveret usque ad finem. Hoc autem donum, de quo disputant theologi, nobis videtur, ex textibus afferendis, præsertim ex verbis S. Cælestini, esse præparatio gratiarum efficacium quibus constituitur in statu justitiæ et in eo servatur; non est idem pro omnibus, v. g., pro iis qui perseverant diu in justitia sine

lapsu, et pro iis qui, a lapsibus resurgentes, in sanctitate moriuntur. Per gratias *efficaces* hic, ut in aliis locis, intelligimus eas quæ suum obtinent effectum, et de modo quo id fit ab omnique circa earum naturam systemate abstrahimus.

PROPOSITIO.

Ad perseverandum active usque in finem, præter gratiam habitualem, specialis requiritur gratia.

Prob. Illa propositio admittenda est quæ est de fide, probatur SS. Patribus et ratione: atqui propositio nostra, etc.

1° *Est de fide.* Conc. Trid., sess. 6, can. 22: « Si quis » dixerit justificatum, vel sine speciali auxilio Dei, in » accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse; » anathema sit. »

Sic pariter definiat Cælestinus papa, Epist. ad Galliarum episcopos, ad calcem, t. x S. Aug. p. 132, dicens « neminem etiam baptismatis gratia renovatum, idoneum esse ad superandas diaboli insidias et vincendas » carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei perseverantiam bonæ conversationis acciperit. »

2° *Prob. ex SS. Patribus.* S. Aug., lib. de Corrept. et Grat., cap. 6: « Negare non possumus etiam perseverantiam in bono proficientem usque in finem, magnum » esse Dei munus; nec esse nisi ab illo de quo scriptum » est: *Omne datum optimum et omne donum perfectum, etc.* » Idem S. Doctor librum integrum de Dono perseverantiæ scripsit; cæteri Patres ipsi consentiunt. Ergo 2°.

3° *Ratione.* Illa gratia dicitur specialis quæ non omnibus, sed aliquibus duntaxat conceditur: atqui gratia perseverantiæ finalis non omnibus, sed solis prædestinatis conceditur: ergo 3°.

Unde gratia sufficiens ad perseverandum datur omnibus, ideoque dici potest ordinaria; gratia efficax per-

severantiæ solis conceditur electis ; idcirco vocatur specialis. *De his infra fustius dicemus.*

Dices 1° : Si perseverantia sit speciale donum Dei omnino gratuitum et efficax, qui non perseverant, donum istud non habent : ergo non culpandi sunt.

R. Nego conseq. Illi enim merito culpantur qui potuissent perseverare et non perseverarunt : atqui omnes iusti possunt perseverare ; bene utendo enim gratiis consuetis, donum perseverantiæ finalis obtinerent, quod sic docet conc. Trid., sess. 6, cap. 13 : « Deus enim, nisi » ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, » ita perficiet, operans velle et perficere. » Ergo.

Dices 2° : Si perseverantia sit donum Dei gratuitum, vana est sollicitudo pro salute, vanus labor, vana correptio, etc. Ergo.

R. Nego ant. Licet enim dona Dei sint gratuita, juxta quasdam sapientiæ regulas conceduntur : præcibus ac bonis operibus de congruo obtineri, sicut et malis actibus ac gratiarum abusu repellere possunt. Ergo, etc.

CAPUT QUARTUM.

DE VARIIS GRATIÆ SPECIEBUS.

Sufficienter jam diximus de gratia actuali et de gratia habituali : præcipue nunc tractandum est de gratia sufficienti et de gratia efficaci, ad quas cæteræ species seu divisiones referuntur.

ARTICULUS PRIMUS.

DE GRATIA SUFFICIENTI.

Gratia sufficiens ea est quæ veram et expeditam dat potestatem agendi, licet effectus non sequatur. Duplici modo gratia potest esse sufficiens, scilicet proxime et re-

mote. Gratia est proxime sufficiens quando dat immediate potestatem aliquid faciendi, v. g., tentationem urgentem vincendi. Est vero remote sufficiens si dat tantum media obtinendi potestatem expeditam aliquid faciendi : talis est gratia orationis, qua bene utendo, potestatem vincendi tentationem obtinere valeamus.

Dicemus 1° de existentia gratiæ sufficientis, et 2° de illius distributione.

§ 1. — De existentia gratiæ sufficientis.

Lutherus, Calvinus, Jansenius et *Quesnel*, contententes, ut vidimus in parte historica, omnem gratiam effectum suum necessario consequi, gratiam sufficientem rejecerunt : imo Jansenius eam suggillat, « veluti monstrum quoddam singulare gratiæ, solummodo peccatis » faciendis majorique damnationi accersendæ serviens, » lib. 3 de Gratia Salv., cap. 3. Admittit tamen gratias parvas quæ simul cum concupiscentia dominante existunt, et sunt velut reliquiæ delectationis cœlestis : eas vocat sufficientes, quia in aliis circumstantiis, si nempe debilior esset delectatio carnalis, sufficerent.

PROPOSITIO.

In præsenti rerum statu datur gratia sufficiens, etiam relative ad præsentes circumstantias.

Prob. Scriptura sacra, conciliis, auctoritate summorum Pontificum, SS. Patribus et ratione.

1° *Scriptura sacra.* Prov. 1, 24 : *Vocavi, et renuistis ; extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo et subsannabo.*

Isai. v, 3 : *Viri Juda, judicate inter me et vineam meam. Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci ei ? An quod exspectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas ?* 7 : *Vinea enim Domini exercituum domus Israel est.*

severantiæ solis conceditur electis ; idcirco vocatur specialis. *De his infra fustius dicemus.*

Dices 1° : Si perseverantia sit speciale donum Dei omnino gratuitum et efficax, qui non perseverant, donum istud non habent : ergo non culpandi sunt.

R. Nego conseq. Illi enim merito culpantur qui potuissent perseverare et non perseverarunt : atqui omnes iusti possunt perseverare ; bene utendo enim gratiis consuetis, donum perseverantiæ finalis obtinerent, quod sic docet conc. Trid., sess. 6, cap. 13 : « Deus enim, nisi » ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, » ita perficiet, operans velle et perficere. » Ergo.

Dices 2° : Si perseverantia sit donum Dei gratuitum, vana est sollicitudo pro salute, vanus labor, vana correptio, etc. Ergo.

R. Nego ant. Licet enim dona Dei sint gratuita, juxta quasdam sapientiæ regulas conceduntur : præcibus ac bonis operibus de congruo obtineri, sicut et malis actibus ac gratiarum abusu repelli possunt. Ergo, etc.

CAPUT QUARTUM.

DE VARIIS GRATIÆ SPECIEBUS.

Sufficienter jam diximus de gratia actuali et de gratia habituali : præcipue nunc tractandum est de gratia sufficienti et de gratia efficaci, ad quas cæteri species seu divisiones referuntur.

ARTICULUS PRIMUS.

DE GRATIA SUFFICIENTI.

Gratia sufficiens ea est quæ veram et expeditam dat potestatem agendi, licet effectus non sequatur. Duplici modo gratia potest esse sufficiens, scilicet proxime et re-

mote. Gratia est proxime sufficiens quando dat immediate potestatem aliquid faciendi, v. g., tentationem urgentem vincendi. Est vero remote sufficiens si dat tantum media obtinendi potestatem expeditam aliquid faciendi : talis est gratia orationis, qua bene utendo, potestatem vincendi tentationem obtinere valemus.

Dicemus 1° de existentia gratiæ sufficientis, et 2° de illius distributione.

§ 1. — De existentia gratiæ sufficientis.

Lutherus, Calvinus, Jansenius et *Quesnel*, contendentes, ut vidimus in parte historica, omnem gratiam effectum suum necessario consequi, gratiam sufficientem rejecerunt : imo Jansenius eam suggillat, « veluti monstrum quoddam singulare gratiæ, solummodo peccatis » faciendis majorique damnationi accersendæ serviens, » lib. 3 de Gratia Salv., cap. 3. Admittit tamen gratias parvas quæ simul cum concupiscentia dominante existunt, et sunt velut reliquiæ delectationis cœlestis : eas vocat sufficientes, quia in aliis circumstantiis, si nempe debilior esset delectatio carnalis, sufficerent.

PROPOSITIO.

In præsenti rerum statu datur gratia sufficiens, etiam relative ad præsentes circumstantias.

Prob. Scriptura sacra, conciliis, auctoritate summorum Pontificum, SS. Patribus et ratione.

1° *Scriptura sacra.* Prov. 1, 24 : *Vocavi, et renuistis ; extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo et subsannabo.*

Isai. v, 3 : *Viri Juda, judicate inter me et vineam meam. Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci ei ? An quod exspectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas ?* y. 7 : *Vinea enim Domini exercituum domus Israel est.*

Matth. XXIII, 37 : *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas... quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluiti?*

Act. VII, 51 : *Dura cervice, inquit S. Stephanus Judæis, et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis.*

Multa alia testimonia citari possent: atqui hæc certe sufficiunt: numquid enim Deus exprobrare potuisset Judæis quod non fuissent conversi, vineæ quod non faceret uvas, etc., si gratia sufficiens relative ad præsentem circumstantias ipsis oblata non fuisset? Ergo.

2^o *Conciliis*. Conc. Arausic. II, can. 25 : « Hoc secundum fidem catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante et cooperante, quæ ad salutem animarum pertinent, possint ac debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere. » Omnes igitur habent potestatem expeditam adimplendi quæ necessaria sunt ad salutem; non omnes tamen ea adimplent. Ergo.

Conc. Trid., sess. 6, cap. 11, sic habet : « Deus impossibile non jubet, sed jubendo monet facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis. » Ergo omnes mandata Dei implere possunt: unde qui ea transgrediuntur, gratiæ resistunt. Ergo.

3^o *Auctoritate summorum Pontificum*, nempe Innocentii X, Alexandri VII et Clementis XI, qui quinque Jansenii Propositiones damnaverunt, inter quas prima tenet aliqua Dei mandata esse impossibilia, atque gratiam deesse qua fierent possibilia, et secunda docet gratiæ interiori nunquam resisti: ergo gratia, qua mandata Dei sine ulla exceptione fiunt possibilia, nunquam deest: atqui tamen multa non servantur; gratiæ interiori resistitur: ergo 3^o.

4^o *Ex SS. Patribus*, et præsertim ex sancto Aug. ab adversariis præ cæteris æstimato, lib. de Natura et Gratia, cap. 69 : « Valde autem bona sunt præcepta si legi time eis utamur. Eo quippe ipso quo firmissime cre-

ditur Deum justum et bonum impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur et in facilibus quid agamus, et in difficilibus quid petamus. » Unde sic: Omnia præcepta Dei sine gratia implere non possumus: atqui omnia implere debemus, nec tamen implemus: ergo dantur gratiæ sufficientes, quibus resistitur. Ergo 4^o.

5^o *Ratione*. Si gratiæ nunquam resistatur, dicendum est 1^o Deum salutem electorum duntaxat velle, quod est hæreticum, *ut infra ostendemus*; 2^o hominem justum omne bonum sibi possibile semper facere, quod repugnat et principium meriti destruit: ergo fatendum est dari gratias sufficientes quæ carent effectu: ergo 5^o, etc.; aliunde, etc. Ergo.

Omnes catholici doctores, post S. Th. 1 2, q. 106, art. 2, ad 2, hanc unanimi ore docent propositionem tanquam de fide. Attamen *Billuart* et *Dens* dicunt non videri eam *salva fide* negari posse, non vero eam expresse tradunt ut de fide, probabiliter quia illam non invenerunt directe definitam.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1^o. Plurimi Scripturæ textus gratiæ sufficienti opponuntur, v. g., Joan. VI, 45 : *Omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad me*. Rom. IX, 19 : *Voluntati ejus quis resistit?* Ibidem, f. 18 : *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*. Philipp. II, 13 : *Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere*. Ergo.

R. Nego ant. et quoad exempla citata, dico illos textus aliosque similes præbare quidem dari gratias efficaces, et insuper omnem gratiam ex parte Dei omnino gratuitam esse: hoc autem utrumque non negamus, sed e contra illud fide credendum esse docemus. At nihil inde contra propositionem nostram concludi potest. Ergo.

Obj. 2^o. S. Aug., lib. 8 de Prædestinatione sanctorum, cap. 8, prædicta Christi verba, *Omnis qui audivit a Patre, etc.*, referens, addit: *Profecto omnis qui non venit, non audivit a Patre, nec didicit; nam si audiisset et*

» didicisset, veniret. » Ergo non datur gratia sufficiens quæ effectu careat.

R. Nego conseq. Etenim S. Doctor ibi loquitur de gratia efficaci quæ prædestinatis datur, et effectum, tum in hac, tum in altera vita consequitur; sed in pluribus aliis locis loquitur de gratia quæ effectu frustratur, quæ igitur ad sensum propositionis nostræ dicenda est sufficiens; v. g., in lib. de Correctione et Gratia, cap. 7: « Homo, in eo quod audieras et tenueras, in eo perseverares, si velles: » ergo, etc.

Inst. S. Doctor dicit, ibid. cap. 12, primo homini necessarium fuisse adjutorium *sine quo* perseverare non potuisset, nunc vero justis necessarium esse adjutorium *quo* perseverent: ergo, si in statu innocentiae existerent gratiæ sufficientes, nunc omnes sunt efficaces.

R. Nego conseq. S. Aug. ibi adhuc de gratia efficaci loquitur: verum gratias sufficientes non excludit; imo eas supponit. Adjutorium enim sine quo primus homo perseverare non potuisset, erat gratia sufficiens, siquidem de facto non perseveravit; adjutorium autem quo perseveramus, est gratia efficax: ergo.

Obj. 3°. Pelagiani reprehensi sunt eo quod admitterent adjutorium possibilitatis: atqui gratia sufficiens est merum possibilitatis adjutorium, siquidem nunquam obtinet effectum: ergo.

R. Nego minorem ad sensum objecti. Per gratiam seu adjutorium possibilitatis Pelagiani intelligebant 1° naturam et liberum arbitrium, 2° legem et doctrinam, 3° exemplum Christi ejusque imitationem, 4° ad summum quamdam mentis illustrationem admittebant, et 5° dicebant adjutorium illud non absolute necessarium esse ad bonum, sed tantum ad facilius operandum. Porro ingens datur discrimen inter hujusmodi adjutorium et gratiam sufficientem, ad sensum catholicorum a nobis expositum; hæc enim gratia ipsam movet voluntatem, et ita necessaria est, ut, ea seclusa, potestatem bonum agendi non haberemus. Ergo.

Obj. 4°. Nunquam petitur a Deo gratia sufficiens, sed

gratia quæ operatur in nobis velle et perficere: atqui *Lex supplicandi statuit legem credendi*, inquit papa Cælestinus in Epistola ad episcopos Galliarum; id est, id credere non tenemur quod postulare non auderemus, aut, vice versa, credere licet quod licite postulatur: ergo.

R. Dist. maj. Nunquam petitur a Deo gratia sufficiens quæ in mente nostra effectu suo carere debeat, *conc.*; quæ veram det nobis potestatem bonum agendi, *nego maj.* Omnis enim gratia quæ veram nobis dat potestatem bonum agendi est in se bona; effectum non habet, quia cum ea operari nolumus: ergo eam petere possumus.

Inst. 1°. Gratia quæ perniciosa est, a Deo postulari non potest: atqui gratia mere sufficiens perniciosa est: ergo.

R. Nego min. Gratia quæ sub omni respectu bona est et optimos habere potest effectus, perniciosa dici non potest: atqui talis est gratia sufficiens: ergo.

Inst. 2°. Gratia sufficiens nunquam habitura est effectum, æternam damnationem non impedit: ergo vero perniciosa est, et merito dici potest: *A gratia sufficienti libera nos, Domine.*

R. Nego conseq. Si enim gratia sufficiens effectum nunquam sit consecutura, id ex culpa hominis, non vero ex ipsamet gratia repetendum est. Unde Alexander VIII merito sequentem damnavit propositionem, anno 1690: « Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis quam » perniciosa est: sic ut merito possimus petere: *A gratia sufficienti libera nos, Domine.* »

Obj. 5°. Gratia est instrumentum divinæ voluntatis: atqui divinæ voluntati resisti non potest: ergo nulla est gratia cui resisti possit.

R. Dist. min. Voluntati Dei absolutæ resisti non potest, *conc.*; voluntati conditionatæ, *nego min.* Quæ enim Deus vult absolute, ea certo obtinet, et nulla vis humana eum cohibere potest: at multa sunt quæ vult tantum conditionate, *ut alibi ostendemus*, et tunc non repugnant homines hujusmodi voluntati resistere. Ipsimet adversarii hoc nobiscum fateri coguntur; admittunt enim parvas

gratias quæ in aliis circumstantiis sufficientes essent : illæ autem gratiæ sunt instrumentum voluntatis Dei : atqui tamen eis resistitur : ergo non repugnat dari gratias quibus homo resistere possit.

§ II. — De distributione gratiæ sufficientis.

Nunc inquirendum occurrit quibus gratia sufficiens concedatur : 1^o an omnibus justis ; 2^o an peccatoribus ; 3^o an infidelibus ; 4^o an concessa fuerit Judæis ante Christum ; 5^o an ipsis parvulis ; 6^o tandem, an Deus sincere velit omnes homines salvos fieri et an Christus pro omnibus mortuus sit.

SECTIO PRIMA. — An gratia sufficiens concedatur omnibus justis.

Negant Lutherani, Calvinistæ, Jansenistæ eorumque asseclæ, ut exposuimus in parte historica.

PROPOSITIO.

Gratia proxime vel saltem remote sufficiens datur omnibus justis, urgente præcepto.

Prob. Illa propositio tenenda est quæ est de fide, probatur Scriptura sacra, conciliis, auctoritate S. Aug. et ratione : atqui talis est propositio nostra.

1^o *Est de fide* ; fuit enim definita in conc. Trident., sess. 6, can. 18, his verbis : « Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam justificato, sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia ; anathema sit. » Est insuper contradictoria primæ propositioni Jansenii, *Aliqua Dei præcepta*, etc. : atqui prima propositio Jansenii damnata est ut hæretica : ergo.

2^o *Prob. Scriptura sacra.* I Cor. x, 13 : *Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* At si gratia quandoque deesset justis, Deus

pateretur eos tentari supra id quod possent, ut evidens est. Neque dicant Jansenistæ hæc verba ad solos prædestinatos dirigi ; Apostolus enim loquitur omnibus Corinthiis, *non patietur vos tentari*, et immediate post textum citatum, *propter quod, charissimi mihi*, inquit, *fugite ab idolorum cultura.* Porro non intelligebat omnes Corinthios futuros esse electos : ergo.

3^o *Conciliis.* Conc. Arausicano II, can. 25 citato, et conc. Trident., sess. 6, cap. 11 : « Deus sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur. » Ergo 3^o.

4^o *Auctoritate S. Aug.*, lib. de Natura et Gratia, cap. 26 : « Deus cum justificat impium, et cum ad perfectam sanitatem, hoc est, ad perfectam vitam justitiamque perduxerit, non deserit, si non deseratur, ut pie semper justeque vivatur. » Nihil clarius desiderari potest. » Ergo 4^o.

5^o *Ratione.* Præcepta divina semper obligant, alioquin non essent præcepta : atqui repugnat ea obligare, et potestatem illa implendi non existere : ergo saltem justis semper datur gratia sufficiens.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1^o Joan. vi, 44 : *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Unde sic : Non omnes justi sic trahuntur ad Christum : ergo non omnes habent gratiam sufficientem ut ad illum venire possint.

R. 1^o Verba citata non magis de justis quam de peccatoribus intelligenda sunt : imo ad peccatores magis referenda esse videntur.

R. 2^o *Dist. ant.* Non omnes ita trahuntur de facto, quia Deum eos gratia sua prævenientem sequi nolunt, *conc.* ; secus, *nego ant.* Etenim verbum *trahere* hic non accipiendum est quasi vim inferret, aut necessitatem, ut volunt hæretici, imponeret, sed eo sensu quod necesse sit Deum nos prævenire, quemadmodum dicitur Luc. xiv, 24, *compelle intrare*, id est, eos vehementer exhortare ;

vel, *trahit sua quemque voluptas*, id est, fortiter allicit. Porro justis resistere possunt et sæpe resistunt gratiæ qua Deus eos prævenit et sollicitat : ergo.

Obj. 2º. Petrus antequam Christum negaret erat justus, juxta hæc Christi verba, Joan. xiii, 10 : *Vos mundi estis, sed non omnes* : solus quippe excipiebatur Judas, ut ex versu sequenti patet : atqui gratia defuit Petro, ut constat tum his verbis Christi, Joan. xiii, 36 : *Non potes me modo sequi ; sequeris autem postea* ; tum ex S. Chrysost., Homil. 73 in Joan. : « Christus deseruit (Petrus) ut suam » edisceret infirmitatem ; » tum ex S. Aug., Serm. 79 : « Quid est homo sine gratia, nisi quod fuit Petrus cum » negaret Christum ? Et ideo beatum Petrum paululum » Dominus subdeseruit, ut in illo totum humanum ge- » nus posset agnoscere nihil se sine Dei gratia prævale- » re. » Ergo gratia justis, etiam urgente præcepto, aliquando deest. Ita Jansenius et præsertim doctissimus *Arnauld*, in opere dicto *Dissertation sur la grâce efficace*.

R. 1º. *Negari potest major* ; plures enim Patres et Scripturæ interpretes censent Petrum, qui justus erat quando Christus dixit, *Vos mundi estis*, a justitia excidisse peccato præsumptionis et aliorum despectionis, cum fidenter responderit : *Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor... Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo*, Matth. xxvi, 33 et 35. Ita S. Chrysost. et S. Aug.

R. 2º. *Dist. min.* Defuit Petro gratia efficax, vel ad summum proxime sufficiens, *conc.* ; gratia etiam remote sufficiens, *nego minorem*. Si enim Petrus timorem animi deposuisset, et ad Creatorem supplex confugisset, donum perseverantiæ obtinisset, quod sic agnoscit ipse S. Aug., lib. de Unitate Ecclesiæ, cap. 9 : « Quis enim dubitave- » rit quod Judas Christum, si voluisset, non utique tradi- » disse, et Petrus, si voluisset, ter Dominum non negas- » set ? sed ideo fuit de istis certa prædictio, quia et Deus » etiam futuras prævidet voluntates. » Sic naturaliter explicantur textus S. Chrysost. et S. Aug. nobis objecti. Notandum insuper Sermonem 79 citatum S. Augusti-

tino falso adscribi, et ideo ad appendicem a Patribus Benedictinis remissum fuisse.

Verba autem Christi ad Petrum, *Non potes me modo sequi*, non ad præceptum confitendi Christum, sed ad mandatum moriendi pro Christo, quod tunc non urgebat, referenda sunt ; quæsierat enim Petrus a Christo : *Domine, quo vadis* ? Repondit Christus : *Quo ego vado, non potes me modo sequi ; sequeris autem postea*. Id est : Nunc tibi non datur mori pro me, sed morieris postea : atqui hæc verba sic intellecta minime arguunt gratiam sufficientem deesse. Ergo.

Obj. 3º. S. Aug., lib. de Dono perseverantiæ, cap. 22, hanc expendit propositionem : « Et si qui obeditis, si præ- » destinati estis rejiciendi, subtrahentur obediendi vires, » ut obedire cessetis, » eam judicat tantummodo populi offensivam, et vult ut in tertia persona exprimatur, *si qui autem obediunt*, etc. Ergo verum est vires obediendi aliquando ipsis justis subtrahi.

R. 1º. *Nego ant.* Nam S. Doctor de propositione quam expendit sic pronuntiat : « Res enim non optabilis, sed » abominabilis dicitur, et durissime atque odiosissime » quasi in audientiam frontem compellendo colliditur. » At propositio de qua hæc pronuntiat, non tantummodo ut offendens habetur, sed ut, saltem aliquo modo, pravum sensum exhibens. Ergo.

R. 2º. *Dist. conseq.* Verum est vires obediendi subtrahi, id est, vires efficaces, *conc.* ; vires sufficientes, *nego conseq.* Non enim repugnat vires efficaces subtrahi ipsis justis, nempe iis qui gratis sufficientibus non bene utuntur. In verbis autem citatis aut in aliis mitioribus quæ merito proponit, S. Aug. non dicit vires subtrahendas esse justis, quia *prædestinati sunt rejiciendi* ; sed dicit annuntiarum eis subtractionem ex defectu præviæ cooperationis ; hunc defectum ipsamet prædestinatio supponit et non facit. Sicut præscientia divina, licet infallibilis, libertati humanæ non officit, sic nec prædestinatio, licet cogitatum nostro sit incomprehensibilis, et primo aspectu multos offendat : ergo.

Eadem distinctione explanantur alia verba ejusdem Doctoris, quibus dicit adjutorium quo justus perseverare posset, ipsi deesse in pœnam peccati, lib. de Correctione et Gratia, cap. 11; hoc est, gratiam perseverantiæ denegari iis qui gratiis sufficientibus recte non utuntur.

Unde S. Prosper, Resp. ad capitula Gallorum calumniantium, Resp. 12, ait: « Vires itaque obedientiæ non » ideo cuiquam subtrahit, quia eum non prædestinavit; » sed ideo eum non prædestinavit, quia recessurum ab » ipsa obedientia esse prævidit. » (*Op. S. Aug. ad. cate.* t. x, p. 204.)

Inst. S. Aug., lib. de Correctione et Gratia, cap. 8, ait: « Si confiteris donum Dei esse perseverare in bono usque » in finem, cur hoc donum ille accipiat, ille non acci- » piat? Puto quod mecum pariter nescis, et ambo hic » inscrutabilia judicia Dei penetrare non possumus. » At si omnibus adessent gratiæ sufficientes, nihil inscrutabile esset in dono perseverantiæ, cum supponeret in uno liberum assensum gratiæ, et in altero illius abusum. Ergo.

R. Nego min. Nihil enim inscrutabilius est quam concordia inter donum perseverantiæ ex parte Dei omnino gratuitum, et actum hominis prorsus liberum in assentiendo gratiæ; cur e duobus justis æqualiter Deo placentibus, unus statim moritur et salvus fit, alter diu vivit et damnatur; unus tentatur et peccat; alter similiter peccasset, sed a tentatione custoditus perseverat; cur uni datur gratia adeo abundans et in talibus circumstantiis ut infallibiliter assensum ejus obtineat, non autem alteri, etc.? Merito certe cum divo Augustino, in eo præcise loco, exclamare possumus, verbis Apostoli utendo: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus et investigabiles viæ ejus!* Rom. xi, 33. Ergo.

Obj. 4º. Multa sunt peccata ignorantæ aut inadvertentiæ: at si omnibus præsto essent gratiæ sufficientes, nulla existerent peccata ignorantæ et inadvertentiæ, siquidem gratia est illuminatio intellectus et motio voluntatis: ergo.

R. Nego min. Nam multæ gratiæ sunt remote tantum sufficientes; si negligantur, gratiæ proxime sufficientes non obtinentur, et tunc ex inadvertentiâ, vel etiam ex ignorantia in causa sua voluntaria, proindeque culpabili, peccatur. Ergo.

SECTIO SECUNDA. — An gratia sufficiens detur omnibus peccatoribus.

Certum est 1º gratiam conversionis non omni momento et loco paratam esse peccatoribus, præsertim obduratis, sicut gratia perseverantiæ paratur justis: unde, ait Psalmista, Ps. xciv, 8: *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra;* et Osee, iv, 14: *Non visitabo super filias vestras, cum fuerint fornicatæ.* Sic omnes theologi, cum S. Thom. 22, q. 2, art. 5, ad 1.

Certum est 2º Deum peccatores obduratos deserere posse, sicut illos e vita eripere potest, tempore quo infallibiliter damnandi sunt.

Certum est 3º de iis qui in infidelitate, hæresi aut simili conditione vivunt, dici non posse quod non ipsis detur gratia sufficiens. Alexander VIII, per decretum 7 decemb. 1690, sequentem damnavit propositionem, nº 5: « Pagani, Judæi, hæretici, aliique hujus generis, nullum » omnino a Jesu Christo accipiunt influxum; adeoque » hinc recte inferes in illis esse voluntatem nudam et » inermem sine ulla gratia sufficiente. » *Curs. compl. Theol.* t. vi, col. 726.

Nunc igitur quæstio est an peccatoribus etiam obduratis semper præsto sit gratia saltem remote sufficiens, urgente præcepto; an vero quidam peccatores in pœnam peccati omni destituantur gratia sufficienti, saltem aliquando. Nonnulli theologi affirmant, cæteri vero contrarium tenent, quibuscum sit

PROPOSITIO.

Peccatoribus etiam obduratis, urgente præcepto supernaturali, datur vel offertur gratia saltem remote sufficiens.

Prob. Scriptura sacra, conciliis, S. Aug. et ratione.

1^o *Scriptura sacra.* Ezech. xxxiii, 11 : *Nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat;* II. Petr. iii, 9 : *Dominus patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* His verbis semper hortari possumus ipsos impios ad pœnitentiam : atqui frustra hortaremur ad pœnitentiam, si gratia sufficienti quandoque destituerentur : ergo.

2^o *Conciliis.* Valentinum III, can. 22, definit « malos » non perire quia boni esse non potuerunt, sed quia boni « esse noluerunt; » Arausic. II, jam citatum, can. 25, asserens omnes baptizatos, sine ulla exceptione, ea quæ ad salutem pertinent, auxiliante ac cooperante Christo, adimplere posse, et Tridentinum, sess. 6, cap. 11, generale emittit principium, dicens : *Deus impossibilia non jubet* : atqui Deus impossibilia juberet, si, urgente præcepto supernaturali, gratia sufficiens aliquando peccatoribus obduratis deesset; nam tunc jubet ut peccatores hujusmodi convertantur et salvi fiant : ergo 2^o.

3^o *S. Aug.*, Enarrat. in Ps. vi, n. 8 (t. iv, col. 26), loquens de iis qui a Deo in reprobum sensum traditi sunt, ait : « Nam ea est cæcitas mentis. In eam quisquis datus » fuerit, ab interiori Dei luce secluditur, sed nondum » penitus, cum in hac vita est. » Ergo juxta S. Doctorem, aliqua gratia saltem remota cunctis parata est peccatoribus etiam obcæcatis. Ergo 3^o.

4^o *Ratione.* 1^o Obdurati peccant conversionem suam differendo, quando aliquod urget præceptum Dei adimplendum : atqui non peccarent, si omni gratia etiam remota sufficienti carerent; nemo quippe in eo peccat, quod nullo modo cavere potest. 2^o In hac vita nullus est homo cui non debeamus fiduciam inspirare, eum ad conversionem exhortando : at, sententia adversariorum nostrorum semel admissa, quid dicere possemus nonnullis peccatoribus dicentibus majora esse sua peccata ut veniam sperare queant? Ergo.

Notandum est eos qui ad conversionem excitantur, sive auxilio externo, ut aliqua lectione, exhortatione; sive auxilio interno, v. g., timore judiciorum Dei, eo ipso

gratias saltem remote sufficientes habere; alioquin dicendum foret hujusmodi adminicula, quæ veræ sunt gratiæ, obduratis concedi ad ipsos magis peccatores reddendos, quod Deo est indignum et repugnat.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1^o. In Exod. vii, 3, Deus dicit de Pharaone : *Indurabo cor ejus;* et in Evangelio S. Joan. xii, 39 et 40, legitur : *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias : Excæcavit oculos eorum et induravit cor eorum, ut non videant oculis, et non intelligant corde, et convertantur et sanem eos.* Ergo Deus nonnullis saltem peccatoribus omnem subtrahit gratiam.

R. Nego conseq. Ex his namque textibus solummodo inferri potest Deum aliquando gratiam efficacem, aut ad summum gratiam proxime sufficientem iis denegare qui gratia remote sufficienti abutuntur : at certum est hujusmodi gratias speciales sæpe denegari iis qui prima gratia non recte utuntur; ergo inde non sequitur aliquos esse induratos quibus omnis gratia sufficiens subtrahatur.

Deus autem cor Pharaonis induravit, juxta S. Aug. in Exodum, l. 5, quæst. 24 (t. iii, part. 1, col. 428), eum patienter tolerando : nam « patientia Dei, *inquit*, secundum corda hominum, quibusdam utilis ad pœnitendum, quibusdam inutilis ad resistendum Deo et in malo » perseverandum. »

Quoad verba Christi apud Joan. *non poterant credere, etc.* « Quare non poterant, si a me quærat, » *inquit S. Aug.*, Tract. 53 in Joan., n. 6, « cito respondeo, quia nolent. » Ergo S. Doctor non arbitratus est eos omni gratia sufficienti destitutos esse.

Ad majorem textuum nobis objectorum aliorumque similium intelligentiam, notandum est Deum sua providentia cunctas in quibus versamur circumstantias determinare : porro multi ita dispositi sunt, ut in talibus circumstantiis, licet bonis, certo obdurandi et excæcandi sint, dum in aliis illuminati fuissent; eo sensu Deus dicitur illos obdurare et excæcare; sicque accidit ut non vi-

deant, nec intelligant, nec convertantur, nec sanentur; nam particula *ut* non designat finem ab agente intentum, sed effectum inde manantem, ut notant Patres et Scripturæ interpretes.

Unde sensus textuum est Deum permisisse eos ita excæcari, ut nec viderent nec intelligerent, etc.

Obj. 2º. Conc. Trid., sess. 6, cap. 11, verbis S. Aug. utens, dicit: « Deus namque sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur. » Ergo sunt qui revera deseruntur.

R. Dist. conseq. Sicut qui revera deseruntur quoad gratiam efficacem, vel quoad gratiam proxime sufficientem, *concedo*; eo sensu quod nec gratiam remote sufficientem habeant, *nego conseq.* Hæc distinctio patet ex dictis.

Obj. 3º. S. Aug., Ep. ad Sixtum: « Nec obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam. » Ergo obdurati carent gratia sufficienti.

R. Nego conseq. Nam textus S. Aug., sicut alii plures, intelligendus est de subtractione gratiæ efficacis aut proxime sufficientis, ut jam diximus. Semper retinenda est hæc distinctio, et aliæ ejusdem generis difficultates evanescent.

Inst. Idem S. Doctor, Exposit. in Epist. ad Rom. II, 62: « Non ergo illi (Pharaoni) imputabatur quod tunc non obtemperaret, quandoquidem, obdurato corde, obtemperare non poterat, sed quia dignum se præbuit cui cor obduraretur priori infidelitate. » Nihil clarius desiderari potest: ergo sunt obdurati quibus ipsa gratia remote sufficiens deest.

R. Nego conseq. Impossibilitas enim de qua loquitur S. Doctor, est in sensu composito; id est, Pharaon, in quantum obduratus, jam proximam non habebat potentiam obtemperandi; sed orare poterat, reflectere, mirabilia Dei considerare, pœnitere, sicque duritiam cordis deponere et obtemperare: unde actus ex obduratione procedentes ipsi revera imputabiles erant, et S. Aug. contrarium dicere noluit, quamvis ipsius verba dura sint: aut si contrarium dixit, se retractavit, ut putat Bellarminus; alioquin

evidenter sibi contradixisset, cum in multis locis semper docuerit obduratos peccare et libere peccare. Ergo.

Obj. 4º. Si quibuslibet peccatoribus semper affulgeat spes conversionis, cunctis criminibus aperitur via: ita *Sismondi*. Ergo.

R. Nego ant. Ubique enim in Scriptura et in Ecclesiæ doctrina pessimus prædicitur finis peccatoribus inveteratis, et quotidiana experientia has tremendas prædictiones confirmat. Ergo.

Insuper, iis peccatoribus venia non promittitur, nisi vere et ex intimo corde de peccatis a se admissis contemnerantur. Quomodo dici potest hanc doctrinam viam cunctis criminibus aperire?

SECTIO TERTIA. — An gratia sufficiens detur infidelibus.

Duplicis generis distinguuntur infideles, positivi scilicet et negativi. Illi dicuntur positivi, qui prædicationem Evangelii audierunt et non crediderunt, vel audire contempserunt ne crederent: illi vero sunt negativi, qui de Evangelio nihil unquam audierunt.

Certum est 1º infideles positivos quandoque habere gratiam sufficientem eique resistere, ut S. Stephanus Judæis exprobrabat: *Vos semper Spiritui sancto resistitis*, Act. VII, 51.

Certum est 2º infideles negativos non habere gratiam proxime sufficientem ad conversionem, cum Evangelium prorsus ignorent.

Quæstio est igitur an cunctis infidelibus, sive positivis, sive negativis, semper dentur vel offerantur gratiæ proxime vel saltem remote sufficientes. Negant Jansenius ejusque sequaces.

PROPOSITIO.

Cunctis infidelibus datur vel offertur gratia saltem remote sufficiens.

Prob. Scriptura sacra, auctoritate summorum Pontificum, testimonio SS. Patrum ac doctorum, et ratione.

1° *Scriptura sacra*. Ezech. XXXIII, 11: *Vivo ego, dicit Dominus: nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat*; I Tim. II, 4: *Deus vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire*. Hæc verba sunt generalia: ergo Deus vult salutem omnium hominum: atqui recte dici non posset eum velle salutem eorum quibus non concederet nec offerret gratiam saltem remote sufficientem: ergo 1°.

2° *Auctoritate summorum Pontificum*, nempe 1° Alexandri VIII, qui propositionem a nobis p. 343 relatam censura percussit, et Clementis XI, qui inter centum et unam propositiones *Quesnel*, sequentem n. 27 damnavit: *Fides est prima gratia et fons omnium aliarum*. Hæc propositio, in mente Jansenianorum, tenebat infidelibus non præstari nec offerri gratiam sufficientem: ergo, in mente Pontificis eam damnantis, infidelibus datur gratia sufficiens. Ergo 2°.

3° *Testimonio SS. Patrum et Doctorum*. S. Aug., Enarrat. in Ps. XXII, n. 7: « Cum autem Verbum etiam » caro factum est et habitavit in nobis, mortalitatem nos- » tram suscipiens, non permisit ullum mortalium excu- » sare se de umbra mortis; et ipsam enim penetravit » Verbi calor. » At infideles, si omni gratia destituerentur, se excusare possent.

S. Thom., de Veritate, q. 14, ad 2, art. 1: « Si quis » enutritus in sylvis, inter bruta animalia, ductum ra- » tionis naturalis sequeretur in appetitu boni et fuga » mali, certissime est tenendum quod ei Deus vel per » internam inspirationem revelaret ea quæ sunt ad cre- » dendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad » eum dirigeret sicut misit Petrum ad Cornelium. » Porro omnes ductum rationis naturalis sequi possunt. Ergo 3°.

4° *Ratione*. Docetur enim apud catholicos Deum velle salutem omnium hominum, Christum pro omnibus mortuum esse, neminem perire, nisi sua culpa: atqui hæc vera non essent, si cunctis infidelibus non adessent gratiæ saltem remote sufficientes: ergo 4°.

Dices 1°: S. Aug. de Prædestinatione sanctorum, cap. 9, sic habet: « Fides et inchoata et perfecta donum Dei est, » et hoc donum quibusdam dari, quibusdam non dari » omnino non dubitet qui non vult manifestissimis sa- » cris litteris repugnare. » Ergo sunt, inter infideles, quibus deest gratia fidei.

R. Dist. conseq. Quibus deest gratia fidei efficax aut proxime sufficiens, *conce.*; etiam gratia remote sufficiens, *nego conseq.*

Cæterum, ut quæstio rectius intelligatur, et solutio earum objectionum magis evidens fiat, distinguendum est inter gratias fidem præcedentes, et gratias fidei aut fidem sequentes. Priores hominem non elevant ad statum supernaturalem, sed tantum illum adjuvant ad bonum morale, videlicet ad legem naturalem naturaliter implendam. Posteriores vero sunt principia operum supernaturalium, et hominem conducere possunt ad salutem.

Inst. Idem S. Aug., lib. de Gestis Pelagii, cap. 14, n. 34, dicit fidem esse *initium unde bona opera incipiunt*, et sic in variis aliis locis: ergo infideles, quibus deest fides, nullius boni sunt capaces.

R. Nego conseq. Nam fides est quidem initium bonorum operum supernaturalium, quod omnes fatentur, sed non est initium conversionis, nec igitur prima gratia; dantur quippe gratiæ quibus infideles præveniuntur et ad fidem disponuntur: ergo fides non est prima gratia, ut Clemens XI definiit, propositionem *Quesnel* modo citatam damnando, nec igitur initium omnium bonorum operum, sine ulla exceptione.

Eodem sensu intelligenda sunt verba concilii Trident., sess. 6, cap. 8: *Fides est humanæ salutis initium*.

Dices 2°: Sequens Bani propositio, n. 68: *Infidelitas pure negativa, in his quibus Christus non est prædicatus, peccatum est, damnata fuit: unde sequitur infidelitatem negativam non esse peccatum: at si cunctis infidelibus concedantur vel offerantur gratiæ sufficientes, infidelitas etiam negativa erit peccatum*. Ergo.

R. Nego min. Illud enim non imputatur ad peccatum quod non fuit volitum, saltem in sua causa: atqui infidelitas negativa non fuit volita in causa, nempe in abusu gratiæ remote sufficientis; aliquid enim non censetur volitum in causa, nisi prævisum fuerit aut prævideri potuerit: at infideles negativi non præviderunt, nec prævidere potuerunt fidem sibi denegandam fore propter abusum gratiæ remote sufficientis: ergo hæc infidelitas ipsis non imputanda est quasi esset peccatum.

Eo sensu, S. Aug. intellexit obdurationem cordis esse pœnam peccati, non vero peccatum.

SECTIO QUARTA. — An gratia sufficiens concessa vel præparata fuerit omnibus Judæis in veteri Lege.

Certum est Judæos justificari non potuisse *per ipsam litteram legis Moysi*; sunt verba conc. Trid., sess. 6, c. 1: quia *lex subintravit*, inquit Apostolus, Rom. v, 20, *ut abundaret delictum*, id est, ut cognosceretur delictum, vel ut occasione legis ex malitia hominis abundaret delictum; vim autem illud auferendi non habebat. Multi tamen justificati sunt sub veteri lege, sed fide in Christum venturum, ut Abel, Henoch, Noe, Abraham, etc. Multis ergo Judæis concessæ sunt gratiæ sufficientes et efficaces tempore veteris legis: difficultas est an cunctis Judæis concessæ vel oblatae fuerint gratiæ saltem remote sufficientes. Negant iterum Jansenius et asseclæ ejus; affirmant vero omnes catholici.

PROPOSITIO.

Cunctis Judæis in veteri Lege concessæ vel oblatae fuerunt gratiæ saltem remote sufficientes.

Prob. Scriptura sacra, auctoritate Clementis XI, testimonio S. Aug. et S. Thom. et ratione.

1° *Scriptura sacra.* Deut. xxx, 11: *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie non supra te est*; ibi agitur de tota lege, ut ex versibus sequentibus patet: ergo Judæi totam

legem implere poterant: porro illam totam implere non poterant sine gratia, *ex dictis supra*, pag. 330: ergo 1°.

2° *Auctoritate Clementis XI*, qui sequentem damnavit propositionem *Quesnel*, n. 7: « Quæ utilitas pro homine » in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit propriæ » infirmitati, imponendo ipsi legem suam? » Ergo homo adjuvabatur gratia, quæ certe debebat esse sufficiens.

3° *Testimonio S. Aug.* qui, lib. de Spiritu et Littera, cap. 19, ait: « Lex ergo data est ut gratia quæreretur, et » gratia data est ut lex impleretur. Neque enim suo vitio » non implebatur lex, sed vitio prudentiæ carnis, quod » vitium per legem demonstrandum, per gratiam sanan- » dum fuit. » Lex semper impleri potuit; non potuit impleri sine gratia: ergo.

S. Thom. qui, 1 2, q. 98, art. 2, ad 4, sic habet: « Di- » cendum quod, quamvis lex vetus non sufficeret ad » salvandos homines, tamen aderat aliud auxilium a Deo » hominibus simul cum lege, per quod salvari poterant, » scilicet fides Mediatoris. » Ita cæteri doctores catholici. Ergo 3°.

4° *Ratione.* Judæi totam legem implere tenebantur sub peccato, ut patet ex perpetuis exhortationibus Prophetarum: atqui eam implere non poterant sine gratia, confidente ipso Jansenio: ergo vel omnes gratia sufficienti donabantur, vel peccatum erat necessarium: porro peccatum necessarium omni sensui repugnat, quidquid in contrarium affirmare audeat Jansenius qui, lib. 3 de Gratia Christi, dicere non erubescit *Vetus Testamentum nihil aliud fuisse quam magnam quãdam quasi comœdiam.* Ergo 4°, etc.; aliunde, etc. Ergo.

Dices 1°: Lex vetus sæpe vocatur ab Apostolo *lex mortis, lex peccati.* Ergo.

R. Dist. ant. Sæpe vocatur *lex mortis, lex peccati*, per oppositionem ad legem gratiæ quæ dat vitam et delet peccatum, *conc.*; quia talis est in se et gratiam excludit, *nego ant.* Ratio hujus distinctionis desumitur ex dictis in initio presentis distinctionis.

Lex vetus dicitur etiam *lex peccati et lex mortis*, quia

erat occasio peccati, ostendendo malum vitandum et non ex se conferendo vires ad vincendum, ideoque, non ex se, sed propter malitiam hominis, deducebat ad mortem.

Dices 2°: S. Aug. variis in locis, v. g., in Serm. 9 de Decem chordis, dicit amorem in veteri lege non existisse, sed timorem: atqui cum solo timore non datur gratia sufficiens: ergo.

R. 1° Nego maj. Nam lib. de Moribus Ecclesiæ, cap. 28, redarguit ex professo Manichæos, qui, convenientes Deum et proximum diligendos esse, negabant hoc in Veteri Testamento contineri. Quando dicit amorem in veteri lege non existisse, et alia hujusmodi, hæc accipienda sunt tantum in sensu relativo, scilicet ut vividius innotescat præcipuus character novæ legis, qui est charitas.

R. 2° Nego min. Nam, *Initium sapientiæ tunc Domini*, Psalm. cx, 10: ergo cum timore dari potest gratia saltem remote sufficiens quæ ad dilectionem ducere potest.

Dices 3°: Multum datur discrimen inter veterem et novam legem: atqui jam dici non potest tale existere discrimen inter utramque, si omnibus Judæis sub veteri lege data fuerint gratiæ sufficientes: ergo.

R. Nego min. ob multiplicem rationem: 1° lex vetus non continebat gratiam, lex nova eam habet et producit; 2° multo uberior est gratia in nova lege quam in veteri; 3° gratia in veteri lege non istius, sed novæ legis erat, siquidem non concedebatur, nisi intuitu meritorum Christi; 4° lex vetus recte dicitur *lex timoris, lex sterilis, lex mortis, etc.*, dum lex nova merito vocatur *lex dilectionis, lex gratiæ, lex vitæ, etc.* Ergo.

SECTIO QUINTA. — An ipsis parvulis dentur gratiæ sufficientes.

Non agitur 1° de parvulis qui gratia baptismatis vel privilegio martyrii, ut SS. Innocentes, regenerantur; certum est enim gratiam illis non deesse.

Non agitur 2° de gratia intellectus et voluntatis, illius quippe non sunt capaces; sed de gratia externa qua salutem eorum sufficienter provideatur.

Non agitur 3° de concessione illius gratiæ, siquidem hic agitur de iis qui illam non recipiunt; sed petitur an omnibus parvulis præparetur medium quo salvari possint.

Non agitur iterum 4° de parvulis Christianorum qui nascuntur et vivunt; remedium enim ipsis a Deo paratum est et sola parentum aut vicinorum culpa non applicatur.

5° Eadem ratio esse videtur pro iis qui in utero matrum culpa parentum aut aliorum suffocantur; si enim beneficium remedii ipsis destinati non percipiunt, hoc parentibus aliisve tribuendum est, et non Deo, qui illius applicationem sincere volebat.

Itaque tota difficultas versatur circa parvulos infidelium baptisma penitus ignorantium, et maxime circa eos qui in utero matrum vi legum naturæ decedunt. Plures, inter quos *Vasquez*, fatentur eos gratia vere sufficienti destitutos esse, idque sine ulla injustitia ex parte Dei, qui poterat Salvatorem non concedere, et dato Salvatore, nemini debet gratias ad salutem necessarias. Sufficit ut infantes cum solo originali peccato decedentes non eodem modo plectat ac adultos peccatis actualibus commaculatos: atqui certe non ita eos plectit, cum sit fons et regula omnis justitiæ. Itaque, seposita vana curiositate, inscrutabilia ejus decreta adoranda sunt, et dicendum: *Justus es, Domine, et rectum judicium tuum*, Ps. cxviii, 137.

Attamen communissime docent theologi Deum sincere velle salutem hujusmodi parvulorum, iisque sufficienter providisse; nam, inquiunt, constat ex Scriptura Deum velle *omnes homines salvos fieri*: ergo vel hujusmodi parvuli non sunt homines, vel dicendum est Deum eis sufficienter providisse: atqui defendi non potest eos non esse homines: ergo.

At explicare modum quo eis sufficienter providerit, opus arduum est, vires humanas superans. Duæ tamen potissimum celebrantur hypotheses quas breviter exponemus.

1° sic se habet: Ut Deus salutem hujusmodi parvulorum

providisse censeatur, hæc sufficiunt : 1° illum instituisse remedium generale, a quo nullum excluserit ; 2° illud per causas secundas applicandum eis sincere offerre ; 3° causis secundis per specialem providentiam derogare non teneri, et 4° vi hujusmodi causarum, accidere prædictos infantes sine baptismo decedere : atqui hæc omnia admitti possunt, nullam quippe involvere videntur repugnantiam : ergo.

2^a Hypothesis tenet infantes in utero materno non præfocari nisi culpa aut negligentia parentum, qui, si gratiis sibi concessis recte usi fuissent, eos ad lucem et ad baptismatis gratiam conduxissent. Idem, *a fortiori*, dicunt de parvulis infidelium ante usum rationis decedentibus : si gratia regenerationis careant, hoc fit sola culpa vel negligentia parentum, qui recte vivendo gratiam fidei obtinuissent, eamque infantibus suis transmittere potuissent. Ergo.

Neutra solutio plene satisfacit ; imo, utraque gravibus impugnari potest rationibus ; nec tamen aliam planiorem novimus. Itaque difficultatem relinquimus insolutam, et statim quærimus an Deus sincere velit omnes homines salvos fieri.

SECTIO SEXTA. — An Deus sincere velit omnes homines salvos fieri.

Sub multiplici respectu consideratur voluntas Dei ; sed sepositis iis quæ ad scopum nostrum præsentem non pertinent, hæc statuimus :

Dividitur 1^o in antecedentem et consequentem. *Antecedens* ea est qua Deus vult aliquod in se, ab omnibus circumstantiis, juxta nostrum concipiendi modum, abstrahendo, v. g., voluntas qua creando homines in justitia, voluit eos ad gloriam pervenire. *Voluntas consequens* illa est qua vult aliquid propter aliud, v. g., damnationem quorundam hominum propter eorum peccata.

Dividitur 2^o in absolutam et conditionatam. *Voluntas Dei est absoluta* quando illius effectus a nulla pendet conditione : talis fuit voluntas creandi mundum. Est autem *conditionata*, si effectus ab aliqua conditione pendeat,

qualis est voluntas salvandi justos, si in justitia perseverent.

Dividitur 3^o in efficacem et inefficacem. *Voluntas efficax* ea est qua Deus vult et producit effectum, non obstantibus qualibuscumque causis : inefficax vero ea est quæ ab aliqua pendens conditione, suum non obtinet effectum, quia deest conditio.

Certum est 1^o Deum, creando Adam in justitia, voluisse, voluntate antecedente, ejus et totius generis humani salutem ; alium quippe finem sibi proponere non potuit ; sed voluntas ista fuit conditionata.

Certum est 2^o illum, posito peccato originali, statuisse, voluntate consequenti absoluta, Salvatorem hominibus concedere.

Verum petitur an, promittendo Salvatorem, sinceram habuerit voluntatem omnes homines adjutorio ejus salvari posse, et omnibus præstiterit auxilia etiam relative sufficientia ?

Circa hoc punctum errarunt 1^o Pelagiani, asserentes Deum æqualiter salutem omnium velle, omnesque solis naturæ viribus salvari posse ;

2^o Prædestinatiani, affirmantes Deum solos electos salvari velle, atque pro iis solis Christum mortuum esse ;

3^o Calviniani, inter quos alii censent Deum quorundam tantum salutem velle, et alios a gloria etiam ante peccatum originale exclusisse, dicuntur *Antelapsarii* ; et alii contententes quosdam, posito peccato originali, a salute exclusos esse, et idcirco vocantur *Postlapsarii* ;

4^o Janseniani, qui, fatentes Deum ante peccatum originale salutem omnium voluisse, contendunt illum, post peccatum originale, solos electos salvari velle, eisque solis gratias relative sufficientes præparavisse.

Non negant tamen aliis offerri gratias, sed parvas, debiles et in præsentibus circumstantiis ad vincendam cupiditatem insufficientes.

Catholici vero doctores censent Deum salutem omnium velle, ipsisque, vel saltem aliis quam prædestinatis, gratias relative sufficientes concedere vel offerre.

Nonnulli tamen, ut cardinalis *Sfondrat* et *Vasquez*, excipiunt infantes sine baptismo decedentes, asseruntque gratias vere sufficientes ipsis deesse.

Cum salus obtineri non possit nisi per Christum, certum est Christum mortuum esse pro iis omnibus quorum Deus vult salutem, et Deum velle salutem eorum pro quibus mortuus est Christus. Extra dubium est Christum pro omnibus mortuum esse ratione sufficientiæ pretii redemptionis; cum enim ipsius merita infiniti sint valoris, omnia peccata existentia et possibilia expiare possunt. Queritur autem an Christus moriens pretium sanguinis sui pro omnibus obtulerit, et gratias relative sufficientes omnibus preparaverit.

His notatis, duas sequentes statuemus propositiones.

PROPOSITIO PRIMA.

De fide est Deum velle salutem aliorum quam prædestinatorum, et Christum pro aliis quam prædestinatis mortuum esse.

Prob. Illa propositio tenenda est quæ est de fide, probatur Scriptura sacra, testimonio SS. Patrum, auctoritate cleri Gallicani, et ratione: atqui propositio nostra est de fide, probatur Scriptura sacra, etc.

1^o *Est de fide.* In Symbolo enim Constantinopolitano, singulis diebus dominicis et festivis cantamus: *Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de cælis, et incarnatus est..... Crucifixus pro nobis, passus et sepultus est.* Ergo singuli fideles credere tenentur Deum velle eorum salutem, Christum pro seipsis mortuum esse: atqui tamen omnes non sunt prædestinati: ergo.

Insuper, quinta Propositio Jansenii, eo sensu intellecta quod Christus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus sit, a summis pontificibus Innocentio X et Alexandro VII damnata est ut hæretica, et Constitutiones eorum ab omnibus ecclesiis receptæ sunt. Ergo.

2^o *Prob. Scriptura sacra.* Joan. VI, 39: *Hæc est autem*

voluntas ejus qui misit me Patris, ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die. Attamen omnes qui credunt in Christum, seu qui illi dati sunt, non salvantur, ut ipse ait, Joan. XVII, 12: *Quos dedisti mihi custodiri, et nemo ex iis perivit, nisi filius perditionis.* Jansenistæ verterunt quidem in Novo Testamento Montensi, *sed filius perditionis*, ponendo *sed* loco *nisi*, quasi filius perditionis non fuisset ex iis quos Pater dederat Filio. Verum hæc interpretatio admitti non potest; 1^o quia textui sacro contraria est; 2^o quia sensui interpretum ac theologorum adversatur; 3^o quia versio Montensis a Clemente IX et Innocentio XI reprobata est.

Ibid. v, 40: *Hæc est autem voluntas Patris mei qui misit me, ut omnis qui videt Filium et credit in eum, habeat vitam æternam.* Porro omnes qui credunt in Filium non salvantur. Ergo.

B. Paulus, I Cor. VIII, 11: *Peribit infirmus in tua scientia, frater, propter quem Christus mortuus est.* Apostolus igitur arbitrabatur illum propter quem Christus mortuus est perire posse, et vult ut de salute ejus anxii simus: atqui tamen nullus esset timendi locus, si Christus pro solis prædestinatis mortuus esset, aut saltem ille propter quem Christus mortuus est perire non posset: ergo.

3^o *Testimonio SS. Patrum.* S. Ambros., lib. de Paradiso, cap. 8: « Venerat Dominus Jesus omnes salvos facere peccatores: etiam circa impios ostendere debuit suam voluntatem, et ideo nec proditorem debuit prætereire. »

S. Aug., lib. 2 de Symbolo ad catechiz., cap. 8, inducit Christum Judæos sic alloquentem: « Videtis vulnera quæ indixistis; agnoscite latus quod pupugistis, quoniam per vos et propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis. » Unde sic: Judas proditor et ii a quibus Christus crucifixus est non erant prædestinati: atqui juxta S. Ambros. et S. Aug., Christus pro iis mortuus est: ergo.

4^o *Auctoritate cleri Gallicani* qui, in comitiis anni 1714,

edidit documentum pastorale, ab aliis episcopis per Galliam dispersis acceptum, in quo legitur: «Dire que Jésus-Christ n'est mort que pour le salut des seuls prédestinés, c'est précisément le sens hérétique condamné dans la cinquième Proposition de Jansénius.» Ergo 4°.

5° *Ratione*. Omnes sperare tenemur vitam æternam per merita Christi nobis promissam esse, et unusquisque dicere potest de Christo: *Dilexit me, et tradidit semetipsum pro me*, Gal. II, 20: atqui non sumus omnes prædestinati. Ergo 5°, etc.; aliunde, etc. Ergo.

Inferendum est Christum mortuum esse saltem pro omnibus qui aliquando justificantur, licet in justitia non perseverent; nam sola gratia justificantur, et omnis gratia est fructus redemptionis Christi: ergo.

PROPOSITIO SECUNDA.

Certum est Deum velle salutem omnium hominum et Christum pro omnibus mortuum esse.

Prob. Illa propositio habenda est ut certissima quæ probatur Scriptura sacra, conciliis, SS. Patrum testimoniis, et ratione: atqui propositio nostra probatur, etc.

1° *Scriptura sacra*. Rom. VIII, 32: *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.*

I Tim. II, 3, 4, 5 et 6: *Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.*

II Cor. V, 14, 15: *Charitas Christi urget nos: æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt; et pro omnibus mortuus est Christus.* Unde sic: Ubi Scriptura non distinguit, nec nos distinguere debemus: atqui Scriptura tradit Deum velle omnes salvos fieri, Christum pro omnibus mortuum esse, et nullam exprimit nec insinuat distinctionem; imo dicit

Christum esse unum mediatorem hominum, sicut unus est Deus, et pro iis mortuum esse qui mortui sunt in Adamo: atqui unus est Deus respectu omnium hominum, et omnes mortui sunt Adamo: ergo Christus pro omnibus mortuus est.

II Petr. III, 9: *Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant, sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad penitentiam reverti.* Nonne sensus horum verborum est Deum salutem omnium velle, et redemptionem Christi omnibus paratam esse? Ergo 1°.

2° *Conciliis*, nempe conciliis adversus Prædestinatianos celebratis, in quibus definitum est non pro solis electis Christum mortuum esse, et æquivalenter, nec obscure, neminem a redemptione ejus exclusum esse; insuper, conc. Trid., sess. 6, c. 2, hæc habet: «Hunc (Christum)» proposuit Deus propitiatore per fidem in sanguine» ipsius pro peccatis nostris, non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi.» Ergo 2°.

3° *SS. Patrum testimoniis*. S. Ambros. in Ps. cxviii, ait: «Sol justitiæ omnibus ortus est, omnibus venit,» omnibus passus est et omnibus resurrexit. Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat; ut si quis clausis fenestris, solis radios excludat, non ideo sol non est ortus omnibus quia calore ejus se ipse fraudaverit.» Nihil expressius desiderari potest, et pro generali voluntate Dei salvandi omnes homines, et pro oblatione Christi, et pro libertate humana. Ergo.

S. Aug., lib. de Spirit. et Littera, cap. 33: «Vult Deus» omnes homines salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire; non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium,» quo vel bene vel male utentes, justissime judicentur.» Quod cum fit, infideles quidem contra voluntatem Dei» faciunt, cum ejus Evangelio non credunt.» Enarrat. in Psal. xcvi, n. 15, ait: «Nam judicabit (Deus) orbem» terrarum in æquitate, non partem, quia non partem» eruit; totum judicare debet, quia pro toto pretium

» dedit. » Idem S. Doctor evidenter habet in pluribus aliis locis. Ergo 3°.

4° *Ratione*. De fide est Christum pro aliis quam prædestinatis mortuum esse : atqui, hoc posito, pro omnibus mortuus est; vel enim pro omnibus mortuus est, vel quidam excludendi sunt : atqui posterius dici non potest; hæc enim exclusio pronuntiari nequit, nisi Scriptura aut traditione innitatur : porro, nec Scriptura nec traditione innititur : ergo 4°, etc.; aliunde, etc. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Isai. XLVI, 10 : *Omnis voluntas mea fiet*; et Ps. cxiii, 11 : *Omnia quæcumque voluit, fecit*. Unde sic : Multi homines non salvantur; attamen omnia quæ Deus vult sincere, fiunt. Ergo.

R. Dist. min. Quæ Deus vult sincere voluntate absoluta et efficaci, fiunt, *conc.*; quæ vult conditionaliter, *nego*. Porro Deus vult omnes homines salvos fieri, sub conditione quod sua libertate et gratia sibi oblata recte utantur. Ergo.

Obj. 2°. Matth. xxvi, 28 : *Hic sanguis meus qui pro multis effundetur* : ergo Christus pro multis, non vero pro omnibus mortuus est.

R. Nego conseq. Nam multi pro omnibus hic sumuntur, quia simul sunt omnes et multi. Unde S. Aug., lib. 2 Operis imperfecti contra Julianum, cap. 475 : « Ad hoc » jam responsum est, non repugnare omnibus multos, » quia ipsi omnes non pauci, sed multi sunt. »

Quidam distinguunt textum, dicuntque sanguinem Christi et pro multis efficacia redemptionis effusum fuisse, et pro omnibus in intentione Christi : hoc quidem verum est, et doctrinæ quam tuemur optime congruit.

Obj. 3°. Christus dicit, Joan. x, 15 : *Animam meam pono pro ovibus meis*; et ib. iii, 14 et 15 : *Exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam* : ergo tantum pro ovibus

suis et pro iis qui credituri sunt mortuus est, non vero pro omnibus.

R. Nego conseq. Certum est quidem illum animam pro ovibus suis posuisse, et in cruce exaltatum fuisse, ut in ipsum credentes vitam habeant; sicut serpens æneus olim exaltatus fuerat in deserto, ut Judæi eum aspicientes, a morsu serpentium sanarentur : at cæteri non excluduntur; imo, supponitur omnes ad fidem vocari ut non pereant. Ergo.

Obj. 4°. Joan. xvii, 9 : *Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi*. Unde Christus non orat pro mundo, id est, pro peccatoribus mundum constituentibus : atqui Christus non mortuus est pro iis pro quibus noluit orare : ergo non mortuus est pro omnibus.

R. Dist. maj. Christus non orat pro mundo, oratione speciali vitam æternam obtinendi, *conc.*; nullo modo orat, *nego maj.* Quemadmodum enim duplex est gratia, sufficiens et efficax, ita et duplex distinguitur oratio Christi : alia enim specialis et efficax, quæ infallibiliter producit electos, et ideo pro aliis non fit : alia vero inefficax, sed culpa hominum qui gratis sibi oblati non recte utuntur. Porro Christus mundum et peccatores ab hujusmodi oratione non exclusit : dicit quippe in eodem capite, v. 21 : *Rogo ut credat mundus quia tu me misisti*, et moriens dicebat : *Patet, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt*, Luc. xxxiii, 34. Ergo.

Unde dici non potest cum Jansenistis Christum orasse 1° pro quibusdam ut salvi fierent, 2° pro aliis ut crederent, 3° pro aliis ut charitatem haberent, quasi pro cæteris non orasset; oravit enim pro omnibus, licet diversis modis.

Inst. 1°. Christus certo sciebat qui salvandi, quive damnandi forent : atqui pro certo damnandis orare non debuit : ergo.

R. Nego min. Si enim Christus futuram damnationem non prævidisset, orare potuisset pro damnandis, ut eis obtineret gratias ad conversionem et salutem sufficientes : atqui prævisio ejus impedire non potuit quin eas-

dem gratias pro eis petere valeret, siquidem prævisio Dei in liberas hominum actiones non influit : ergo.

Inst. 2°. Pro certo damnatis orare non licet : at non magis licet pro certo damnandis orare, quando ut tales noscuntur, quam pro damnatis : ergo.

R. Nego min. Tamdiu enim licet pro damnandis orare, quamdiu oratio ipsis prodesse potest : atqui, licet prævideantur damnandi, oratio ipsis prodesse potest dum vivunt, siquidem realem habent facultatem ad meliores fruges redeundi, et salutem consequendi, quod jam damnatis impossibile est : ergo.

Obj. 5°. S. Aug., Epist. 217, hæc habet : « Unde manifestum est eos qui huic resistunt perspicuæ veritati, non intelligere omnino qua locutione sit dictum, quod omnes homines vult Deus salvos fieri, cum tam multi salvi non fiant, non quia ipsi, sed quia Deus non vult, quod sine ulla caligine manifestatur in parvulis. » Ergo reipsa Deus non vult sincere omnes salvos fieri.

R. Dist. conseq. Deus sincere non vult, sensu Semipelagiano, omnes salvos fieri, *conc.*; sensu catholico, *nego conseq.* Etenim S. Doctor hic disputat adversus Pelagianos et Semipelagianos, qui volebant 1° gratiam ad salutem omnibus oblatam esse, et unumquemque propriis viribus ea, sine novo Dei auxilio, uti posse; 2° hanc gratiam secundum merita tribui, ac consequenter initium salutis, non Dei, sed hominis esse; 3° homines salvandos vel reprobandos fore, non secundum merita aut demerita quæ haberent morientes, sed quæ habuissent si diu vixissent : unde salus parvulorum ante usum rationis decedentium ab operibus quæ gessissent adulti pendebat, juxta ipsos. Porro S. Aug. hos pravos sensus refellit ostenditque gratiam nos prævenire, pro meritis non concedi, et salutem tribuendam esse Deo, qui peccatores ad seipsum omnipotentissima facilitate convertit, et volentes ex nolentibus facit. Ideo probat in eadem epistola pro omnibus orandum esse, ut Deus sua misericordia eos ex nolentibus faciat volentes : atqui certe ad orationem pro

omnibus non hortatus esset, si persuasum non habuisset Deum sincere velle omnes salvos fieri : ergo.

Eodem sensu explicandi sunt alii textus S. Aug., S. Prosperi, S. Fulgentii, etc., qui ab adversariis objici solent.

Inst. S. Aug. textum B. Pauli, *omnes homines vult salvos fieri*, considerans, in triplici sensu accipi posse contendit : scilicet 1° eo sensu quod Deus velit omnes salvare qui salvantur, tanquam diceretur *nullum hominem fieri salvum, nisi quem fieri ipse voluerit* (Enchirid. cap. 103); 2° eo sensu quod *omnes* posita sit pro generibus, v. g., Judæis, Græcis, barbaris, etc., adeo ut sint electi in cunctis generibus non vero pro individuis (de Correctione et Gratia, cap. 14); 3° eo sensu quod, ignorantibus quinam sint prædestinati, salutem omnium velle debeamus (ibid. cap. 15). Unde sic : In triplici hac expositione sensus verborum Apostoli ad solos electos restringitur : ergo S. Aug. arbitratus est verba Apostoli de solis electis intelligenda esse.

R. Nego conseq. Nam 1° triplicem interpretationem exponendo, nullam amplectitur : dicit tantum hæc Apostoli verba sic intelligi posse, eosque sensus admisit tanquam possibiles, ut objectiones Pelagianorum prædictis verbis abutentium facilius dilueret. 2° Dici potest S. Doctorem dicta verba ad solos electos restringentem, solam voluntatem consequentem et efficacem exprimere velle, nec ideo voluntatem antecedentem et generalem excludere. 3° Ipse S. Aug. eadem Apostoli verba sensu nostro intelligenda esse, non vero tantum intelligi posse, agnovit in libro de Spiritu et Littera, *ut vidimus supra*. Ergo.

Obj. 6°. Voluntas inefficax arguit imperfectionem in Deo : ergo admitti non potest.

R. Dist. ant. Voluntas inefficax arguit imperfectionem, si inefficacia ejus ex defectu potentie veniat, *conc.*; si ex defectu conditionis libero hominis arbitrio relictæ, *nego ant.* Porro inefficacia voluntatis Dei omnes homines salvandi, non provenit ex defectu potentie in ipso, sed ex

defectu conditionis quam homo potest libere ponere vel non ponere : ergo.

Insuper, dici potest voluntatem Dei circa salutem omnium hominum stricte inefficacem non esse ; sic enim se habet, ut Deus velit eos gratia recte utentes salvare, et male utentes reprobare : unde qui voluntati ejus resistere videntur sub uno respectu, in ordinem ab ipsa statutum relabuntur, quod sic exprimit S. Aug. Sermone 214 : « Nec credant iniqui Deum non esse omnipotentem, quia » multa contra ejus voluntatem faciunt ; quia et cum faciunt quod non vult, hoc de iis facit quod ipse vult. » Nullo modo igitur Omnipotentis vel mutant vel superant voluntatem. »

Inst. 1^o. Voluntas inefficax salvandi homines involvit contradictionem : ergo est imperfectio in Deo.

R. Nego ant. Nulla enim est contradictio in eo quod Deus præbeat hominibus media ad salutem sufficientia quibus multi non recte utuntur : atqui in eo consistit voluntas generalis Dei omnes salvandi homines : ergo.

Inst. 2^o. Ille sibi contradicit qui vult finem et non vult sincere media ad finem conducentia : atqui ita se gereret Deus, si vellet omnes homines salvos fieri : ergo.

R. Nego min. Deus enim præparavit et offert cunctis hominibus media quibus salvarentur si vellet : ergo volendo finem, vult sincere media ad finem conducentia.

Inst. 3^o. Ille non vult sincere media ad salutem conducentia, qui reprobationem jam decrevit : atqui reprobationem eorum qui non salvantur Deus ab æterno decrevit : ergo.

R. Dist. maj. Ille non vult sincere, etc., qui reprobationem voluntate antecedenti decrevit, *conc.* ; qui reprobationem voluntate consequenti decrevit, *nego maj.* Eodem sensu distincta minore, *nego conseq.* Manifestum est quod Deus illusorie tantum salutem eorum vellet, quorum reprobationem voluntate antecedenti decrevisset : at merito dici potest illum sincere velle, voluntate antecedenti, salutem eorum quorum reprobationem decrevit voluntate consequenti, malis operibus eorum prævisis

innixa ; nam præscientia divina, ex probatis in *Metaphysica*, nullam actibus nostris imponit necessitatem, nec ideo voluntati sinceræ in Deo media ad salutem sufficientia præstandi : ergo.

Inst. 4^o. Deus, eo ipso quod gratias salutis efficaces quibusdam concedat, vult cæteros perire : ergo horum salutem non vult sincere.

R. Dist. ant. Vult cæteros perire, voluntate consequenti, quia mediis ad salutem sufficientibus abusuri prævidentur, *conc.* ; voluntate antecedenti, et sine respectu ad eorum opera, *nego ant.* Cur autem gratias efficaces quibusdam Deus concedat et non aliis, est mysterium sapientiæ nobis inscrutabile ; sed ideo affirmari non potest veram existere oppositionem in Deo inter præscientiam ejus relative ad damnandos, et sinceram voluntatem eos salvandi, media ad salutem sufficientia eis subministrando. Ergo.

Inst. 5^o. Voluntas antecedens salvandi homines quorum reprobatio prævidetur et decreta est, supponit Deum a prævisis abstrahere : atqui nulla est abstractio in Deo, qui omnia unico intuitu necessario videt : ergo hæc voluntas est illusoria.

R. Dist. maj. Supponit Deum abstrahere, id est, abstrahere nobis videri, *conc.* ; reipsa abstrahere, *nego maj.* Cum enim Deus sit sub omni respectu infinitus, operationes ejus sicut judicia, sunt abyssus multa : eas exhibere non possumus, nisi juxta nostrum concipiendi modum, id est valde imperfecte. Unde actum antecedentem et actum consequentem vocamus qui in ipso sunt simultanei, et tamen ita coordinati, ut nullam contradictionem nullamque imperfectionem arguant.

Si, per impossibile, Deus ignoraret qui salvandi quive reprobandi sunt, et omnibus præberet media quæ nunc eis offert, nonne merito diceretur salutem omnium sincere velle ? atqui divina ipsius præscientia virtutem mediorum quæ præparavit non elidit nec minuit : ergo.

Inst. 6^o. Saltem illusorie tantum vult salutem parvulorum apud infideles decedentium, vel in utero materno

suffocatorum : ergo non vult sincere omnes salvos fieri.
R. 1°. Hæc exceptio admitti posset absque fidei catholice læsione.

R. 2° Neg. ant. Fatemur nos latere quomodo Deus saluti hujusmodi parvulorum sufficienter providerit ; verum Scriptura, traditione, doctorum consensu et ratione probatur Deum sincere velle omnes salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire : « Numquid ideo negandum est, » inquit S. Aug., lib. de *Dono perseverantia*, cap. 14, « quod apertum est, quia comprehendi non potest quod occultum est ? »

ARTICULUS SECUNDUS.

DE GRATIA EFFICACI.

Gratia efficax ea est quæ voluntatis assensum infallibiliter obtinet. Tria hic inquirenda sunt : nempe 1° an existat, 2° an sub hujusmodi gratia libertas humana subsistat, et 3° unde repetenda sit gratiæ efficacitas.

§ I. — An existat gratia efficax.

Circa hoc punctum nulla controversia inter nos et hæreticos.

PROPOSITIO.

Dantur gratiæ efficaces.

Hæc propositio ab omnibus habetur ut de fide.

Prob. Scriptura sacra, SS. Patribus et ratione.

1° *Scriptura sacra.* Ezechiel, xxxvi, 26 : *Dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri ; et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum... Et factam ut in præceptis meis ambuletis.*

Philipp. ii, 18 : *Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate.* Atqui certe gratia efficax clarius exprimi non potest : ergo 1°.

2° *SS. Patribus*, qui unanimes sunt in hac doctrina, et præsertim S. Aug. qui, si hæreticis mox refellendis fides adhiberetur, non solum admisisset gratiam efficacem, sed gratiam necessitatem voluntati nostræ imponentem. Ergo 2°.

3° *Ratione.* Homo nihil potest in ordine ad salutem sine gratia : at certe multa fiunt ab hominibus in ordine ad salutem : ergo dantur gratiæ efficaces, id est, quæ suum habent effectum : ergo 3°, etc.; aliunde, etc. Ergo.

§ II. — An libertas humana maneat integra sub influxu gratiæ efficacis.

Duplex distinguitur libertas, a coactione videlicet et a necessitate. Libertas a coactione est immunitas a quacumque vi externa, contra voluntatis inclinationem nos impellente : v. g., si renitentes detrudamur in carcerem, non sumus liberi a coactione. Certum est gratiam efficacem hujusmodi coactionem in nos minime exercere : ergo sub influxu ejus liberi sumus a coactione.

Libertas a necessitate est immunitas ab omni determinatione ineluctabili, et in eo consistit ut inter agendum expeditam habeamus potestatem non agendi, aut aliter faciendi pro nutu.

Veteres Prædestinatiani, Wiclefistæ, Lutherani, Calvinistæ negaverunt hanc libertatem cum gratia efficaci conciliari posse. Janseniani nomen libertatis retinebant, ipsam vero libertatem destruebant, asserentes humanam voluntatem gratia aut cupiditate necessario determinari. Sit

PROPOSITIO.

Homo sub influxu gratiæ efficacis perfecte est liber ab omni necessitate.

Hæc propositio est de fide.

Prob. Scriptura sacra, conciliis, summorum Pontificum auctoritate, SS. Patrum testimoniis, et rationibus theologis.

1. *Scriptura sacra.* Eccli. xxxi, 10 et 11: *Qui probatus est in illo, et perfectus est, erit illi gloria æterna: qui potuit transgredi, et non est transgressus; facere mala, et non fecit: ideo stabilita sunt bona illius in Domino.* Vir justus, de quo hic agitur, habet simul gratiam efficacem et libertatem: gratiam efficacem, siquidem non est transgressus, et stabilita sunt bona illius in Domino per perseverantiam; simul habet libertatem, cum potuisset transgredi et facere mala. Ergo.

I Cor. xv, 10: *Gratia Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi: non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Ibi etiam agitur de gratia efficaci, quæ scilicet vacua non fuit, et tamen Apostolus declarat se cum illa laborasse: nonne eo ipso clare exprimit efficaciam gratiæ ex parte Dei, et simul liberam hominis cooperationem? Ergo 1^o.

2^o *Conciliis.* Conc. Arausic. II, can. 9: « Quoties bona » agimus, Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, » operatur: » ergo duplex est operatio, una Dei per gratiam, et altera hominis per liberum arbitrium.

Conc. Trid., sess. 6, can. 4: « Si quis dixerit liberum » hominis arbitrium a Deo motum et excitatum, nihil » cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti..... » neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime » quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere; anathema sit. » Hoc canone concilium damnat Protestantes, qui contendebant liberum hominis arbitrium cum efficacia gratiæ subsistere non posse. Ergo.

3^o *Auctoritate summorum Pontificum,* nempe Innocentii X et Alexandri VII, qui tertiam Jansenii Propositionem sic conceptam: « Ad merendum aut demerendum, » in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione, » damnaverunt ut hæreticam. Unde sic: Homo sub influxu gratiæ efficaci meretur, et cum illa sola gratia meretur: atqui mereri non potest, nisi liber sit ab omni necessitate. Ergo 3^o.

4^o *SS. Patrum testimoniis.* Clara citantur testimonia

SS. Ignatii martyris, Cypriani, Hilarii, Hieronymi, Ambrosii, Chrysostomi, etc., sed præ cæteris verba referemus S. Aug. quem adversarii suum esse dicunt; sic enim se habet, lib. de Spiritu et Littera, cap. 34: « Accipere » quippe et habere anima non potest dona... nisi consentiendo: ac per hoc quid habeat, et quid accipiat, » Dei est: accipere autem et habere utique accipientis » et habentis est. » Bis in eodem capite, loquendo de gratia Dei nos prævenientis et in nobis velle et perficere operantis, ait: « Consentire autem vocationi Dei, vel ab » ea dissentire, propriæ voluntatis est: » nihil expressius haberi potest. Ergo 4^o.

5^o *Rationibus theologis.* Concordia liberi arbitrii cum gratia semper visa est quæstio ardua: atqui nulla esset difficultas si gratia liberum arbitrium tolleret et suam effectum necessario produceret. 2^o Opera supernaturalia justorum sunt meritoria: atqui non possunt esse meritoria sine gratia efficaci et sine libertate. 3^o Si homo sub influxu gratiæ efficaci non sit ab omni necessitate liber, nec laudandus qui obsequitur gratiæ, nec vituperandus est qui ei resistit: atqui hæc consecutaria admitti nequeunt: ergo 5^o, etc.; aliunde, etc. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1^o. I Cor. xii, 6: *Deus qui operatur omnia in omnibus; Philip. ii, 13: Qui operatur in vobis velle et perficere:* ergo sub influxu gratiæ efficaci homo non remanet liber.

R. Nego conseq. Præfati enim textus multique alii similes optime probant gratiam Dei nobis necessariam esse pro quolibet bono, etiam pro *velle et perficere*, quod certe admittendum est tanquam de fide: at minime probant quod unice ab adversariis probandum foret, scilicet cooperationem nostram non requiri, aut gratiæ efficaciam omnem actum voluntatis excludere. Ergo.

Obj. 2^o. S. Aug. variis in locis dicit gratiam operari ipsum velle, volentes de nolentibus facere, esse victricem,

vires efficacissimas voluntati præbere, indeclinabiliter et inseparabiliter consensum voluntatis rapere, etc.: atqui libertas proprie dicta cum tali gratia conciliari non potest: ergo.

R. Nego min. Omnes enim præfatæ locutiones in sensu catholico explicari possunt; eo ipso ruit objectio. Sic quippe Deus *velle operatur in nobis*, ut jam diximus, quia gratia sua nos prævenit ut velimus, deinde nos adjuvat ut perficiamus: nihil boni supernaturalis fit sine gratia, et gratia nihil operatur in nobis sine assensione nostra, et tamen Deus infallibiliter obtinet a creatura, illæsa ipsius libertate, quidquid vult: quo posito, facile intelligitur quomodo Deus ex nolentibus faciat volentes, quomodo gratia sit victrix, quomodo vires efficacissimas voluntati subministret, quomodo *indeclinabiliter* et *invincibiliter* voluntatis assensum rapiat, licet voluntas libere assentiat. Qua autem ratione libertas cum gratia efficacia conciliari potest, res est difficillima quam non aggrediemur.

Cæterum, S. Aug. in aliis locis, et præsertim in textu a nobis in probatione allato, evidenter dicit consentire et dissentire vocationi Dei, humanæ esse voluntatis: ergo nulla sub hoc respectu admittenda est contradictio in operibus S. Doctoris. Ergo.

Inst. 1º. Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est, inquit S. Aug., Exposit. Epist. ad Galatas, cap. v, 22: ergo, juxta S. Doctorem, sub influxu gratiæ efficacis non remanet libertas a necessitate.

R. Dist. textum S. Aug. Quod amplius nos delectat, delectatione consequenti et deliberata; secundum id operemur necesse est, *conc.*; quod amplius nos delectat delectatione antecedenti et indeliberata, *nego*. Nullum enim est dubium quin necessario operemur secundum delectationem nostram consequentem et deliberatam, id est, secundum voluntatis nostræ determinationem: porro eo sensu accipiendus est S. Aug. in loco nobis objecto; nam 1º Expositionem Epistolæ ad Galatas scripsit ante suum episcopatum, ut notant Patres Benedictini, ex lib. I Re-

tract. cap. 23 et 24: eo tempore autem in Semipelagianismum propendebat, ac proinde nimis humanæ libertati tribuebat: attamen eam sustulisset si textus objectus de delectatione antecedenti et indeliberata intelligendus foret. Ergo. 2º Ipse testatur, lib. 8 Conf., cap. 8, se juxta majorem delectationem antecedentem non semper egisse: *Non faciebam*, inquit, *quod incomparabili affectu amplius mihi placebat*. 3º S. Doctor ibi hortatur fideles ut operibus carnis non consentiant, et virtutes christianas sectentur: atqui talis exhortatio illusoria esset, si homo majori delectatione gratiæ aut cupiditatis necessario determinaretur. Sæpe S. Aug. dicit aut supponit alia, præter delectationem, esse actionum nostrarum motiva, videlicet timorem, spem, desiderium vitandi pœnam aut dolorem, mortem, etc. Ergo.

Inst. 2º. S. Aug. et plures alii sancti Patres comparant gratiam efficacem sermone quo Deus creavit mundum, patravit miracula, etc.: atqui sermo Dei necessario operabatur: ergo et gratia.

R. Dist. maj. Comparant quoad effectum, *conc.*; quoad modum operandi, *nego maj.* Certum est Deum infallibiliter obtinere posse a voluntatibus humanis, illæsa ipsarum libertate, quidquid sibi placet: ergo effectus gratiæ efficacis tam infallibilis est respectu ipsius quam effectus sermonis quo mundum creavit, miracula patravit, etc. Itaque sub hoc respectu legitima instituitur comparatio, quæ thesi nostræ minime adversatur.

Multa alia objici solent quæ vel diluuntur in Tractatu de Actibus humanis, ubi existentia libertatis humanæ astruitur, vel solvi possunt ex principiis jam positis, et quæ aliunde, cum hæresis Janseniana obsoleverit, nullius sunt momenti. Ea igitur prætermittimus.

Ex dictis patet quam falsum et absurdum sit Jansenii systema de duplici delectatione victrici, qua ad bonum vel ad malum necessario determinaremur: sufficienter confutatum jam habendum est, et non est ratio cur in illo diutius immoremur.

§ III. — Unde repetenda sit gratiæ efficacia.

Nulla unquam exorta est quæstio in theologia, sive dogmatica, sive morali, quæ tantas animorum conflictationes genuerit: primo historiam istiusmodi controversiarum per compendium contexturi sumus, deinde breviter exponemus systema Molinistarum et systema Thomistarum.

SECTIO PRIMA. — Historia compendiosa controversiarum circa concordiam liberi arbitrii et gratiæ efficaciæ.

Hæc controversia initium habuit versus finem decimi sexti sæculi. P. *Prudence*, e Societate Jesu, in Facultate Salmanticensi theologiæ professor, publicam thesim defendendam curavit, anno 1581, circa concordiam liberi arbitrii et gratiæ. P. *Bannez*, frater Prædicator seu Dominicanus, adversus eam fortiter disputavit, sexdecim propositiones ex illa excerpit, quas Inquisitioni Hispaniarum denunciavit. Lessius et Hamelius, e Societate Jesu, in Facultate Lovaniensi professores, propositiones P. *Prudence* defendere conati sunt. Baius et Estius contra illos insurrexerunt, et fervens exstitit animorum æstus.

Interea, P. *Molina*, ex eadem Societate, in Facultate Eboracensi in Lusitania, professor, edidit, anno 1588, ingens opus inscriptum: *De Concordia liberi arbitrii cum gratiæ donis*.

Fratres Prædicatores et cuncti Thomistæ, sic dicti quia gloriabantur se divum Thomam, e FF. Prædicatoribus, habere ducem, cœperunt adversus Molinam publice disputare, eumque velut errores Pelagianorum renovantem exhibere. Patres Societatis Jesu ex parte sua, contra Thomistas vehementi zelo conflictantes, eos Calvinismi incusabant.

Clemens VIII vetavit utrisque ne censuris se invicem impeterent, et deinde silentium omnibus circa hujusmodi materias præscripsit, mandans tamen ut celebriores ex utraque parte theologi sententias suas cum rationibus et

motivis exponerent easque ad ipsum mitterent. Postea celebrem instituit congregationem cardinalium et consultorum, de *Auxiliis* dictam, quia de auxiliis gratiæ tractandum erat.

Prima congregationis hujus deliberatio locum habuit die 2 januarii 1598, et ultima die 28 augusti 1607.

Post septem et septuaginta sessiones, opinati sunt consultores librum Molinæ, cujus viginti propositiones censuris affecerunt, prohibendum esse. Duo consultores huic sententiæ subscribere noluerunt. Summus Pontifex ipse pronuntiare noluit, quin prius theologos utriusque ordinis coram se disputantes audisset. Solemnes igitur apertæ sunt disputationes coram pontifice, die 20 martii, anno 1602, in Vaticano. Religiosi, velut strenui pugiles, tam acriter secum decertarunt, ut plures quasi inanimes facti, locum aliis non defatigatis cedere coacti sint. Mortuis Clemente VIII et deinde Leone XI, qui viginti et quinque diebus tantum sanctam Sedem occupavit, Paulus V disputationes continuare jussit, et post quinque et octoginta hujusmodi concertationes tam coram se quam coram antecessore suo habitas, nullum pronuntiavit judicium, congregationem solvit, et contententibus facultatem concessit contradictorias libere propugnandi sententias, ea conditione ut nullus adversarios quibusvis censuris notaret.

Diu adhuc et acriter disputatum est in scholis catholicis circa concordiam liberi arbitrii et gratiæ efficaciæ; varia quæ excogitata sunt systemata ad duo generice revocari possunt, quorum prius dicitur Molinistarum, et posterius Thomistarum. Ea breviter exposituri sumus.

SECTIO SECUNDA. — Exponitur systema Molinistarum.

Ludovicus *Molina* hæc præcipue statuit in ingenti opere a nobis superius citato: 1^o Gratia non est efficax ex natura sua, sed ex assensu voluntatis nostræ: unde eadem gratia potest esse efficax in uno, non in altero,

uno instanti in eodem homine, et non in instanti sequenti: idcirco dicitur *versatilis*. 2° Nullam tamen vim mutuatur ab humana voluntate, sed illius assensum requirit tanquam dispositionem sine qua effectum non produceret: sic sacramenta totam vim a Christi institutione habent, et tamen effectum in suscipientibus non producunt, nisi quaedam adsint conditiones seu dispositiones omnino necessariae. 3° Quando voluntas gratiae consentit, duplex intervenit Dei actio, nempe ipsa gratia voluntatem ad consentiendum excitans, et concursus supernaturalis quo Deus voluntatem adjuvans actum eum illa physice producit: concursus ille est vagus, generalis et indifferens, donec per voluntatem ad talem actum determinetur. 4° Deus providens quid homo cum tali vel cum tali gratia acturus sit, largitur ei quem vult ad se convertere gratiam cui scit illum certo, licet voluntarie, consensurum, sicque eum ad finem intentum infallibiliter adducit. 5° Non tamen intuitu meriti, nec ob praevium voluntatis consensum, gratiam impertitur, ad sensum Pelagianorum aut Semipelagianorum; bene vero ex propria liberalitate, et juxta suum beneplacitum.

Maximum hujus systematis vitium hoc esse videtur, actum scilicet voluntatis gratiae consentientis gratia non produci, quod ad Semipelagianismum aliquo modo accederet. *Suarez*, *Vasquez* alique patres ejusdem Societatis vitium istud expungere conati sunt; ideo finxerunt efficaciam gratiae non ab ipsa voluntate assentiente repetendam esse, sed a circumstantiis in quibus versatur homo, et ea congruitate gratiae hujusmodi circumstantiis ita attemperatae ut consensus infallibiliter obtineatur: hoc nituntur testimonio S. Ang. ad Simplicianum, lib. I, quaest. 2, n. 13 (t. VI, col. 95): « Nullius Deus frustra » miseretur; cuius autem miseretur, sic eum vocat quo » modo scit ei congruere, ut vocantem non respuat. » Hinc dicti sunt *Congruistae*.

Verum difficultas manere videtur integra, nam attemperatio gratiae circumstantiis, non est quid a gratia

et a voluntate distinctum: nolunt defensores hujus systematis gratiam ex natura sua esse efficacem: ergo in ultima analysi, hae efficacia ab assensu voluntatis repetenda est.

SECTIO TERTIA. — Exponitur systema Thomistarum

Thomistae, sic dicti a S. Thoma, quamvis eorum systema, juxta plures, in operibus S. Doctoris non reperitur, statuunt sequentia: 1° Alia est gratia sufficiens et alia efficax: sufficiens dat potentiam agendi, nunquam vero actum, et efficax semper dat actum: est autem efficax ex natura sua et in omni circumstantia. 2° Haec gratia voluntatem praevenerit eamque determinat, non solum in genere, sed ad actum specialem; non moraliter, ad sensum *Suarez*, sed realiter et physice, et idcirco vocatur *praemotio physica*. 3° Haec praemotio tam infallibiliter effectum suum obtinet, ut nunquam effectu carere supponi possit, licet tamen expedita maneat potestas ad oppositum: unde sub praemotione physica vera existit libertas. 4° Deus ab aeterno decrevit se praemotorem physicam et infallibilem his aut illis daturum, sicque, visione metaphysice certa, omnia futura libera in decretis suis cum quibus essentidem habent connexionem cognoscit: hinc praedestinatio ad gloriam fit ante praevisa merita.

In eo systemate supremum Dei dominium optime servatur: at humana libertas vix concipitur.

Augustiniani, sic dicti quia auctoritate S. Ang. se fulciri arbitrantur, praemotorem physicam, et simul attemperantiam gratiae ac circumstantiarum rejiciunt, admittuntque gratiam ex natura sua efficacem, sed moraliter, intellectum illuminando, voluntatem alliciendo, suadendo et delectando, non delectatione relative victrici, ut voluntatem Janseniani, sed absoluta, qua Deus voluntatem humanam infallibiliter movet, illasa ipsius libertate.

Inter eos alii dicuntur molliores et alii rigidiores. *Mol-*

liores gratiam ex natura sua efficacem ad difficiliora quædam opera supernaturalia requirunt, pro aliis vero facilibus gratias ad sensum Congruistarum versatiles sufficientes esse contendunt. *Rigidiores* hanc distinctionem omni fundamento destitutam esse volunt, et gratiam ex natura sua, per delectationem absolute victricem, pro quibusvis actionibus necessariam esse propugnant.

Exprobratum est defensoribus hujus systematis, et forte non immerito, quod a duplici delectatione Jansenii non satis recederent.

Pater *Thomassin*, doctissimus presbyter Oratorii, aliud excogitavit vel potius exornavit systema a Josepho *Avita* Dominicano excogitatum : gratiæ efficaciam non reponit in præmotione physica Thomistarum, nec in acceptatione voluntatis, ut Molinistæ et Congruistæ, sed in aggregatione auxiliorum quibus voluntas excitatur et adjuvatur. Singula seorsim sumpta non sufficerent, sed conjuncta libertatis humanæ consensum infallibiliter obtinent.

Sed illa auxiliorum aggregatio non est quid a gratia et a voluntate distinctum : igitur semper quæri potest an illius efficacia a gratia vel a voluntate procedat ; in priori casu, quomodo servatur libertas ? in posteriori, ubi est supremum Dei dominium in libertatis exercitium ? Gravissima igitur semper subsistet difficultas circa concordiam gratiæ efficaciæ et liberi arbitrii, quam solvere non tentabimus ; malumus dicere cum S. Aug., lib. de Spiritu et Littera, c. 34 : « Jam si ad illam profunditatem » scrutandam quisquam nos coarctet, cur illi ita suadeatur ut persuadeatur, illi autem non ita ; duo sola » occurrunt interim quæ respondere mihi placeat : *O altitudo divitiarum ! et Numquid iniquitas apud Deum ?* » Cui responsio ista displiceat, quærat doctiores, sed caveat ne inveniatur præsumptores. »

CAPUT QUINTUM.

DE GRATIÆ EFFECTIBUS.

Præcipui effectus gratiæ sunt justificatio et meritum ; de utroque dicendum est.

ARTICULUS PRIMUS.

DE JUSTIFICATIONE.

Justificatio est justitiæ et sanctitatis acquisitio qua homo fit Deo gratus. Tria circa illam considerari possunt, scilicet : 1^o dispositiones ad illam acquirendam, 2^o ejus natura, et 3^o ejusdem proprietates.

§ I. — De dispositionibus ad acquirendam justificationem requisitis.

Fide constat parvulos per baptismum justificari : certum est autem nullas in eis prærequiri dispositiones ad justificationem, Deo ita volente ac ordinante.

Verum Catholici et Protestantes simul conveniunt quasdam requiri dispositiones in adultis ut justificationem obtineant. Omnes iterum fatentur fidem omnino necessariam esse, juxta hæc Christi verba, Marc. xvi, 16 : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit ; qui vero non crediderit, condemnabitur ;* et juxta ista B. Pauli, Hebr. xi, 6 : *Sine fide impossibile est placere Deo.*

At qualis sit illa fides omnino necessaria, non ita sibi consentiunt. Lutherani et Calvinistæ triplicem distinguunt fidem, scilicet historicam, qua omnia quæ in sacris Scripturis contenta sunt creduntur ; fidem miraculorum, qua, credendo nihil Deo impossibile esse, patrantur miracula ; et fidem promissionum, quæ duplex est : una generalis, qua creditur Deum fidem habentibus peccato-

liores gratiam ex natura sua efficacem ad difficiliora quædam opera supernaturalia requirunt, pro aliis vero facilibus gratias ad sensum Congruistarum versatiles sufficientes esse contendunt. *Rigidiores* hanc distinctionem omni fundamento destitutam esse volunt, et gratiam ex natura sua, per delectationem absolute victricem, pro quibusvis actionibus necessariam esse propugnant.

Exprobratum est defensoribus hujus systematis, et forte non immerito, quod a duplici delectatione Jansenii non satis recederent.

Pater *Thomassin*, doctissimus presbyter Oratorii, aliud excogitavit vel potius exornavit systema a Josepho *Avita* Dominicano excogitatum : gratiæ efficaciam non reponit in præmotione physica Thomistarum, nec in acceptatione voluntatis, ut Molinistæ et Congruistæ, sed in aggregatione auxiliorum quibus voluntas excitatur et adjuvatur. Singula seorsim sumpta non sufficerent, sed conjuncta libertatis humanæ consensum infallibiliter obtinent.

Sed illa auxiliorum aggregatio non est quid a gratia et a voluntate distinctum : igitur semper quæri potest an illius efficacia a gratia vel a voluntate procedat ; in priori casu, quomodo servatur libertas ? in posteriori, ubi est supremum Dei dominium in libertatis exercitium ? Gravissima igitur semper subsistet difficultas circa concordiam gratiæ efficaciæ et liberi arbitrii, quam solvere non tentabimus ; malumus dicere cum S. Aug., lib. de Spiritu et Littera, c. 34 : « Jam si ad illam profunditatem » scrutandam quisquam nos coarctet, cur illi ita suadeatur ut persuadeatur, illi autem non ita ; duo sola » occurrunt interim quæ respondere mihi placeat : *O altitudo divitiarum ! et Numquid iniquitas apud Deum ?* » Cui responsio ista displiceat, quærat doctiores, sed caveat ne inveniatur præsumptores. »

CAPUT QUINTUM.

DE GRATIÆ EFFECTIBUS.

Præcipui effectus gratiæ sunt justificatio et meritum ; de utroque dicendum est.

ARTICULUS PRIMUS.

DE JUSTIFICATIONE.

Justificatio est justitiæ et sanctitatis acquisitio qua homo fit Deo gratus. Tria circa illam considerari possunt, scilicet : 1^o dispositiones ad illam acquirendam, 2^o ejus natura, et 3^o ejusdem proprietates.

§ I. — De dispositionibus ad acquirendam justificationem requisitis.

Fide constat parvulos per baptismum justificari : certum est autem nullas in eis prærequiri dispositiones ad justificationem, Deo ita volente ac ordinante.

Verum Catholici et Protestantes simul conveniunt quasdam requiri dispositiones in adultis ut justificationem obtineant. Omnes iterum fatentur fidem omnino necessariam esse, juxta hæc Christi verba, Marc. xvi, 16 : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit ; qui vero non crediderit, condemnabitur ;* et juxta ista B. Pauli, Hebr. xi, 6 : *Sine fide impossibile est placere Deo.*

At qualis sit illa fides omnino necessaria, non ita sibi consentiunt. Lutherani et Calvinistæ triplicem distinguunt fidem, scilicet historicam, qua omnia quæ in sacris Scripturis contenta sunt creduntur ; fidem miraculorum, qua, credendo nihil Deo impossibile esse, patrantur miracula ; et fidem promissionum, quæ duplex est : una generalis, qua creditur Deum fidem habentibus peccato-

rum remissionem promississe; alteram specialem, qua unusquisque certo confidit sua peccata per Christum sibi esse donata.

Volunt autem fidem ad salutem necessariam, eam esse qua unusquisque, misericordiae Dei confidens, firmiter credit omnia peccata per Christum sibi esse remissa.

Dicunt fidem sic intellectam solam justificare, non per modum causae efficientis aut dispositionis proprie dictae, sed per modum organi quo justificatio accipitur sicut elemosyna manu pauperis apprehenditur e divite eam largiente. Unde Lutherus, Epist. ad Melanchth., anno 1521: «Esto peccator et pecca fortiter, sed fortius fide et gaude in Christo, qui victor est peccati, mortis et mundi.»

» Sufficit quod agnovimus per divitias gloriae Dei agnum qui tollit peccata mundi: ab hoc non evellet nos peccatum, etiamsi millies millies in una die fornicemur... »

Catholici vero contendunt: 1° fidem ad justificationem requisitam esse adhaesionem cunctis veritatibus a Deo revelatis; 2° solam fidem ad justificationem non sufficere; 3° fidem ad justificationem non concurrere per modum organi, sed per modum dispositionis proprie dictae. Sint ergo tres propositiones sequentes:

PROPOSITIO PRIMA.

Fides ad justificationem requisita, non est tantum confidentia in promissionibus Christi, sed adhaesio cunctis veritatibus a Deo revelatis.

Prob. Scriptura sacra, conc. Trid. et ratione.

1° *Scriptura sacra.* Marc. xvi, 15: *Euntes in mundum universum, praedicare Evangelium omni creaturae. Qui crediderit, salvus erit.* Christus non dicit, qui speraverit, qui fiduciam habuerit, sed qui crediderit Evangelio cuius praedicationem commendat; haec est tamen fides quae justificat: nam qui ita crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit. Ergo.

Rom. ix, 8: *Hoc est verbum fidei quod praedicamus, quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris quod Deus suscitavit illum a mortuis, salvus eris; corde enim creditur ad justitiam.* Ibi evidenter agitur de fide quae justificat: atqui tamen non est fides promissionum, sed fides dogmatica: ergo 1°.

2° *Conc. Trid.*, sess. 6, can. 12: «Si quis dixerit fidem justificantem nihil aliud esse quam fiduciam divinae misericordiae, peccata remittentis propter Christum; vel eam fiduciam solam esse qua justificamur; anathema sit.» Definitum est igitur fidem ad justificationem requisitam non esse fidem promissionum: ergo est fides dogmatica, seu adhaesio cunctis veritatibus a Deo revelatis. Quoniam tamen haec pars in canone concilii expresse non continetur, propositionem nostram tradere solimus ut de fide catholica. Ergo 2°.

3° *Ratione.* 1° Fides nititur auctoritate infallibili Dei revelantis: atqui fiducia ab haereticis excoegitata infallibili auctoritate Dei nisi non potest, nulli enim revelatum est peccata nostra vere esse remissa: ergo id certa fide credere non possumus. 2° Fides ad justificationem necessaria non debet supponere justificationem ut jam existentem: atqui fides ab haereticis requisita supponeret justificationem ut jam existentem, siquidem peccator, ut justitiam obtineret, credere teneretur peccata sibi esse remissa: ergo 3°, etc.; aliunde, etc. Ergo.

Dices 1°: Christus dicit paralytico, Matth. ix, 2: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua:* ergo fides promissionum necessaria est ad justificationem.

R. Dist. conseq. Fides promissionum, id est confidentia, necessaria est, *conc.*; id est, sola fides promissionum, ut volunt Protestantes, sufficit ad justificationem, *negat conseq.* Etenim catholici semper docuerunt fiduciam in promissiones Christi necessariam esse ad justificationem: unde *conc. Trid.* loquens, sess. 6, cap. 6, de dispositionibus quibus peccatores ad justificationem se accingunt, dicit: «In spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore.» At inde non sequitur fidem

ad justificationem a Christo requisitam, ipsam esse fiduciam qua singuli credunt peccata sibi esse dimissa.

Præterea, quidam dicunt sensum verborum ad paralyticum directorum hunc esse: Peccata tibi non roganti jam remittuntur; confide, et sanitatem tibi roganti daturus sum. Addunt ipsum ne quidem cogitasse, nec cogitare potuisse de fiducia prout eam requirunt Protestantes. Ergo.

Dices 2º: Omnes profitentur in Symbolo Apostolorum: Credo in remissionem peccatorum: ergo unusquisque credere tenetur peccata sua, etc.

R. Nego consequens. Sensus enim articuli Symboli est manifeste: Credo existere in Ecclesia potestatem remittendi peccata, vel medium obtinendi remissionem peccatorum. Ergo.

Plures aliæ objectiones ab hæreticis proponuntur, sed mera sunt cavillationes.

PROPOSITIO SECUNDA.

Sola fides non justificat.

Hæc propositio est de fide, ut pote definita in conc. Trid., sess. 6, can. 9: « Si quis dixerit sola fide impium justificari; anathema sit. »

Prob. Scriptura sacra. Eccli. 1, 28: *Qui sine timore est, non poterit justificari.*

I Cor. XIII, 2: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.*

Jacob. II, 14: *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum? x. 24: Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, non ex fide tantum.* Ergo, præter fidem, aliæ requiruntur ad justificationem dispositiones, scilicet timor, charitas, pœnitentia, fiducia, denique bona opera. Ergo, etc. Legatur cap. 6 sess. 6 conc. Trid.

Dices 1º: Joan. III, 36: *Qui credit in Filium, habet vitam æternam:* ergo sola fides justificat.

R. Nego consequens. Nam fides hic et in multis aliis Scrip-

turæ textibus commendata, non excludit alias virtutes: imo sæpe sumitur modo complexo pro tota religione christiana, ut in his verbis B. Pauli, Rom. III, 28: *Arbitramur hominem justificari per fidem sine operibus legis;* fides, id est religio Christi, opponitur antiquæ Legi. Unde vulgo dicitur de infidelibus qui ad Christum convertuntur, quod fidem amplexi sint, id est religionem christianam. Ergo si dicatur fidem justificare, sine fide salutem obtineri non posse, semper intelligenda est fides cum cæteris virtutibus præscriptis. Hinc facile explicantur textus Scripturæ a Protestantibus objecti, v. g.: *Gratia estis salvati per fidem, non ex operibus,* Eph. II, 8 et 9, id est, non ex operibus fide destitutis: *Omnis qui credit in illum non confundetur,* Rom. X, 11, modo faciat opera fide præscripta, etc.

Christus respondens homini eum interroganti quid faciens boni haberet vitam æternam, ait: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata,* Matth. XIX, 16; et tunc refert mandata Decalogi: quando igitur dixit, *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit,* intellexit, qui crediderit et oportet, videlicet opera fidei faciendo, vel fidem ex operibus ostendendo, ut præscribit S. Jacob. II, 14, etc. Ergo.

Eodem modo et eadem facilitate solvi possunt textus ex SS. Patribus deprompti, quibus abutuntur hæretici: non est igitur ratio cur in illis explanandis immoremur.

§ II. — De natura justificationis, ubi de virtutibus infusis et donis Spiritus sancti.

Docent Protestantes 1º peccata per justificationem non tolli, sed tegi justitia Christi, sicut corpus vestimento tegitur; 2º ea tamen ob justitiam Christi non imputari; et 3º inde concludunt mentem per infusionem gratiæ interiorius non renovari. Hos errores refellemus; deinde quædam dicemus de virtutibus infusis et donis Spiritus sancti, quæ cum gratia in justificatione conceduntur.

PROPOSITIO.

Peccata per justificationem re ipsa delentur, et mens per infusionem gratiæ sibi inherenti interius renovatur.

Probatur utraque pars.

Prima pars, Scriptura sacra, conc. Trid. et testimonio S. Aug.

1^o *Scriptura sacra.* Ps. l, 2: *Dele iniquitatem meam;* Joan. i, 29: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi;* Act. xv, 9: *Fide purificans corda eorum;* I Cor. vi, 11: *Hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed justificati estis.* Certe hæc verba supponunt evidenter peccata non tantum cooperiri, sed deleri, tolli et ablatione auferri. Ergo.

2^o *Conc. Trid., sess. 6, can. 11:* « Si quis dixerit hominem justificari, vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia quæ in cordibus eorum diffundatur, atque illis inhæreat; aut etiam gratiam qua justificamur esse tantum favorem Dei; anathema sit. » Si propriis verbis non dicat peccata deleri, dicit æquivalenter, ut patet, et expressius in sess. 5, can. 5, anathemate percutiendo eum qui « reatum originalis peccati remitti (in Baptismate) negat; » aut etiam asserit non tolli totum id quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi aut non imputari. » Ergo.

3^o *Testimonio S. Aug. qui, lib. 1 contra duas Epist. Pelag., cap. 13, sic habet:* « Dicimus baptismum dare omnium indulgentiam peccatorum, et auferre criminum, non radere: » nihil clarius desiderari potest. Ergo.

Dices: Ps. xxxi, 1: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum.* Ergo solum tegantur peccata, et justitia imputatur.

R. Nego conseq. Nam verba Prophetæ nunquam, ante

Protestantes, eo sensu intellecta sunt. S. Aug. expresse dicit in hunc locum: « *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata,* non in quibus non sunt inventa peccata, sed quorum tecta sunt peccata. » Cooperta sunt peccata, tecta sunt, abolita sunt. Si texit peccata Deus, noluit advertere; si noluit advertere, noluit animadvertere, noluit punire; si noluit punire, noluit agnoscere, maluit ignoscere... Nec sic intelligatis quod dixit, peccata cooperta sunt, quasi ibi sint et vivant. » Cum enim omnia oculis Dei sint nuda et aperta, quæ ipsi tecta sunt jam sunt deleta. Ergo.

Probat utraque pars Scriptura sacra, conc. Trident. et ratione.

1^o *Scriptura sacra.* Ps. l, 12: *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis;* Eph. iv, 23 et 24: *Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis:* ergo mens interius renovatur: ergo 1^o.

2^o *Conc. Trid., sess. 6, can. 11, superius citato, ubi dicitur quod gratia per Spiritum sanctum cordibus infundatur illisque inhæreat.* Ergo 2^o.

3^o *Ratione.* Per justificationem transferimur a statu peccati in statum justitiæ et sanctitatis, deletur in nobis peccati macula, induimus novum hominem: at ille status animæ a priori differt. Ergo mens re ipsa renovatur, et fides non apprehendit justitiam per modum organi, ad sensum Protestantium, sed ad illam vere concurrat per modum dispositionis proprie dictæ.

Dices: Rom. iv, 5: *Credenti in eum qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam:* ergo revera mens interius non renovatur.

R. Dist. textum. Credenti ut oportet, id est, credenti sperando, diligendo, pœnitendo, obediendo, invocando, etc., reputatur ad justitiam, id est, reputatur justitia, quia justitia est complexio omnium virtutum christianarum, conc.; secus, nego. Hæretici enim eo textu evidenter abutuntur, quando illum in sensum suum

detorquent : nullo innituntur fundamento, et aliis Scripturæ locis manifeste adversantur. Ergo.

Pariter si Christus, I Cor. I, 30, dicatur *factus nobis justitia, et sanctificatio, et redemptio*, non quia justitia ejus nobis imputatur, sed quia ipse est causa justitiæ nostræ, et sanctificationis, et redemptionis : sic pluries dicitur *salutare nostrum*, quia est causa salutis. Ergo.

De virtutibus infusis et donis Spiritus sancti.

Ex dictis, gratia sanctificans infunditur in animam, quando justificatur sive per Baptismum, sive per sacramentum Penitentiae aut contritionem perfectam, uti in suo loco probatur.

Jam explicavimus quid sit gratia sanctificans seu habitualis. Ut autem melius noscatur et in majori pretio habeatur hæc renovatio interna, de partibus ejus integranibus quædam dicere libet.

Ipsa gratia hominem constituit in *esse* divino et ipsum Christo inserit, ut ait B. Paulus, ad Rom. c. vi. Sed comites habet 1^o virtutes infusas per quas, veluti per supernaturales potentias, homo justificatus operatur, et 2^o dona Spiritus sancti.

1^o Theologi distinguunt virtutes infusas *quoad modum* et virtutes infusas *quoad entitatem*. Prioribus illæ sunt quæ naturaliter acquiri potuissent per actus repetitos, sed a Deo conceduntur, ut scientia linguarum in Apostolis. Posteriores vero illæ sunt quæ, prout supernaturales, non nisi a Deo oriri queunt. De his posterioribus tantum hic quæstio haberi potest.

Istæ virtutes tendunt ad objectum lumine supernaturali apprehensum et propter motivum supernaturale. A Deo producentur, cujus solius est hominem in ordine supernaturali constituere.

Virtutes infusæ dividuntur in *theologicas* et *morales*. Omnes quidem dirigunt mores; sed cum quædam directe ad Deum spectant, præstantiores sunt, et nobiliori nomine *theologicæ* dicuntur, videlicet fides, spes et cha-

ritas. Inter virtutes morales quatuor eminent, et *cardinales* ideo vocantur, scilicet, justitia, prudentia, fortitudo et temperantia.

De prioribus in Tractatu de *Decalogo* fusius disseremus.

Certum est virtutes theologicas per modum habitus infundi in Baptismo, siquidem de illis expressa mentio est in concilio Trid., sess. 6, cap. 7. De aliis, communior est affirmans theologorum sententia, cui favere sane videtur Catech. Concil. Trid., numerans inter effectus baptismi *nobilissimum omnium virtutum comitatum, quæ in anima simul cum gratia infunduntur*.

2^o Similiter communius docetur dona Spiritus sancti cum gratia sanctificante infundi, quia homo justificatus Spiritu Christi vivere et regi debet; quod sic exprimit B. Paulus : *Qui Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus*. Ad Rom. viii, 9 et 14. Vide S. Th. I 2, quæst. 68, art. 2. De donis Spiritus sancti specialius disseremus in Tractatu de *Confirmatione*.

Jam autem percipitur quantas spirituales divitias, juxta doctrinam catholicam, homo recipiat in justificatione, cum gratia habituali. Vide *Habert*, Theol. Catal., de Gratia habit.; vel ad calcem *Cursus compl. Theol.*, t. x; P. *Amelotte*, Theol. p. 370 et seq.

§ III. — De proprietatibus justificationis.

Tripliciter hic errant Protestantes : 1^o docent singulos justos fide divina credere teneri se esse justificados, sicut credunt Christum pro nobis esse mortuum; 2^o Calviniani contendunt justitiam semel obtentam amitti non posse; 3^o Lutherani et Calvinistæ negant justitiam in uno majorem et in altero minorem esse, hocque ex principio quo tenent justitiam Christi nobis imputari, evidenter sequitur. Lutherus non dubitavit dicere, *Serm. de Nativ. B. M. V.* : « Omnes Christiani æque magni sumus ac » Mater Dei et æque sancti ac ipsa. » Contra hos errores erunt tres propositiones.

PROPOSITIO PRIMA.

Nemo, seclusa speciali revelatione, tenetur credere fide divina se esse justificatum.

Propositio est de fide, probatur Scriptura sacra, SS. Patrum testimoniis, et ratione.

1° *Est de fide ut pote definita in conc. Trid., sess. 6, can. 13: « Si quis dixerit omni homini, ad remissionem » peccatorum assequendam, necessarium esse ut credat » certe et absque ulla hæsitatione propriæ infirmitatis et » indispositionis peccata sibi esse remissa; anathema » sit. » Et can. 14: « Si quis dixerit hominem a peccatis » absolvi ac justificari, ex eo quod se absolvi ac justifi- » cari certo credat; aut neminem vere esse justificatum, » nisi qui credat se esse justificatum... anathema sit. » Ergo 1°.*

2° *Probatur Scriptura sacra. Prov. xx, 9: Quis potest dicere: Mundum est cor meum, purus sum a peccato? Eccle. ix, 1: Nescit homo utrum amore an odio dignus sit; I Cor. iv, 4: Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum. Certe qui fide divina crederet se esse justificatum, dicere posset se purum esse a peccato, se amore dignum esse, etc. Ergo 2°.*

3° *SS. Patrum testimonio. S. Aug., lib. de Perfectione justitiæ, cap. 15: « Quantalibet justitia sit præditus ho- » mo, cogitare debet ne aliquid in illo, quod ipse non vi- » det, inveniatur; » deinde citat verba Prov. xx, 9 et 11.*

S. Gregorius Magnus, respondens sorori suæ, quæ ab illo quæsierat an de remissione peccatorum suorum secura esse posset, ait: « Rem difficilem etiam et inutilem » postulasti: difficilem quidem, quia ego indignus sum » cui revelatio fieri debeat; inutilem vero, quia secura de peccatis tuis fieri debes. » Ergo 3°.

4° *Ratione. Nihil credi debet fide divina, juxta Protestantes, nisi quod in Scriptura sacra continetur: atqui nullibi continetur in Scriptura sacra, imò nec in tradi-*

tione, nec in Symbolis fidei, hunc vel illum hominem esse justificatum. Aliunde, cum, ex textibus modo citatis, *Nescit homo utrum amore an odio dignus sit, etc.*, nemo certo scire potest an habeat fidem, in systemate Protestantium requisitam et sufficientem ut justificetur.

A fortiori, nemo fide divina credere potest se esse prædestinatum, ut plurimi docent Protestantes; ad hoc quippe necesse foret, non solum ut certo sciret se esse justificatum, sed insuper se in justitia esse moriturum: atqui, seclusa speciali revelatione, nemo talem habere potest certitudinem: ergo.

Diximus *seclusa speciali revelatione*; nullum est enim dubium quin Deus manifestare possit alicui, mediate vel immediate, illum esse justificatum, vel etiam prædestinatum. Sic per Nathan revelavit David peccatum ejus esse translatum; sic Christus immediate dixit paralytico et mulieri peccatrici, peccata ipsorum esse remissa.

Quædam tamen sunt signa quibus homo, absque speciali revelatione, moraliter certus esse possit se gratia sanctificante donari; nempe 1° testimonium bonæ conscientiæ, 2° horror peccati mortalis et fuga peccati venialis, 3° zelus in acquirenda perfectione, 4° voluptatum hujus vitæ fastidium, 5° gustus divinatorum et vitæ æternæ desiderium: hæc indicia dant fiduciam christianam, quæ omnem animi perturbationem et anxietatem excludit, non vero omnem formidinem; nec impedit quin pro nobis dicta æstimemus hæc Apostoli verba, Philipp. ii, 12: *Cum metu et tremore vestram salutem operamini.*

Dices: Rom. viii, 16: Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei: quod autem Spiritus sancti testimonio nititur, fide divina credi debet: ergo.

R. Dist. textum. Spiritus reddit testimonium probabile spiritui nostro, vel potius cum spiritu nostro, ut habetur in græco, conc.; testimonium infallibile, nego. Etenim quando spiritus noster Deum invocatur eumque Patrem nostrum appellat, eo ipso testatur nos ipsius esse filios; sed Spiritus Dei postulat pro nobis, et Deum in-

vocare non possumus ut oportet sine auxilio Spiritus sancti : ergo Spiritus sanctus testimonium cum spiritu nostro reddit quod sumus filii Dei. Testimonium ejus verum est in se : at non nisi plus minusve probabiliter nobis singulatim innotescit. Unde unusquisque certo dicere potest : Spiritus Dei testatur omnibus justis quod sint filii Dei ; sed probabiliter vel moraliter tantum asserere potest se hoc testimonium audire. Ergo.

Hæc autem alia verba ejusdem capituli, y. 38 : *Certus sum quia neque mors neque vita..... poterit nos separare a charitate Christi*, fidem divinam non exprimunt, sed fiduciam christianam, alioquin Apostolus non dixisset : *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum*, I Cor. iv, 4.

Similiter, quando exhibet spem christianam, Heb. vi, 19, *sicut anchoram, ... animæ tutam ac firmam, et incedentem usque ad interiora velaminis*, solummodo intelligit ejus firmitatem ex parte Dei promittentis, omnipotentis et immutabilis, non verò ex parte nostra. Unde conc. Trid., sess. 6, cap. 9 : « Quilibet, dum seipsum suamque propriam infirmitatem et indispositionem respicit, de sua gratia formidare et timere potest, cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum. »

PROPOSITIO SECUNDA.

Justitia amitti potest.

Hæc propositio est de fide, ut pote definita in conc. Trid., sess. 6, can. 23 : « Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere... anathema sit. »

Prob. Scriptura sacra, S. Aug. testimonio, et ratione.

1^o *Scriptura sacra*. Ezech. xvii, 25 : *Cum avenerit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem... omnes justitiæ ejus quas fecerat non recordabuntur.*

Hebr. vi, 4 : *Impossibile est eos qui semel sunt illumi-*

nati, gustaverunt etiam donum cælestis et participes facti sunt Spiritus sancti... et prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam. Certe in his et in multis aliis textibus, qui citari possent, evidenter supponitur justum a justitia decidere posse. Ergo 1^o.

2^o *S. Aug. testimonio*, qui multis in locis, et præsertim in lib. de Corrupt. et Grat., cap. 13, ait : « Aut gratiam Dei suscipiunt, sed temporales sunt, nec perseverant : deserunt et deseruntur. » Ergo 2^o.

3^o *Ratione*. Infantes fiunt justii in Baptismo : ergo si justitia amitti non possit, qui semel baptizati sunt nunquam peccare possunt, quod certe adversarii concedere nequeunt ; aut peccata eorum non ipsis imputabuntur, quod absurdum est.

Præterea, si justii jam peccare nequeant, cur tot exhortationes in libris divinis et in sermonibus sacris, non solum ut peccatores ad justitiam redeant, sed ut justii lapsum timeant, de propria salute sint solliciti, perseverent, et per bona opera certam suam electionem faciant ?

Denique, in Protestantium systemate, homo per justificationem non renovatur, peccata ejus non delentur, sed, per fidem, justitia, sicut corpus vestimento, teguntur, et ideo justitia, fide remanente, per nova peccata non destruitur. At tale systema ad omnia inducit flagitia, ut nemo attendens non videt. Ideo quidam Protestantes, ut Grotius et Leibnitz, illo abhorruerunt. Ergo 3^o, etc. ; aliunde, etc. Ergo, etc.

Dices : I Joan. iii, 9 : *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit.* Ergo.

R. Hanc difficultatem jam solvimus, pag. 328. Qui natus est ex Deo peccatum non facit, quatenus ex Deo natus est, dum in filiatione Dei remanet, *conc.* ; a filiatione Dei excidere non potest, *nego*. Sic quotidie vulgo dicitur : Bonus filius patrem non offendit, quamvis illum offendere possit ; sed tunc cessaret esse bonus filius. Ergo.

Eadem facilitate alii explicari possunt Scripturæ textus

qui a Protestantibus objici solent, v. g. : *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem*, Cantic. VIII, 7, id est, quamdiu remanet charitas, habet vim omnes superandi tribulationes : *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum*, Joan. IV, 13, id est, modo illam non evomat, nunquam sitiet : si autem illam evomuerit, sitiet iterum. Sic et homo justificatus, si gratiam non evomuerit, non sitiet spiritualiter in æternum ; sed illam per peccatum evomere potest.

PROPOSITIO TERTIA.

Justitia non est æqualis in omnibus.

Prob. Scriptura sacra, definitione conc. Trid., praxi Ecclesiæ, S. Aug. testimonio, et ratione.

1º *Scriptura sacra.* Apoc. XXII, 11 : *Qui justus est, justificetur adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc*; sensus non est omnes æqualiter sanctos, æqualiter augendos esse in sanctitate, sed omnes, in quocumque gradu sint justitiæ et sanctitatis, adhuc teneri in justitia et sanctitate proficere, ut patet. Ergo 1º.

2º *Definitione conc. Trid.*, sess. 6, can. 24 : « Si quis » dixerit justitiam acceptam non conservari atque etiam » augeri coram Deo per bona opera ; sed opera ipsa fructus » solummodo et signa esse justificationis adeptæ, non » autem ipsius augendæ causam ; anathema sit. » Porro si bona opera justificationis augendæ sint causa, patet gratiam justificantem non esse in omnibus æqualem ; ergo 2º.

3º *Praxi Ecclesiæ*, quæ in orationibus suis et præsertim oratione Dominicæ XIII post Pentecosten, *fidei, spei et charitatis augmentum* postulat a Deo. Ergo 3º.

4º *S. Aug. testimonio*; sic enim se habet, Tract. 6 in Joan. : « Novit Dominus qui sunt ejus ; diversarum gratiarum sunt genera, non omnes paria habent : sunt » alii aliis sanctiores, sunt alii aliis meliores. » Ergo 4º.

5º *Ratione.* Alibi probatur non eandem futuram esse

beatitudinem in cælo pro omnibus : ergo justitia eorum non est æqualis in terra. Anima justa comparatur agro, hortulo, margaritæ ; dicitur amica, dilecta, sponsa, soror, famula : at æqualis non est ornatus omnium agrorum et hortulorum, splendor omnium margaritarum, gratiæ amicarum, dilectarum, sponsarum, etc. Ergo 5º, etc.; aliunde, etc. Ergo.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE MERITO.

Meritum in genere est opus præmio vel retributione dignum : hic agitur de merito supernaturali quod per opus supernaturale acquiritur. Tria nobis inquirenda sunt, scilicet 1º an existat, 2º quas condiciones requirat, et 3º quod sit ejus objectum.

§ I. — De existentia meriti.

Protestantes, ex suo fundamentali systemate humanæ naturæ degradationis perseverantis cum existentia justificationis fide apprehensæ, nulla etiam justorum admittunt bona opera : imo plures volunt omnia ipsorum justorum opera esse mala, ut pote ex vitiata natura provenientia. Negant igitur cujuslibet meriti existentiam.

PROPOSITIO.

Existit meritum proprie dictum.

Propositio est de fide.

Prob. Scriptura sacra, conciliis, SS. Patribus et ratione.

1º *Scriptura sacra.* Matth. V, 12 : *Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis* : II Tim. VI, 8 : *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ*. Voces istæ, *merces, corona justitiæ*, evidenter supponunt meritum.

Innumera alia citari possent testimonia non minus clara.

2° *Conciliis*. Conc. Araus. II, can. 18 : « Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia, quæ non debetur, præcedit ut fiant. »

Conc. Trid., sess. 6, can. 32, expresse propositionem nostram definit his verbis : « Si quis dixerit hominis justificati bona opera, ita esse dona Dei, ut non sint etiam ipsius justificati merita; anathema sit. »

In cap. 16 ejusdem sess. 6, longe et solidissime probat existentiam fructus justificationis, id est meriti honorum operum. Ergo 2°, etc.

3° *SS. Patribus*. S. Aug., Epist. 194 ad Sixtum : « Nulla igitur sunt merita justorum? sunt plane, quia justus sunt; sed ut justus fierent, merita non fuerunt. » Nihil amplius desiderari potest : non minus clare loquuntur alii Patres, ut videre est apud Bellarminum, lib. 5 de Justif., cap. 4. Ergo 3°.

4° *Ratione*. Illa opera vere sunt meritoria quibus competunt omnes conditiones ad meritum proprie dictum requisitæ : atqui sunt opera quibus, etc., *ut ex mox dicendis patebit* : ergo.

Dices 1° : Isai. LXIV, 16 : *Quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ* : ergo etiam bona opera justorum sunt peccata.

R. Nego conseq. 1° Quia ibi agitur de justitiis legalibus, quibus nimis confidebant Judæi; 2° quia propheta de justis non loquitur, sed inducit Judæos collective dicentes Deo : *Facti sumus ut immundus omnes nos, et cecidimus quasi folium universi, et iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos*. Atqui in his et similibus verbis nihil probat opera justorum non esse merita : ergo.

In multis Scripturæ textibus merita justorum tribuuntur Deo, quia sine auxilio Dei fieri non possunt : unde quando fecerimus *omnia quæ præcepta sunt nobis*, dicere debemus : *Servi inutiles sumus*, Luc. XVII, 10; merito Apostolus dicit, Tit. III, 8 : *Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos*

fecit; quia ipse gratia sua prævenit nos et efficaciter adjuvit : et S. Aug. ait eodem sensu, Serm. 170, n. 10 (t. v, col. 823) : *Tunc Deus coronabit, non tam merita tua, quam dona sua*.

Dices 2° : Merita hominis meritis Christi derogarent, Ergo.

R. Nego ant. Nam merita hominis ex meritis Christi procedunt, nempe ex gratia quæ est effectus meritorum Christi : ergo meritis Christi non derogant; imo ea extollunt.

§ II. — De conditionibus ad merendum requisitis.

Duplex distinguitur meritum : unum proprie dictum, cui præmium ex justitia debetur, et dicitur *de condigno*; et alterum cui præmium non debetur nisi ex convenientia seu aliqua congruitate, et vocatur *de congruo*.

Conditiones ad merendum de condigno, sunt : 1° ut homo sit viator : post enim præsentem vitam nullus, Deo ita statuente, mereri aut demereri potest. Mors comparatur nocti in qua nemo operatur, Joan. IX, 4; ergo *dum tempus habemus*, inquit B. Paulus, Gal. VI, 10, *operemur bonum*.

2° Ut sit justus. 1° Enim, *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos nisi in me manseritis*. 2° Hæc propositio Baii, n. 17, damnata est : « Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum deificum. » 3° Conc. Trid., sess. 6, can. 26 et 32, supponit evidenter solos justos mereri posse.

3° Ut sit liber a necessitate; repugnat quippe hominem proprie dictum acquirere meritum in eo quod nullo modo præcavere potest. Igitur tertia Propositio Jansenii merito damnata est.

4° Ut opus sit supernaturale; dari enim debet proportio inter opus et præmium : repugnaret in naturalibus opus ecclesiasticum, v. g., præmio militaribus proprio donari :

ergo a fortiori repugnaret quod opus naturale primum supernaturale obtineret; opus autem non est supernaturale, nisi ex gratia procedat, motivo fide cognito innitatur et ad finem supernaturalem intentione saltem virtuali referatur.

5° Ut sit promissio ex parte Dei; quidquid enim venit a creaturis, in quacumque hypothesis, Deo debetur: nunquam igitur Deus tenetur in justitia, seclusa speciali promissione, primum eis concedere. At, posita promissione, adest contractus vi cuius obligatur. Porro Deus promisit homini justo benefacienti se premia pro meritis esse concessurum, quod constat 1° Scriptura sacra, Epist. B. Jacobi, 1, 12: *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vite, quam repromisit Deus diligentibus se.* 2° Conc. Trid., sess. 6, can. 26, ubi sic legitur: « Si quis dixerit justos » non debere pro bonis operibus quæ in Deo fuerint facta » exspectare et sperare æternam retributionem a Deo per » ejus misericordiam... anathema sit. » In capite 16 ejusdem sessionis, expresse dicitur illam retributionem a Deo fuisse promissam. 3° Testimonio S. Aug., qui, in Ps. lxxxiii, ait: « Debitorem Deus ipse se fecit non accipiendo, sed promittendo. Non ei dicitur, Redde quod accepisti, sed, Redde quod promisisti. » Unde summi Pontifices sequentem damnaverunt Bani propositionem, n. 2: « Sicut opus malum ex natura sua est mortis æternæ meritorium, sic bonum opus ex natura sua est vitæ æternæ meritorium. »

Quæritur an omnia opera supernaturalia sint meritoria.

R. Jansenistæ et quidam catholici requirunt ut ex motivo perfectæ charitatis fiant. Verum sententia communis et longe probabilior est, quodlibet opus vere supernaturale, ut actum fidei, spei, pœnitentiæ, etc., suum mereri primum. Hoc evidenter supponere videtur conc. Trident., sess. 6, c. 16.

Conditiones vero ad meritum de congruo, sunt: 1° ut homo sit viator, 2° ut sit liber, 3° ut opus sit supernatu-

ræ, idque propter rationes superius expositas: at status gratiæ non requiritur, nec etiam promissio Dei; alioquin meritum esset de condigno.

§ III. — De objecto meriti.

Certum est 1° nullum mereri posse primam gratiam ne quidem de congruo: nam meritum de congruo supponit opus supernaturale; opus autem supernaturale supponit gratiam: ergo.

Quoddam admittitur meritum de congruo apud infidellem qui præcepta legis naturalis servat; sed infidelis sic agens jam aliqua prævenitur gratia, et aliunde eadem non acquirit merita de congruo ac Christianus motivis supernaturalibus innixus.

Certum est 2° neminem mereri posse de condigno gratiam sanctificantem, siquidem status gratiæ est conditio essentialis ad meritum de condigno.

Certum est 3° hominem hanc gratiam mereri posse de congruo; nam homo peccator facere potest opera supernaturalia. Unde conc. Trid. dicit, sess. 6, cap. 6, peccatores ad justitiam disponi per fidem, spem, timorem et initium amoris: sic Daniel hortatur Nabuchodonosor ut peccata sua eleemosynis redimat, Dan. iv, 24.

Certum est 4° hominem justificatum mereri posse de condigno augmentum gratiæ sanctificantis. Hoc conc. Trid. expresse definit, sess. 6, can. 32, dicens: « Si quis » dixerit... ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo » per Dei gratiam et Jesu Christi meritum, cujus vivum » membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ... anathema sit. »

Duo nunc supersunt discutienda, an scilicet mereri possimus de condigno 1° perseverantiam finalem, 2° vitam æternam: quibus quæsitis per duas sequentes satisfaciamus propositiones.

PROPOSITIO PRIMA.

Homo perseverantiam finalem mereri non potest de condigno, sed tantum de congruo.

Prob. prima pars Scriptura sacra, testimonio S. Aug., et ratione.

1° *Scriptura sacra.* I Cor. x, 2 : *Qui se existimat stare, videat ne cadat; et Philip. II, 12 : Cum metu et tremore vestram salutem operamini.* Unde sic : Omnes etiam iustiores timere debent ne cadant : at si quis perseverantiam finalem de condigno mereri posset, non omnes ita anxii esse deberent ; qui enim fecissent opera quibus hæc perseverantia stricte deberetur, jam nullum haberent timendi locum. Ergo.

2° *Testimonio S. Aug.* qui, lib. de Dono persev., cap. 13. sic se habet : « Unde satis dilucide ostenditur et inchoan » di et usque in finem perseverandi gratiam Dei, non secundum merita nostra dari, sed dari secundum ipsius » secretissimam eandemque justissimam, sapientissimam, beneficentissimam voluntatem. »

3° *Ratione.* Conditio essentialis ad meritum de condigno est promissio Dei : atqui nullibi promisit Deus se perseverantiam finalem bonis operibus concessurum tanquam præmium stricte debitum : ergo.

*Probat*ur secunda pars, scilicet, quod perseverantiam mereri possimus de congruo, 1° usu Ecclesiæ, quæ in orationibus suis donum perseverantiæ postulat : illud autem non postulare nisi affulgeret spes illud obtinendi ; 2° testimonio S. Aug. qui, de Dono persev., cap. 6 (t. x, col. 826), dicit : *Hoc Dei donum suppliciter emereri potest : emereri non potest de condigno, ergo de congruo : 3° ratione ; bona enim opera ad postulandam perseverantiam directa, omnes conditiones ad merendum de congruo habere possunt, ut patet.* Ergo.

Dices : Christus ait, Joan. XVI, 23 : Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

ergo qui perseverantiam finalem petit a Deo, illam ex promissione ejus sperare potest ut debitam de condigno.

R. Nego conseq. Christus enim prædictis verbis promittit effectum orationis ut donum, non vero ut debitum ; alioquin proprie non fieret oratio, sed petitio debiti. Ergo.

COROLLARIUM.

Sequitur ex hac propositione hominem mereri non posse de condigno gratiam efficacem ; alioquin, post primam gratiam efficacem sic obtentam, eodem modo mereretur alias gratias efficaces sequentes, et tandem sic mereri posset perseverantiam finalem quæ est ultima gratia efficax ; sed illam procul dubio mereri potest de congruo, et eo sensu verum est illud axioma a S. Thoma memoratum : *Pacienti quod in se est Deus non denegat gratiam, 1 2, q. 112, art. 3 ; Dens, t. II, p. 354.*

PROPOSITIO SECUNDA.

Justus vitam æternam de condigno mereri potest.

Prob. Scriptura sacra, conc. Trid., SS. Patrum testimonio, et ratione.

1° *Scriptura sacra, nempe textibus supra, p. 391, citatis, in quibus vita æterna dicitur merces, corona justitiæ.* Ergo 1°.

2° *Conc. Trid.* quod, sess. 6, can. 32, sic se habet : « Si » quis dixerit... justificatum bonis operibus non vere » mereri... vitam æternam, et ipsius vitæ æternæ, si » tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam » gloriæ augmentum ; anathema sit. » Ergo 2°.

3° *SS. Patrum testimonio.* S. Ambros., Sermone 7 in Ps. cxviii, asserit justos scire coronam honorum esse repositam meritorum. S. Aug., lib. de Perfectione hominis, cap. 8 : « Post hanc autem vitam merces perficiens » redditur, sed eis tantum a quibus in hac vita ejusdem » mercædis meritum comparatur. »

4^o *Ratione*. Meritum de condigno fundatur promissione divina : atqui Deus expresse promisit bona facientibus, modo in statu gratiæ decedant, vitam æternam tanquam mercedem : ergo.

Dices : B. Paulus, Rom. viii, 18 : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis* : ergo nullus vitam æternam mereri potest de condigno.

R. Nego conseq. Nam ibi Apostolus passiones hujus temporis comparat futuræ gloriæ, quoad intensitatem et durationem, non vero quoad proportionem ex gratia et promissione Dei orientem. Ergo.

Inst. Perseverantiam mereri non possumus de condigno : a fortiori nec vitam æternam.

R. Nego conseq. et paritatem, 1^o quia in his quæ a libera Dei voluntate pendent, argumentum a pari non valet; 2^o quia Deus vitam æternam promisit ut mercedem, non vero ita promisit perseverantiam; nam si illam promisisset, nullatenus repugnaret quod eam mereri de condigno possemus. Ergo.

CAPUT SEXTUM.

DE PRÆDESTINATIONE ET REPROBATIONE.

Vox *prædestinatio* strictè sumi posset in malam partem, et tunc significaret reprobationem : communius vero in bonam partem tantum accipitur, et ideo de prædestinatione et de reprobatione in duplici articulo separatim disseremus.

ARTICULUS PRIMUS.

DE PRÆDESTINATIONE.

Prædestinatio, juxta vim nominis, idem est ac prævia destinatio. Duplex est : alia ad gratiam, et alia ad glo-

riam; quæ est ad gloriam, est simul ad gratiam et dicitur completa. Definiri potest : *Præordinatio efficax quæ Deus quosdam homines per media infallibilia ad vitam æternam dirigit*. Hæc præordinatio, quæ etiam vocatur decretum, solos respicit electos. Agemus 1^o de existentia prædestinationis in genere, et 2^o de ejus causa seu motivo.

§ I. — De existentia prædestinationis in genere.

Quidquid Deus facit in tempore, ab æterno decrevit illud facere : atqui Deus multis dat gratiam, sive actua-lem sive sanctificantem, et aliquibus gloriam : ergo illos ab æterno prædestinavit, sive ad gratiam tantum, sive ad gloriam.

Tam aperta est hæc veritas, tot nititur testimoniis Scripturæ et traditionis, ut a cunctis recentibus hæreticis sicut a catholicis nunc admittatur. *Quos prædestinavit*, inquit B. Paulus, Rom. viii, 30, *hos et vocavit*. S. Aug. integrum composuit librum de Prædestinatione sanctorum. Nulla igitur est ratio cur in hoc paragrapho diutius immoremur.

§ II. — De causa seu motivo prædestinationis.

Quæstio est an Deus, ob prævisa futura hominum merita, eos ad gratiam, vel ad gratiam et ad gloriam simul prædestinaverit.

Certum est, contra Pelagianos et Semipelagianos, prædestinationem ad primam gratiam non fieri ob prævisa merita; siquidem homo hanc gratiam nullo modo mereri potest. Unde Apostolus, Eph. i, 5 : *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum secundum propositum voluntatis suæ*. Idem habet y. 11 ejusdem capituli.

Præcipue agitur de prædestinatione ad gloriam, et petitur an fiat ob prævisa merita, an vero ex solo Dei beneplacito.

Certum est, quoad executionem prædestinationis, glo-

4^o *Ratione*. Meritum de condigno fundatur promissione divina : atqui Deus expresse promisit bona facientibus, modo in statu gratiæ decedant, vitam æternam tanquam mercedem : ergo.

Dices : B. Paulus, Rom. VIII, 18 : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis* : ergo nullus vitam æternam mereri potest de condigno.

R. Nego conseq. Nam ibi Apostolus passiones hujus temporis comparat futuræ gloriæ, quoad intensitatem et durationem, non vero quoad proportionem ex gratia et promissione Dei orientem. Ergo.

Inst. Perseverantiam mereri non possumus de condigno : a fortiori nec vitam æternam.

R. Nego conseq. et paritatem, 1^o quia in his quæ a libera Dei voluntate pendent, argumentum a pari non valet; 2^o quia Deus vitam æternam promisit ut mercedem, non vero ita promisit perseverantiam; nam si illam promisisset, nullatenus repugnaret quod eam mereri de condigno possemus. Ergo.

CAPUT SEXTUM.

DE PRÆDESTINATIONE ET REPROBATIONE.

Vox *prædestinatio* strictè sumi posset in malam partem, et tunc significaret reprobationem : communius vero in bonam partem tantum accipitur, et ideo de prædestinatione et de reprobatione in duplici articulo separatim disseremus.

ARTICULUS PRIMUS.

DE PRÆDESTINATIONE.

Prædestinatio, juxta vim nominis, idem est ac prævia destinatio. Duplex est : alia ad gratiam, et alia ad glo-

riam; quæ est ad gloriam, est simul ad gratiam et dicitur completa. Definiri potest : *Præordinatio efficax quæ Deus quosdam homines per media infallibilia ad vitam æternam dirigit*. Hæc præordinatio, quæ etiam vocatur decretum, solos respicit electos. Agemus 1^o de existentia prædestinationis in genere, et 2^o de ejus causa seu motivo.

§ I. — De existentia prædestinationis in genere.

Quidquid Deus facit in tempore, ab æterno decrevit illud facere : atqui Deus multis dat gratiam, sive actua-lem sive sanctificantem, et aliquibus gloriam : ergo illos ab æterno prædestinavit, sive ad gratiam tantum, sive ad gloriam.

Tam aperta est hæc veritas, tot nititur testimoniis Scripturæ et traditionis, ut a cunctis recentibus hæreticis sicut a catholicis nunc admittatur. *Quos prædestinavit*, inquit B. Paulus, Rom. VIII, 30, *hos et vocavit*. S. Aug. integrum composuit librum de Prædestinatione sanctorum. Nulla igitur est ratio cur in hoc paragrapho diutius immoremur.

§ II. — De causa seu motivo prædestinationis.

Quæstio est an Deus, ob prævisa futura hominum merita, eos ad gratiam, vel ad gratiam et ad gloriam simul prædestinaverit.

Certum est, contra Pelagianos et Semipelagianos, prædestinationem ad primam gratiam non fieri ob prævisa merita; siquidem homo hanc gratiam nullo modo mereri potest. Unde Apostolus, Eph. 1, 5 : *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum secundum propositum voluntatis suæ*. Idem habet y. 11 ejusdem capituli.

Præcipue agitur de prædestinatione ad gloriam, et petitur an fiat ob prævisa merita, an vero ex solo Dei beneplacito.

Certum est, quoad executionem prædestinationis, glo-

riam unicuique juxta merita conferri; probavimus enim justos per bona opera vitam seu gloriam æternam de condigno mereri.

Quæstio est igitur quo motivo Deus ab æterno quosdam homines præ cæteris ad gloriam æternam præordinet. At valde arduum et minus utile est solutionem altissimæ hujus quæstionis quærere.

Certum est 1. Deum salutem nostram sincere velle; 2. gratia nos ex pura misericordia prævenisse et abundantia auxilia nobis adhuc offerre; 3. nos perfecta libertate gaudere et bona opera supernaturalia, quibus vita æterna promittitur, agere posse; 4. nos perseverantiam finalem obtenturos ac consequenter gloriam æternam, si gratiis actualibus recte utamur. Nonne hæc plane sufficiunt ad tollendam anxietatem respectu Dei, quamvis, ob fragilitatem nostram, pro nobis dicta æstimare debeamus hæc Apostoli verba jam pluries citata: *Cum metu et tremore vestram salutem operamini?*

Attamen præcipuas theologorum opiniones circa hoc punctum breviter exponere juvat, quia theologiæ candidos eas penitus ignorare non licet. Tres existunt.

Prima tenet prædestinationem ob prævisa merita fieri, sicque eam explicant ipsius patroni: Deus salutem omnium hominum desiderans, parat omnibus gratias sufficientes; dat quibusdam, ex speciali misericordia, gratias abundantiores quæ pro circumstantiis effectum habituræ sunt: prævidet hos præ cæteris merita ope gratiæ libere acquiruturos et perseveraturos, atque hæc prævisione in-nixus, statuit ab æterno se gloriam hujusmodi meritis debitam in tempore concessurum.

Secunda opinio docet prædestinationem esse omnino gratuitam, et prævisione meritorum nullo modo fundari; juxta defensores hujus sententiæ, Deus parat omnibus gratias sufficientes, sed ex speciali misericordia ab æterno decrevit dare quibusdam gratias efficaces quibus ad perseverantiam finalem et gloriam æternam infallibiliter deducerentur. Ita omnes Thomistæ, plerique Augustiniani, et plures Molinistæ.

Tertia est opinio eorum qui credunt insigniores sanctos, ut B. Virginem, S. Joannem Baptistam, Apostolos, etc., gratuito fuisse prædestinatos, cæteros vero post prævisa merita. Hujus distinctionis nullum invenitur fundamentum, neque in Scriptura, neque in traditione.

Quidquid sit, prædestinatio fuit determinata, juxta omnes, vel intuitu meritorum, vel sine respectu ad merita: igitur stricte loquendo, duæ sunt tantum circa hoc punctum sententiæ, quarum momenta constrictiori modo exposituri sumus.

Sententia quæ tenet prædestinationem fieri ob prævisa merita.

Prob. 1. Scriptura. Matth. xxv, 34 et 35: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi: esurivi enim, et dedistis mihi manducare, etc.* Unde sic: Regnum Dei ab æterno paratum est electis, en prædestinatio; paratum est, quia bona fecerunt opera, *esurivi enim, etc.*; en causa moralis. Ergo.

Pluribus in locis Scripturæ sacræ gloria coelestis exhibetur ut *merces*, ut *bravium*, ut *corona justitiæ*, etc.: at illæ voces merita præcedentia supponunt: ergo 1.

2. *SS. Patrum testimoniis.* S. Ambros. in hæc Apostoli verba: *Quos præscivit, hos prædestinavit*, ait: « Non ante prædestinavit quam præsciret, sed quorum merita præscivit, eorum et præmia prædestinavit. »

S. Aug. ad Simplicianum, lib. 1, quæst. 2, n. 6, de electione Jacob præ Esaü tractans. hæc habet: « Non tamen electio præcedit justificationem, sed electionem justificationem: nemo enim eligitur nisi jam distans ab illo qui rejicitur. » Ergo electio supponit merita prævisa. Ergo 2.

3. *Ratione.* 1. De fide est, *ut supra ostendimus*, gloriam nunc dari electis ob merita: ergo ab æterno illis præparata est ob merita. 2. Eodem modo Deus præparavit gloriam electis quo eam promittit in Scriptura: atqui illam promittit ut mercedem, ut præmium, etc. 3. Electi glo-

riam æternam libere consequuntur : atqui non videtur quomodo eam libere consequerentur, si antecederet et absolute ad illam prædestinati essent : ergo.

Adversarii hujus sententiæ respondent, 1° *ad argumentum ex Scriptura*, duplex in Deo esse decretum prædestinationis, unum quo statuit dare his vel illis hominibus gratias efficaces, quæ non impediunt merita ; et alterum quo decernit hæc merita gloria æterna coronari.

2° *Ad testimonia Patrum*, dicunt similiter sanctos Doctores duplex agnovisse decretum Dei, et locutos esse modo juxta decretum dandi gloriam meritis, modo juxta propositum concedendi gratias ex natura sua efficaces, ad merita infallibiliter deducentes.

3° *Ad rationes* respondent 1° male inferri prædestinationem ad gloriam fieri ob merita, quia in tempore coronantur merita. Hæc difficultas, inquirunt, occurrit solvenda his omnibus qui admittunt gratiam efficacem, ac proinde omnibus catholicis : nam hæc gratia non conceditur ob merita, et tamen merita ex illa procedentia vitam æternam acquirunt de condigno. 2° Gloria æterna non aliter promittitur in Scriptura, quam conceditur : ergo eadem valet responsio. 3° Gratia efficax, juxta omnes, libertatem non tollit, nec divina præscientia : ergo a pari nec prædestinatio.

Sententia eorum qui dicunt prædestinationem fieri ante prævisa merita, et esse omnino gratuitam.

Prob. ex Scriptura sacra, SS. Patribus et ratione.

1° *Ex Scriptura sacra*. Permulti citari solent textus ; quosdam tantum seligemus. Joan. x, 26 : *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis*. Si prædestinatio fieret ob merita, dicendum foret, e contra : *Non estis ex ovibus meis, quia non creditis*. Act. xii, 48 : *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam*. Ergo non fuerunt præordinati quia crediderunt, seu propter merita, sed crediderunt quia ad vitam æternam erant præordinati.

Rom. viii, 30 : *Quos prædestinavit, hos et vocavit, et*

quos vocavit, hos et justificavit. Eos igitur ad fidem vocavit et justificavit, qui erant prædestinati.

B. Paulus requirens rationem cur Deus Jacob prætulit Esaü in sinu Rebeckæ, ait, Rom. ix, 11 : *Cum enim nondum nati fuissent aut aliquid boni egissent, aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei : Quia major serviet minori, sicut scriptum est : Jacob dilexi, Esaü autem odio habui*. Unde Apostolus concludit, y. 16 : *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*. Multa alia taceo. Ergo 1°.

2° *Ex SS. Patribus*. S. Aug. fere in tot° libro de Prædestinatione sanctorum et alibi, fatentibus plerisque alterius sententiæ defensoribus, hanc propositionem docet.

S. Fulgentius, lib. de Fide ad Petrum, cap. 3, dicit : « Illi cum Christo regnabunt, quos Deus gratuita bonitate sua prædestinavit ad regnum. »

S. Th., de Veritate, q. 6, art. 2, ait : « Causa prædestinationis nihil aliud est quam bonitas ipsius Dei. » Ergo 2°.

3° *Ratione*. Qui vult ordinate, prius intendit finem quam media : v. g., medicus prius intendit sanitatem ægroti quam medicamenta quæ illi præparat : atqui Deus ab æterno præparavit gratias efficaces ex quibus sequuntur merita : ergo prius intendebat gloriam meritis debitam.

Defensores alterius sententiæ respondent : *Ad primum*, Scripturam in locis citatis et in multis aliis loqui de prædestinatione ad gratiam, quæ, si omnes catholicos, est gratuita et antecedens, et non impedit quin prædestinatio ad gloriam fiat ob prævisa merita ;

Ad secundum, Patres et doctores similiter locutos esse, in locis objectis, de prædestinatione ad gratiam ; vel suam emisisse opinionem, non vero Ecclesiæ doctrinam ;

Ad tertium, concessionem gratiæ esse quid in se optimum ac proinde Deum immediate eam sibi proponere potuisse, et secundario statuere se meritis inde provenituris gloriam daturum. Ergo.

Concludendum est quæstionem esse solutu difficillimam; cum ad praxim non pertineat, eam aliis solvendam dimittimus. Fatemur tamen posteriorem sententiam, quæ tenet prædestinationem esse gratuitam et antecedentem, esse multo communiorem, et Scripturæ conformiorem videri. *Quid ergo dicemus?* inquit Apostolus, Rom. ix, 14, *numquid iniquitas apud Deum? Absit... O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!*

« Je conclus, » inquit Bossuet, *Traité du libre Arbitre*, c. 3, « que deux choses nous sont évidentes par la seule » raison naturelle : l'une, que nous sommes libres.... » l'autre, que les actions de notre liberté sont comprises » dans les décrets de la Providence, et qu'elle a des » moyens certains de les conduire à ses fins. »

Queritur 1º an numerus prædestinatorum sit certus et invariabilis.

R. Est certus apud Deum; sive enim prædestinatio fiat ob merita prævisa, sive antecederet ad merita, Deus infallibiliter cognoscit ab æterno qui coronandi quive reprobandi sunt: ergo numerus prædestinatorum est certus et determinatus.

Attamen, cum divina prædestinatio libertati humanæ non noceat, et bonum illius usum supponat, satagere debemus ut per opera nostra bona certam nostram electionem faciamus, licet ratio nostra sub altitudine hujus doctrinæ obruatur.

Queritur 2º an numerus prædestinatorum sit major vel minor numero reprobatorum.

R. 1º. Si agatur de hominibus in genere, constat numerum reprobatorum longe majorem futurum esse numero prædestinatorum. Ita S. Th., 1, q. 23, art. 7, et, post ipsum, omnes theologi sequentibus verbis Christi innixi, Matth. vii, 14: *Quam angusta porta, et arcta via est quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam!* Hoc insuper manifestat numerus infidelium, hæreticorum, schismaticorum et incredulorum incomparabiliter major.

R. 2º. Si vero de catholicis tantum agatur, certum est

verba Christi, Matth. xx, 16, *Multi sunt vocati, pauci vero electi*, minorem esse numerum electorum non probare: nam generalia sunt, et nihil ostendit ea ad solos catholicos restringenda esse. Insuper de sensu eorum idem non sentiunt S. Scripturæ interpretes. Communius tamen docent theologi numerum electorum numero reprobatorum inferiorem esse. Fere omnes post justitiam in Baptismo acceptam in mortalia peccata labuntur. Quis affirmare auderet plerosque ad Deum sincere reverti et in sanctitate decedere?

Contradicunt alii, inter quos Suarez. Bened. XIV, Inst. xxvii, n. 17, triplicem circa hoc punctum sententiam exponit, et ab una amplectenda abstinendum judicat. Vid. Bergier, *Traité de la Relig.*, part. iii, ch. 11,

Queritur 3º an quis certo judicare possit se inter prædestinatos numerari.

R. negative, nisi specialis illi affulgeat revelatio. *Patet ex supradictis*, pag. 387. Quædam tamen sunt signa a SS. Patribus indicata quibus hoc fiducialiter conjecturare possimus, nempe 1º constans patientia in tolerandis adversitatibus, juxta hæc verba Luc. xvi, 25: *Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala.* 2º Misericordia in pauperes et dilectio inimicorum: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*, Matth. v, 7; *Diligite inimicos vestros*, ibid. 44. 3º Bonæ conscientiæ testimonium et longa perseverantia in statu gratiæ, quia, ut ait S. Aug., *qualis vita, finis ita.* 4º Gustus verbi divini, amor librorum de pietate tractantium, læta correptionum et admonitionum susceptio, juxta hæc verba: *Oves meæ vocem meam audiunt*, Joan. x, 27; *Qui ex Deo est verba Dei audit*, ibid. viii, 48. 5º Singularis devotio erga B. Virginem Mariam, quam Ecclesia vocat spem nostram: nullus autem patrocinio ejus confidere potest, nisi virtutes quas excoluit imitari studeat.

Queritur 4º quid intelligendum sit per librum vitæ.

R. Duplex distinguendus est liber vitæ: unus in quo omnes inscribuntur justi adhuc viventes, sive perseve-

raturi sint, sive non : ex hoc libro deleri possunt. Plures sic interpretantur sequentia Psalmistæ verba, Ps. LXVIII, 29 : *Deleantur de libro vitæ, et cum justis non scribentur.* Et alter liber de quo fit mentio in Epist. ad Philipp. iv, 3 : *Quorum nomina scripta sunt in libro vitæ;* et in Apoc. XVII, 8 : *Quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ a constitutione mundi,* est liber solis prædestinationis destinatus, et nihil aliud est quam firma in mente divina notitia eorum qui electi sunt ad vitam æternam. Qui in hoc libro scriptus est, nunquam deleri potest, licet vera libertate gaudeat, quia hæc conscriptio supponit bonum usum ipsius libertatis a Deo prævisum.

Alius est liber in quo uniuscujusque actus continentur, unde judicabitur, Apoc. xx, 12.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE REPROBATIONE.

Reprobatio est actus quo Deus ab æterno statuit quosdam homines, in vindictam propriarum culparum, perpetuis addicere suppliciis. Duplex distinguitur; positiva scilicet et negativa. *Positiva* ea est qua Deus, actu voluntatis positivo, aliquos homines a gloria excludit et ad æternas pœnas devovet. *Negativa* vero in eo consistit quod Deus, actum prædestinationis condens, quosdam homines in eo non includat, unde sequitur eos reprobandos ac suppliciis æternis addicendos esse.

Certum est dari reprobationem positivam : nam de fide est Deum multos in tempore æternis devovere suppliciis, nempe omnes qui in peccato mortali decedunt : porro quod facit in tempore, ab æterno decrevit illud facere : ergo ab æterno hos omnes reprobare voluit. In hoc nulla est difficultas.

Sed petitur an illud decretum peccata reproborum prævisa supponat, an vero sit antecedens et sola Dei voluntate innixum.

Prædestinatiani affirmare audebant Deum actu volun-

tatis positivo et antecedenti quosdam ad æterna devovisse supplicia, sicut alios ad gloriam : Calvinus idem docere non erubuit.

Inter Calvinistas, alii fuerunt in hoc puncto mitiores, et dixerunt decretum reprobationis in prævisione peccati originalis fundari, et dicti sunt *Postlapsarii*; et alii durissimam opinionem magistri retinentes, vocati sunt *Antelapsarii*.

Jansenius ejusque asseclæ ad sententiam *Postlapsariorum* accedunt, arbitantes Deum quosdam e massa perditionis ab æterno misericordia sua elegerisse, et cæteros in eadem massa relinquere statuisse, nec gratias relative sufficientes eis præparasse : contra hos omnes sit

PROPOSITIO.

Deus neminem, etiam post peccatum originale, ad æterna destinat supplicia, nisi ob prævisa peccata.

Prob. Scriptura sacra, concilii, SS. Patribus et ratione.

1º *Scriptura sacra.* Ezech. XVIII, 23 : *Numquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus, et non ut convertatur a viis suis et vivat?* Il Petr. III, 9 : *Dominus... nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Illi textus evidenter de homine in statu præsentis, seu de homine lapsio intelligendi sunt. Ergo 1º.

2º *Conciliis.* Conc. II Arausicanum, can. 23 : « Ali-
» quos ad malum divina potestate prædestinatos non so-
» lum non credimus, sed etiam si sunt qui tantum
» malum credere velint, cum omni detestatione illis
» anathema dicimus. »

Conc. Trid., sess. 6, can. 17 : « Si quis justificationis gra-
» tiam non nisi prædestinatis ad vitam contingere dixe-
» rit, reliquos vero omnes qui vocantur, vocari quidem,
» sed gratiam non accipere, ut pote divina potestate præ-
» destinatos ad malum; anathema sit. » Unde sic : Nulli

homines, etiam posito peccato originali, divina potestate prædestinati sunt ad malum : atqui, si prædestinentur ad reprobationem, eo ipso prædestinati essent ad malum : ergo, etc. Ergo 2^o.

3^o SS. Patribus. S. Aug., lib. 3 contra Julianum, cap. 18 : « Bonus est Deus ; justus est Deus : potest alii quos sine bonis meritis liberare, quia bonus est : non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia justus est. »

S. Prosper, responsione ad tertiam objectionem Vincentianam : « Omnium quidem hominum Deus creator est, sed nemo ab eo ideo creatus est ut periret. » Multi alii citari possent. Ergo, etc. Ergo 3^o.

4^o Ratione. 1^o Impium est dicere Deum summe bonum creaturas rationales e nihilo educere cum intentione formali et antecedente eas ineluctabili fato ad malum et ad pœnas æternas deducendi. 2^o Deus, ut probavimus, vult sincere salutem omnium hominum eisque gratias relative sufficientes offert : ergo, etc. ; aliunde, etc. Ergo.

Dices : Deus universa propter semetipsum operatus est, et impium quoque ad diem malum, Prov. xvi, 4 ; Jacob dilexi, Esau autem odio habui, Rom. ix, 13 ; Cum... nondum... aliquid boni egissent, aut mali, ibid. 11 ; cor Pharaonis induravit, malum non semel præcepit. Ergo.

R. Nego conseq. Vel enim textus nobis objecti de reprobatione non sunt intelligendi, vel supponunt reprobationem fieri ob prævisa demerita, alioquin Deus sibi contradiceret : nam ipsi odio sunt impius et impietas ejus, Sap. xiv, 9 ; et aliunde mortem ejus non vult, sed potius ut convertatur et vivat. Sic 1^o impium non fecit ad diem malum, sed hominem voluntarie impium ad manifestationem gloriæ suæ inservire faciet in die judicii ; sic 2^o Jacob dilexit, eum positive eligendo ; Esau vero odio habuit, eo sensu quod eum minus dilexerit, quemadmodum dixit Christus, Luc. xvi, 26 : Si quis non odit patrem suum et matrem ; id est, si quis amat patrem aut matrem plus quam me, ut habetur apud Matth. x, 37 ; sic 3^o cor Pharaonis non induravit malitiam impertiendo, sed gra-

tiam efficacem denegando, ut ostendimus ; et ita de cæteris. Ergo.

Quæritur an admittenda sit ex parte Dei reprobatio negativa.

R. affirmative. Constat enim existere ab æterno decretum prædestinationis quosdam tantum homines complectens : cæteri ergo ad gloriam non destinantur, et ideo negative reprobantur. Ergo. Sic omnes catholici.

Quæ autem sit causa hujusmodi reprobationis negativæ, non sibi consentiunt.

Qui contendunt prædestinationem ad gloriam ex prævisis meritis fieri, eo ipso sentiunt reprobationem negativam ob prævisa demerita pariter locum habere. Contra vero, qui tenent prædestinationem esse gratuitam et antecedentem, similiter admittunt reprobationem negativam antecedentem, quæ probabiliter nihil aliud est quam præteritionem, seu non electionem : igitur in ea hypothesis, hæc reprobatio non est actus, sed omissio actus positivi et gratuiti.

Hæc de gratia sufficiunt ad dicendum ; ad agendum nunquam satis erit.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Vox *sacramentum*, a *sacro* derivata, quia pertinet ad rem sacram, triplici modo potissimum accipitur in Scripturis et in traditione, videlicet :

1° Rem sacram, sed occultam significat, ut in sequentibus locis : *Excceperunt illos malitia eorum, et nescierunt sacramenta Dei*, Sap. II, 21 et 22, id est, secreta Dei consilia nescierunt ; *Ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis sue*, Eph. I, 9, id est, occultum voluntatis sue propositum, scilicet Incarnationis mysterium. Eodem sensu vox illa dicitur etiam de re non sacra occulta, quæ vulgari non debet, ut in his verbis : *Sacramentum regis abscondere bonum est*, Tob. XII, 7.

2° Pro mystico rei latentis signo usurpatur : sic, Daniel, II, 30 et 47, somnium Nabuchodonosoris vocatur *sacramentum*, quia decreta Dei significabat ; sic Eph. V, 32, matrimonium dicitur *sacramentum magnum*, quia unio viri cum muliere signum est conjunctionis Christi cum Ecclesia ; ita Apoc. XVII, 7, legitur : *Ego dicam tibi sacramentum mulieris et bestię quæ portat eam quæ habet capita septem et cornua decem* ; et figura explicatur.

Quo sensu voce *sacramentum* utuntur Latini, vocem *mysterium* adhibent Græci.

3° Strictiori sensu SS. Patres et theologi catholici per sacramentum simpliciter intelligunt : *Signum sensibile, a Deo modo permanenti institutum, ad significandam aut producendam gratiam.*

1° *Signum*, non qualecumque, sed speciale et determinatum ; non naturale, sed arbitrarium.

2° *Sensibile* ; quia, cum sit actus religionis et homines in servitio Dei sociare debeat, necesse est ut ab omnibus apprehendi possit.

3° *A Deo institutum* ; quia solius est Dei gratiam alicui signo annectere.

4° *Modo permanenti* ; quia sacramenta ad naturam religionis pertinent : debent ergo esse mansura, non vero transitoria.

5° *Ad gratiam significandam* ; ut in Baptismate, ablutio carnis purgationem animæ significat ; in Eucharistia, panis et vinum refectionem spiritualem denotant, etc.

6° *Aut producendam* ; sacramenta quippe novæ Legis non tantum gratiam significant, sed vim habent eam producendi, *ut infra ostensuri sumus.*

Hæc definitio communis est sacramentis veteris et novæ Legis : ut ea a se invicem secernantur, quædam addendæ vel mutandæ sunt voces.

Sacramenta veteris Legis definiri possunt : *Signum sensibile, a Deo modo permanenti institutum, ad significandam gratiam per merita Christi venturi producendam.*

Non negamus tamen : 1° hæc sacramenta hic et nunc produxisse gratiam ex opere operantis, excitando fidem in Messiam venturum ; 2° remedium pro remissione peccati originalis institutum effectum suum immediate produxisse, licet virtute tantum futurorum Christi meritorum.

Sacramenta vero novæ Legis recte definiuntur : *Signum sensibile, a Christo modo permanenti institutum, ad gratiam significandam eamque vim habens producendi.*

Ad constituendum igitur novæ Legis sacramentum tres requiruntur conditiones, scilicet : 1° signum sensibile, 2° a Christo modo permanenti institutum, et 3° vim habens gratiam producendi.

De sacramento sic intellecto in præsentī Tractatu nobis agendum est, eumque in septem dividemus capita quorum primum erit de existentia ; secundum, de effectibus ; tertium, de materia et forma ; quartum, de institutore ; quintum, de ministro ; sextum, de subjecto sacramentorum novæ Legis, et septimum, de eorum caeremoniis ac de sacramentalibus.

CAPUT PRIMUM.

DE SACRAMENTORUM EXISTENTIA.

Hic quærentes solent theologi an vera exstiterint sacramenta 1^o in statu innocentia, ante primi hominis lapsum; 2^o in statu naturæ, videlicet, a lapsu primi hominis usque ad Legem per Moysen datam; 3^o in statu legis scriptæ, et 4^o denique in præsentis statu, sub Lege gratiæ.

1^o Nihil reperitur, sive in Scriptura sacra, sive in traditione, ex quo inferri possit vera exstitisse sacramenta in statu innocentia, aut futura esse necessaria, ex hypothesi quod status ille diu permansisset: a speculativa igitur quæstione ista sapientius abstinetur.

2^o Communiter docetur aliquod in statu naturæ exstitisse remedium quo peccatum originale in parvulis tolleretur; sic S. Aug. contra Julianum, lib. 5, cap. 11: « Non credendum est, et ante datam circumcisionem, famulos Dei, quandoquidem eis inerat Mediatoris fides in carne venturi, nullo sacramento ejus opitulatos fuisse parvulis suis; quamvis quid illud esset aliqua necessaria causa Scriptura latere voluerit. » Huic sententiæ, quæ bonitati Dei valde congruit, omnes theologi subscribunt.

Omnes pariter tenent remedium de quo hic agitur fuisse fidem: fidem quidem propriam pro adultis, ut videre est apud B. Paulum ad Hebræos, cap. xi, et fidem parentum pro parvulis; sed quærent an fides illa exprimi debuerit per aliquod signum externum, et an signum istud verum fuerit sacramentum: « Probabile est, inquit S. Thomas in 3 part., q. 70, art. 4, quod parentes fideles pro parvulis natis et maxime in periculo existentibus, aliquas preces Deo funderent, vel aliquam benedictionem eis adhiberent (quod erat quoddam si-

gnaculum fidei), sicut adulti pro seipsis preces et sacrificia offerebant. » A sapienti hac opinione cæteri doctores non recedunt.

An vero signum illud, ex hypothesi quod exstiterit, verum fuerit sacramentum? Quidam affirmant ut probabile, et plerique volunt illud tantum fuisse sacramentum imperfectum. Rem, ut pote difficilem et ad praxim prorsus inutilem, in dubio relinquimus. Quod ad circumcisionem attinet, de illa in Tractatu de *Baptismo* dicemus.

3^o Certum est in lege Mosaica plurima exstitisse sacramenta improprie dicta, videlicet, ritus sacros a Deo permanentemente institutos, ad significandam gratiam per merita Christi venturi dandam, ut agnum paschalem, panes propositionis, sacerdotum consecrationem, Judæorum expiationes, etc.; concilium enim Florentinum, in Decreto ad Armenos, et concilium Trid., sess. 7, can. 2, propriis verbis docent *novæ Legis sacramenta a sacramentis antiquæ Legis differre*; idem habet S. Aug. variis in locis, v. g., contra Faustum, lib. 19, cap. 13: « Prima sacramenta quæ observabantur et celebrabantur ex Lege, prænuntiativa erant Christi venturi, quæ, cum suo adventu Christus implevisset, ablata sunt.... et alia sunt instituta virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora. » Ergo in veteri Lege erant sacramenta, sed a sacramentis novæ Legis longe dissimilia, *ut ex infra dicendis clarius patebit.*

4^o In confesso est apud omnes Christianos existere sacramenta proprie dicta in nova Lege: at Lutherani, Calvinistæ eorumque progenies, nec catholicis, nec sibi invicem consentiunt quoad sacramentorum numerum; alii enim duo, alii tria admittunt, et cætera rejiciunt: communius nunc Baptismum et Eucharistiam tantum agnoscunt, et insuper rationem veri sacramenti eis adimunt, quod infra ostendemus. Contra eos omnes sit sequens

PROPOSITIO.

Septem in nova Lege existunt sacramenta proprie dicta, nec plura, nec pauciora.

Prob. Firmiter tenenda est propositio quæ est de fide catholica, probatur insuper ex Scriptura sacra, testimoniis SS. Patrum et argumento præscriptionis : atqui talis est propositio nostra.

1° *Est de fide catholica* ; sic enim se habet conc. Florent., in Decreto ad Armenos : « Novæ Legis septem sunt sacramenta, scilicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-unctio, Ordo et Matrimonium. » Concil. Trid., sess. 7, can. 1 : « Si quis dixerit sacramenta novæ Legis... esse plura vel pauciora quam septem, videlicet Baptismum, etc., aut etiam aliquod horum non esse vere et proprie sacramentum ; anathema sit. » Ergo 1°.

2° et 3° Argumenta ex Scriptura sacra et sanctorum Patrum testimoniis deducta exponemus in speciali de singulis sacramentis Tractatu : idcirco ea hic omittimus, ne eadem repetere cogamur.

4° *Ex argumento præscriptionis.* Ut ex præscriptione invicte demonstraretur septem esse sacramenta, duo sufficiunt, scilicet, 1° ut tempore novatorum Ecclesia tum Occidentalis, tum Orientalis, septem admiserit, et 2° ut ea ab Apostolis semper sic tenuerit : atqui hæc duo certa sunt.

Primo, tempore novatorum septem admittebat sacramenta. Quoad Ecclesiam Occidentalem, patet ex conciliis Florentino et Tridentino modo citatis, et ex ipsorum hæreticorum confessione. Quoad Ecclesiam Orientalem, constat 1° ex responsione Jeremiæ, patriarchæ Constantinopolitani, qui, anno 1573, Confessionem Augustanam a theologis Wurtembergensibus ad se missam apertis verbis confutans, declaravit « sacramenta in Ecclesia catholica, a Christianis orthodoxis recepta, numero

» septenario contineri, Baptismo nimirum, unctione
» divini chrismatismis, Communionem divinam, Ordinationem,
» Matrimonio, Pœnitentia et Oleo sancto. » 2° Ex synodo Constantinopoli anno 1638 habita, in qua sedebant tres patriarchæ, viginti et unus episcopi vel archiepiscopi et viginti tres delegati : in ea sequens, nemine reclamante, conditus est canon : « Anathema Cyrillo, nova » dogmata fabricanti, et credenti non esse ex institutione Jesu Christi, neque ex Apostolorum traditione » praxique perpetua, septem Ecclesiæ sacramenta, Baptismum scilicet, etc., sed falso asserenti duo tantum a » Christo in Evangelio data esse aut instituta, Baptismum et Eucharistiam. » Cyrillus *Lucar*, de quo hic agitur, patriarcha Constantinopolitanus fuerat, et erroribus Calvinianis imbutus, eos propagare tentaverat : unde semel defunctus, sic anathemate percussus fuit. 3° Ex euchologiis Græcorum, in quibus, sicut in ritualibus nostris, præscribuntur cæremoniæ pro administratione septem sacramentorum, et ex praxi aliarum sectarum Orientalium, ut Cophtarum, Jacobitarum, Syriorum, Maronitarum, etc., qui etiam septem habent sacramenta.

Secundo, *utraque Ecclesia semper ab Apostolis tenuit septem esse sacramenta.* Vel enim semper tenuit septem esse sacramenta, et septem tantum ; vel quædam eorum decursu temporis fuerunt addita aut suppressa : atqui posterius dici non potest. Etenim 1° septem sacramenta nunc nota in monumentis omnium sæculorum reperiuntur descripta vel supposita, ut agendo de singulis speciatim ostensuri sumus. 2° Ex natura sua usus sunt communis ; omnibus nota esse semper debuerunt : repugnat igitur quædam in decursu temporis institui potuisse, et omnibus persuaderi tanquam divina et a Christo perpetuo usu descendente. 3° Si talis suppositio facta fuisset a Romano pontifice, ut affirmare non erubescunt Protestantes, numquid Ecclesiæ Orientales illam admisissent eodem modo ? numquid omnes pari persuasionem firmiter credidissent sacramenta sic excogitata a Christo fuisse instituta et in cunctis retro sæculis fre-

quentata? Nulla major sane fingi potest absurditas. 4° Si, per impossibile, innovatio a Protestantibus allegata locum habuisset, quædam vestigia relinquere debuisset; saltem assignari posset tempus quo sacramenta, quæ dicuntur supposita, nondum existebant: atqui Protestantes nihil horum assignare et positivis testimoniis probare possunt. Ergo concludendum est septem sacramenta in Ecclesia catholica nunc existentia semper existisse, juxta hanc S. Aug. regulam, contra Donat., lib. 4, cap. 24: « Quod nniversa tenet Ecclesia, nec conciliis » institutum, sed semper retentum est, non nisi aucto- » ritate Apostolica traditum rectissime creditur. » Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Nullibi legitur in Scriptura sacra, neque in sanctis Patribus, ante Hugonem a S. Victore, anno 1140 mortuum, septem esse sacramenta. Ergo.

R. 1°. Nullibi legitur duo vel tria tantum esse sacramenta: ergo ille numerus admitti non debet.

R. 2°. *Dist. ant.* Nullibi legitur septem esse sacramenta, explicite, *concedo*; implicite, *nego ant.* Etenim fatemur quod septenarius numerus sacramentorum non reperiatur explicite, id est propriis verbis, neque in Scriptura sacra, neque in sanctis Patribus; at reperitur implicite, siquidem, agendo seorsim de septem sacramentis, probatur ex Scriptura et ex sanctis Patribus ea vera et proprie dicta esse sacramenta. Porro, in ipsorum Protestantium principiis, hoc sufficit ut ea dicantur in Scriptura et in operibus Patrum contenta; alia enim admittunt quæ aliter in Scriptura non continentur, ut vocem *Trinitas*, validitatem baptismi a muliere collati, etc. Ergo.

Inst. SS. Patres, de sacramentis loquendo, alii duo exhibent, ut S. Justinus in I Apologia; alii tria, ut S. Ambrosius, in speciali Tractatu *de Sacramentis* inscripto, etc.: atqui tamen de omnibus sacramentis in his operibus loqui debuissent: ergo.

R. Nego min. Prædicti enim Patres non sibi propone-

bant, in citatis operibus, de omnibus sacramentis tractare, sicut fecerunt Hugo a S. Victore multique theologi: sed 1° S. Justinus, calumnias adversus Christianos intentatas repellens, maxime eas quibus accusabantur atheismi, quia deos negabant, et crudelitatis, quia dicebatur illos carnibus humanis vesci in suis conventiculis, ostendit, explicando Baptismum, quomodo in unum Deum, trinum in personis, credant, et similiter in quo mysterium sanctissimæ Eucharistiæ consistat patefacit, ut atrox calumnia evanescat: non igitur ipsi erat locus de cæteris sacramentis loquendi. 2° S. Ambrosius non intendebat de omnibus sacramentis disserere, sed tantum de iis quæ neophyti suscipere debebant: porro neophyti Baptismum, Confirmationem et Eucharistiam tantum simul suscepturi erant: non mirum ergo si S. Ambrosius de his tantum tribus sacramentis in dicto opere tractaverit. Aliunde non constat illum esse auctorem hujusce libri.

Sic pariter, quando Patres dixerunt sacramenta de latere Christi, sub figura sanguinis et aquæ fluxisse, ac insuper aquam significasse Baptismum, et sanguinem Eucharistiam, noluerunt negare alia esse sacramenta: insulse ergo talia testimonia in sui gratiam congerunt Protestantes.

Obj. 2°. Lotio pedum, de qua apud Joannem, XIII, 4 et seq., inter sacramenta novæ Legis reputanda est, ut patet tum ex ipso textu; tum ex S. Cypriano, Tractatu de Ablutione pedum; tum ex S. Ambrosio, de Sacramentis, lib. 3, cap. 1, et lib. de Mysteriis, cap. 6; tum præsertim ex S. Bernardo, Sermone I in Cœna Domini. Ergo sunt plus quam septem sacramenta.

R. Nego ant. Theologi quidem hanc proponunt difficultatem eamque longius evolvunt; sed nulli, sive hæretici, sive catholici, serio docent lotionem pedum proprie dictum esse sacramentum: non igitur est ratio cur in disceptanda hac difficultate immoremur. Si Christus pedes discipulorum suorum laverit, id humilitatis causa fecit, ut ipse dicit, *ibid. v. 14: Si ego lavi pedes vestros,*

Dominus et Magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos facitis. Et si Patres, ac præsertim S. Bernardus, lotionem pedum vocaverint sacramentum, id intelligendum est de sacramento improprie dicto, vel de quodam sacramentali gratiam ex opere operantis producente, ut tenetur de aqua benedicta et de nonnullis aliis cæremoniis pure ecclesiasticis.

Nec similiter reputandi sunt inter sacramenta proprie dicta Baptismus fluminis et Baptismus sanguinis, qui realiter non sunt baptismi nisi per analogiam. Duplex est species in Eucharistia et unicum sacramentum; septem sunt ordinationes, et unicum sacramentum ordinis diversos habens gradus.

Queritur an conveniens fuerit septem esse sacramenta, nec plura, nec pauciora.

Respondent Græci conveniens fuisse, et dicunt septem sacramenta septem donis Spiritus sancti respondere, licet qua ratione singula dona singulis sacramentis inesse definire non valeant: « Sicut septem sunt dona Spiritus sancti, item septem sunt sacramenta quæ Spiritus sanctus operatur, » inquit patriarcha Jeremias, in loco supra citato.

Affirmant etiam Latini numerum septenarium sacramentorum congruentissimum fuisse: « Cur autem neque plura neque pauciora numerentur, » inquit Catechismus concilii Trid., 2 part., tit. de Sacram., n. 18, « ex his etiam rebus quæ per similitudinem a naturali vita ad spiritualem transferuntur, probabili quadam ratione ostendi poterit. Homini enim ad vivendum vitæ tamque conservandam et sua rei publicæ utilitate traduendam, hæc septem necessaria videntur: ut scilicet in lucem edatur, augeatur, alatur; si in morbum incidat, sanetur; imbecillitas virium reficiatur: deinde, quod ad rempublicam attinet, ut magistratus nunquam desint, quorum auctoritate et imperio regatur; ac postremo, legitima sobolis propagatione seipsum et humanum genus conservet. Quæ omnia quoniam vitæ illi,

» qua anima Deo vivit, respondere satis apparet, ex his facile sacramentorum numerus colligetur. »

Postea idem Catechismus ostendit Baptismum ad vitam spiritualem generare, Confirmationem roborare, Eucharistiam alere, Pœnitentiam sanitatem amissam restituere, Extremam-Uctionem reliquias peccati delere, et reficere, Ordinem magistratus spirituales constituere, et Matrimonium conservationi generis humani, per liberorum procreationem piamque eorum educationem, providere.

Addit cuncta sacramenta, etsi divinam virtutem continentia, non eandem necessitatem aut dignitatem habere; Baptismum esse omnibus necessarium, Pœnitentiam iis duntaxat qui aliquo peccato mortali, post susceptum Baptismum, se commaculaverunt, et Ordinem respectu totius societatis christianæ, non autem respectu cujuscumque individui; advertit merito sacram Eucharistiam cæteris sacramentis dignitate præcellere.

Sacramenta, juxta *Moelher*, duobus constantia elementis, uno divino et altero humano, sunt figura Christi Dei et hominis suam per ea actionem in Ecclesia perpetuas continuantis. *Symbol.*, t. II, liv. 1, ch. 5.

CAPUT SECUNDUM.

DE SACRAMENTORUM EFFECTIBUS.

Ipsi Protestantes fatentur aliquam inesse virtutem sacramentis quæ admittunt, alioquin eis non uterentur; sed in eo, sicut in multis aliis, non sibi consentiunt. Sociniani et Anabaptistæ ea habent tantum ut signa exterioris professionis fidei, et distinctionis fidelium ab infidelibus: Lutherani et Calvinistæ, arbitantes justificationem non obtineri per infusionem gratiæ, sed per justitiæ Christi fide apprehensæ imputationem, docent sacramenta gratiam non conferre, verum solummodo

Dominus et Magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos facitis. Et si Patres, ac præsertim S. Bernardus, lotionem pedum vocaverint sacramentum, id intelligendum est de sacramento improprie dicto, vel de quodam sacramentali gratiam ex opere operantis producente, ut tenetur de aqua benedicta et de nonnullis aliis cæremoniis pure ecclesiasticis.

Nec similiter reputandi sunt inter sacramenta proprie dicta Baptismus fluminis et Baptismus sanguinis, qui realiter non sunt baptismi nisi per analogiam. Duplex est species in Eucharistia et unicum sacramentum; septem sunt ordinationes, et unicum sacramentum ordinis diversos habens gradus.

Queritur an conveniens fuerit septem esse sacramenta, nec plura, nec pauciora.

Respondent Græci conveniens fuisse, et dicunt septem sacramenta septem donis Spiritus sancti respondere, licet qua ratione singula dona singulis sacramentis inesse definire non valeant: « Sicut septem sunt dona Spiritus sancti, item septem sunt sacramenta quæ Spiritus sanctus operatur, » inquit patriarcha Jeremias, in loco supra citato.

Affirmant etiam Latini numerum septenarium sacramentorum congruentissimum fuisse: « Cur autem neque plura neque pauciora numerentur, » inquit Catechismus concilii Trid., 2 part., tit. de Sacram., n. 18, « ex his etiam rebus quæ per similitudinem a naturali vita ad spiritualem transferuntur, probabili quadam ratione ostendi poterit. Homini enim ad vivendum vitæ tamque conservandam et sua rei publicæ utilitate traducendam, hæc septem necessaria videntur: ut scilicet in lucem edatur, augeatur, alatur; si in morbum incidat, sanetur; imbecillitas virium reficiatur: deinde, quod ad rempublicam attinet, ut magistratus nunquam desint, quorum auctoritate et imperio regatur; ac postremo, legitima sobolis propagatione seipsum et humanum genus conservet. Quæ omnia quoniam vitæ illi,

» qua anima Deo vivit, respondere satis apparet, ex his facile sacramentorum numerus colligetur. »

Postea idem Catechismus ostendit Baptismum ad vitam spiritualem generare, Confirmationem roborare, Eucharistiam alere, Pœnitentiam sanitatem amissam restituere, Extremam-Uctionem reliquias peccati delere, et reficere, Ordinem magistratus spirituales constituere, et Matrimonium conservationi generis humani, per liberorum procreationem piamque eorum educationem, providere.

Addit cuncta sacramenta, etsi divinam virtutem continentia, non eandem necessitatem aut dignitatem habere; Baptismum esse omnibus necessarium, Pœnitentiam iis duntaxat qui aliquo peccato mortali, post susceptum Baptismum, se commaculaverunt, et Ordinem respectu totius societatis christianæ, non autem respectu cujuscumque individui; advertit merito sacram Eucharistiam cæteris sacramentis dignitate præcellere.

Sacramenta, juxta *Moelher*, duobus constantia elementis, uno divino et altero humano, sunt figura Christi Dei et hominis suam per ea actionem in Ecclesia perpetuas continuantis. *Symbol.*, t. II, liv. 1, ch. 5.

CAPUT SECUNDUM.

DE SACRAMENTORUM EFFECTIBUS.

Ipsi Protestantes fatentur aliquam inesse virtutem sacramentis quæ admittunt, alioquin eis non uterentur; sed in eo, sicut in multis aliis, non sibi consentiunt. Sociniani et Anabaptistæ ea habent tantum ut signa exterioris professionis fidei, et distinctionis fidelium ab infidelibus: Lutherani et Calvinistæ, arbitantes justificationem non obtineri per infusionem gratiæ, sed per justitiæ Christi fide apprehensæ imputationem, docent sacramenta gratiam non conferre, verum solummodo

idonea esse ad excitandam fidem qua justitia Christi apprehenditur et imputatur, licet quandoque magnificis verbis de illorum efficacia loquantur. Unde, juxta ipsos, verba in administrandis sacramentis proferenda, non sunt consecratoria, sed tantum concionatoria,

Quærendum est igitur in hoc capite 1º an et quomodo sacramenta novæ Legis producant gratiam; 2º qualem gratiam; 3º quid sit character, et an producat.

ARTICULUS PRIMUS.

AN ET QUOMODO SACRAMENTA NOVÆ LEGIS PRODUCANT GRATIAM.

Duplici modo intelligitur gratiam ope sacramentorum produci posse, scilicet ex opere operantis, et ex opere operato, ut aiunt theologi. Gratia producitur *ex opere operantis*, si Deus eam, solo intuitu dispositionum, sive ministri, sive suscipientis, tribuat; producitur vero *ex opere operato*, si, ex institutione Christi, ritus sacer vim habeat per se gratiam conferendi iis qui obicem non ponunt. Hunc posteriorem operandi modum negant Protestantes, ut pote fundamentali eorum systemati de justificatione per fidem oppositum. *Moelher, Symbol., liv. 1, ch. 4.* Contra quos sit

PROPOSITIO.

Sacramenta novæ Legis gratiam, obicem non ponentibus, ex opere operato conferunt.

Prob. Illa propositio est de fide, probatur ex Scriptura sacra, sanctis Patribus et ratione.

1º *Est de fide*; continetur enim in Decreto concilii Florentini ad Armenos, his verbis: « Novæ Legis sacramenta... multum a sacramentis differunt antiquæ Legis; illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam figurabant; hæc vero nostra continent gratiam, et ipsam digne suscipientibus conferunt. »

Concil. Trid. definit, sess. 7, can. 2, sacramenta novæ Legis a sacramentis antiquæ Legis aliter quam per cæremonias et ritus differre: ergo differunt per modum gratiam producendi. Expressius loquitur in canonibus 6 et 7, et tandem 8, ait: « Si quis dixerit per ipsa novæ Legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere; anathema sit. » Ergo 1º.

2º *Probat Scriptura sacra.* Joan. III, 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*; Eph. V, 26: *Ut illam sanctificaret* (Ecclesiam), *mundans lavacro aquæ in verbo vitæ*; Act. VIII, 17: *Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum*; Joan. XX, 23: *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis*; II Tim. I, 6: *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ in te est per impositionem manuum mearum.* Nonne genuinus et obvius sensus prædictorum verborum est, gratiam per ipsum sacramentum produci, non vero per fidem, occasione sacramenti? Sic tota traditio ea semper intellexit. Idem dicendum est de aliis sacramentis; id non negant Protestantes, supposito quod illa existant. Ergo 2º.

3º *Ex SS. Patribus.* Tertull., lib. de Baptismo, cap. 4: « Supervenit enim statim Spiritus de cælis, et aquis subperest, sanctificans eas de semetipso, et ita sanctificatæ, vim sanctificandi combibunt. »

S. Leo, Serm. 24 in Nativitate Domini: « Dominus Jesus originem quam sumpsit in utero Virginis, posuit in fonte Baptismatis; dedit aquæ quod dedit Matri: virtus enim Altissimi, quæ fecit ut Maria pareret Salvatore, eadem facit ut regeneret unda credentem. »

S. Aug., Tract. 80 in Joan.: « Tanta virtus aquæ, ut corpus tangat et cor abluat. » In his textibus effectus evidenter tribuitur aquæ: si autem gratia producatur in Baptismo ex opere operato, ruit systema Protestantium: ergo merito concluditur sacramenta in genere gratiam sic producere. Ergo 3º.

4º *Ex ratione.* Iuvicte enim astruitur propositio nostra

adversus Protestantes, si clare ostendatur Baptismum gratiam per se producere, non vero fidem excitando; eo ipso enim fundamentale eorum principium evertitur: atqui clare ostenditur Baptismum, etc. Si enim Baptismus gratiam produceret solummodo fidem excitando, vel in administrante, vel in suscipiente; atqui neutrum dici potest: non in administrante, cum, fatentibus adversariis, valeat Baptismus ab improbis, hæreticis, vel etiam paganis collatus; non in suscipiente, nam 1º ipsi etiam fatentur Protestantes validum esse Baptismum in lingua ignota administratum, parvulis rationis incapacibus, amentibus et sensu, propter ingravescentem morbum, destitutis collatum: unde fideles in Ecclesia Romana sic baptizatos ad se transeuntes non rebaptizant.

2º Ingens datur discrimen inter Baptisma Joannis et Baptisma Christi, ex his Evangelii verbis, Matth. III, 11: *Ego quidem baptizo vos in aqua in penitentiam... ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni.* Atqui tantum non existeret discrimen, si Baptisma Christi gratiam per se non produceret; siquidem Baptisma Joannis eandem vim habebat fidem excitandi. 3º Baptismus necessarius non esset necessitate mediæ; nam fides aliis mediis tam efficaciter vel efficacius excitari posset, v. g., lectione Evangelii, meditatione passionum et mortis Christi, concione vehementi, etc. 4º Gratia sacramenti tam in adstantibus quam in suscipiente produci posset, et sæpe abundantior, quia non repugnat fidem eorum magis excitari: ergo 4º, etc.; aliunde, etc. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1º. Voces, ex opere operato, non sunt tantum barbaræ, sed et novæ: ergo rejiciendæ sunt.

R. 1º. Quidam ostendere volunt dictas voces grammaticæ regulis non absolute contrarias esse: sed esto quod sint barbaræ, melius est reprehendant nos grammatici quam non intelligant populi, inquit S. Aug. in Ps. cxxxviii, n. 20.

R. 2º. Dist. ant. Prædictæ voces sunt novæ quoad sonum, transeat; quoad rem, nego ant. Etenim non negamus eas esse novas quoad sonum; non enim reperiuntur apud Patres: non tamen sunt omnino novæ, siquidem S. Thomas, in 4 Sent., dist. 1, q. 1, art. 5, et antea Innocentius III eis usi sunt: idcirco diximus transeat. Sed negamus eas esse novas quoad sensum, siquidem probavimus sacramenta gratiam ex se producere; ergo conveniens erat uti vocibus talem operandi modum clare exprimentibus; non mirum igitur si Ecclesia eas adoptaverit, sicut longe antea voces *Trinitas, consubstantialis, etc.*, adoptaverat, quod Lutherani et Calvinistæ non reprehendunt. Ergo.

Inst. 1º Inde sequeretur dispositiones in sacramenta suscipientibus necessarias non esse: atqui hoc repugnat: ergo.

R. Nego maj. In doctrina quidem nostra, certum est dispositiones suscipientis sacramentum non habere virtutem gratiam producendi, verum contendimus, cum universa Ecclesia catholica, eas prærequiri in adultis, tanquam conditiones sine quibus gratia non susciperetur, quod fusius infra dicemus: non nisi ergo per insignem malæ fidei calumniam, talem sequelam ex doctrina nostra deducere possunt hæretici. Unde merito concil. Trid., sess. 14, cap. 4, dicit: «Falso quidam calumniantur catholicos scriptores, quasi tradiderint sacramentum Pœnitentiæ, absque bono motu suscipientium, gratiam conferre, quod nunquam Ecclesia Dei docuit nec sensit.» Ergo.

Inst. 2º. In doctrina Ecclesiæ Romanæ, sacramenta novæ Legis a sacramentis antiquæ Legis in eo differunt, quod gratiam ex opere operato producant, dum alia ex opere operantis tantum eam produxerint: atqui tollitur hoc discrimen, si prærequirantur dispositiones in suscipientibus: ergo.

R. Nego min. Sacramenta enim antiquæ Legis erant signa nuda, nullam virtutem habentia, sed tantum idonea ad excitandam fidem, contritionem, sicque ad obti-

nendam Dei gratiam : dum, e contra, sacramenta novæ Legis virtutem habent, ex institutione Christi, gratiam obicem non ponentibus conferendi. Quam differentiam sic describit Catechismus concil. Trid., part. 2, de Sacramento, n. 27 : « Ex iis igitur quæ de priori sacramentorum effectu, gratia scilicet sanctificante, demonstrata sunt, illud etiam plane constat, excellentiorem et præstantiorem vim sacramentis novæ Legis inesse, quam olim veteris Legis sacramenta habuerunt : quæ cum infirma essent egenaque elementa, inquinatos sanctificabant ad emundationem carnis, non animæ : quare, ut signa tantum earum rerum quæ ministeriis nostris efficiendæ essent, instituta sunt. At vero sacramenta novæ Legis, ex Christi latere manantia, emundant conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad servientiam Deo viventi, atque ita eam gratiam quam significant Christi sanguinis virtute operantur. » Ergo.

Obj. 2º. Sola fides justificat, ut patet ex sequentibus B. Pauli verbis : *Justus ex fide vivit*, Rom. 1, 17 ; *Justitia Dei per fidem Jesu Christi, in omnes et super omnes qui credunt in eum*, ibid. III, 22 ; *Corde creditur ad justitiam*, ibid. x, 10. Ergo.

R. Nego ant. Hanc difficultatem jam solvimus in Tractatu de Gratia, p. 380 ; in objectis namque textibus et in aliis similibus, fides sumitur modo complexo pro tota religione christiana ; sumitur etiam pro radice justitiæ et fundamento vitæ spiritualis. Non excluduntur aliæ conditiones ad justificationem requisitæ, et sacramenta gratiam sanctificantem producentia. Ergo.

Inst. Fides sine sacramentis in casu necessitatis justificat. Ergo.

R. 1º. Nego ant. ad sensum Protestantium. Non enim sola fides in eo casu justificat, sed dolor peccati ex perfecta charitate conceptus, ut alibi probatur : quamvis ille dolor fidem præsupponat, ab illa tamen est distinctus. Ergo.

R. 2º. Dist. ant. Fides justificat sine sacramentis in re, conc. ; sine sacramentis in voto, nego ant. Etenim in

casu necessitatis non exigitur ut sacramenta, etiam magis necessaria, qualia sunt Baptismus et Pœnitentia, actu suscipiantur : ita providit Deus summe bonus ; verum charitas perfecta tunc justificans, votum illorum sacramentorum necessario includit, alioquin non esset perfecta, cum voluntatem omnia Dei mandata servandi non includeret. Ergo.

COROLLARIUM.

Sequitur ex dictis verba quibus utendum est in administrandis sacramentis non esse tantum concionatoria, vel promissoria, ut volunt Protestantes, sed consecratoria. 1º Non concionatoria tantum, id est, ad hunc finem prolata, ut fidem in suscipientibus excitent ; nam 1º sacramenta gratiam immediate producent ; 2º fidem tam in audientibus quam in suscipientibus excitare possent ; 3º verba hæc, Ego te baptizo, per modum concionatorum non annuntiantur. Ergo 1º. IIº Non promissoria tantum ; etenim 1º effectus statim producitur, et in futurum non suspenditur ; 2º verba quæ adhiberi solent, ut ista : Ego te baptizo, Ego te absolvo, Ego vos in matrimonium jungo, etc., nihil promittunt, nihil indicant futurum. Ergo neque concionatoria, neque promissoria sunt, sed consecratoria, id est, rem efficiunt sacramentumque illi virtutem effectum supernaturalem producendi.

Quæritur an sacramenta gratiam contineant et producant physice vel moraliter.

R. Certum est sacramenta non esse causam principalem gratiæ quam producent, sed tantum instrumentalem, ex arbitraria Christi voluntate constitutam. Instrumentalis autem causa, sicut et principalis, duplici modo effectum producere potest, scilicet physice et moraliter. Causa instrumentalis physica effectum virtute ab alio accepta immediate producit, quemadmodum securis lignum secat : causa vero instrumentalis moraliter agit, si ex aliena intentione causam effectricem excitet, v. g., servus qui jussa domini ad alterum defert.

Quaestio est igitur an, ex institutione Christi, gratia inhæreat ritibus sacramentalibus, et ex eorum applicatione in corda suscipientium infundatur; an vero Deus teneatur, ex applicatione ritus sacramentalis, gratiam, juxta legem sibi statutam, in corda rite suscipientium infundere.

Omnes Thomistæ priorem sententiam tuentur, eamque probare intendunt iis ferme argumentis quibus ostenditur sacramenta gratiam producere ex opere operato. Cæteri theologi posteriorem sententiam amplectuntur, et dicunt sacramenta esse entia moralia, atque ideo gratiam moraliter producere. Cum illa controversia nullius momenti nobis videatur, ab illa definienda sapientius abstinendum esse judicamus.

ARTICULUS SECUNDUS.

QUALEM GRATIAM PRODUCUNT SACRAMENTA.

Certum est omnia sacramenta producere gratiam sanctificantem; constat enim, ex dictis, ea producere gratiam: porro gratia simpliciter, gratia producta, collata, suscepta, est gratia sanctificans. Gratia autem sanctificans duplex est, prima scilicet et secunda: *gratia prima* aliam præexistentem in anima non supponit, et peccatum remittit: *gratia vero secunda* gratiam jam existentem supponit eamque auget. Distinguitur insuper gratia sacramentalis, quæ est gratia sanctificans unicuique sacramento specialis, dans jus ad suscipiendas gratias actuales in tempore opportuno recipiendas. *Petitur* 1^o an sacramenta producant gratiam primam; 2^o an gratiam secundam; 3^o an gratiam sacramentalem, et 4^o an in omnibus aequalem. His quæsitis respondemus:

1^o Duo sacramenta, scilicet Baptismus et Pœnitentia, ex sua institutione producant gratiam primam, instituta sunt enim ad remittendum peccatum, sive originale, sive actuale, ut in Tractatibus *de Baptismo* et *de Pœnitentia* probatur: peccatum autem originale et peccatum ac-

tuale mortale non remittuntur, nisi per infusionem gratiæ sanctificantis, quæ vere est gratia prima. Ergo ideo vocantur *sacramenta mortuorum*, quia spiritualiter mortuos ad vitam gratiæ suscitant.

Diximus *ex sua institutione*, quia fieri potest ut per accidens gratiam secundam producant, si nempe justificatio per charitatem perfectam jam obtenta fuerit, aut si pœnitens sola venialia habens, sacramentum pœnitentiæ suscipiat.

2^o Cætera sacramenta primario fine gratiam secundam producant: ex sua quippe significatione supponunt animam vivere, eamque nutriunt, roborant, vel sublevant. Ergo. *Ita omnes*. Unde hæc sacramenta dicuntur *vivorum*.

Diximus *primario fine*; nam multi theologi docent ea per accidens primam gratiam producere posse, nempe in fidelibus ea suscipientibus cum peccato mortali quod ignorant et ad quod nullum habent affectum; nam ex se gratiam conferunt obicem non ponentibus: verum qui bona fide ignorant peccatum in se existens, ad quod nullum habent affectum, obicem ponere non videntur. Ergo. *Ita S. Th. et plerique theologi*. Hinc B. Jacobus de Extrema-Untione agens, ait, v, 15: *Et si in peccatis sit, remittentur ei*.

3^o Omnia sacramenta gratiam sacramentalem seu sibi specialem producant: nam 1^o differunt in ritu et in significatione; ergo et in effectu; 2^o si eandem omnino producerent gratiam, unicum sacramentum, saltem pluries repetitum, sufficeret, et cætera forent inutilia: at qui certe hoc sine blasphemia dici non posset: ergo.

Gratia autem sacramentalis est quid super gratiam sanctificantem communiter dictam additum, non autem substantialiter diversum, et « dicendum est, » inquit S. Th., 3 part., q. 62, art. 2, ad 3, « quod ratio sacramentalis gratiæ se habet ad gratiam communiter dictam, sicut ratio speciei ad genus. »

Hæc gratia dat jus intrinsecum et permanens suscipiendi gratias actuales utiles ad consequendum finem cujuslibet sacramenti: v. g., gratia sacramentalis Rap-

tismi dat jus ad gratias necessarias ut promissiones Deo factæ serventur; gratia sacramentalis Confirmationis dat jus ad obtinendas gratias requisitas ut Christianus fidem publice, etiam in persecutionibus, confiteatur; et sic de cæteris.

Qui sacramentum indigne suscipit, jus istud non acquirit, et qui a gratia sanctificante per peccatum mortale excidit, jus acquisitum perdit: siquidem jus illud in sola gratia sanctificante fundatur; hic agitur tantum de gratia gratum faciente.

4^o Sacramenta parvulis collata, ut Baptismus, et olim Confirmatio ac Eucharistia, gratiam in eodem gradu producent; nulla enim est ratio cur inæqualem conferrent, cum sint æqualia respectu omnium, et æquales sint dispositiones in omnibus.

At in adultis, licet eandem gratiam sacramentalem producant quoad speciem, varios gradus producere possunt, et sæpe producent, juxta suscipientium dispositiones; hoc enim evidenter supponit concil. Trid., sess. 6, cap. 7: « Non modo reputamur, sed vere justi nominamur, justitiam in nobis recipientes, unusquisque suam, secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem. » *Ita omnes sentiunt et docent theologi.*

ARTICULUS TERTIUS.

QUID SIT CHARACTER ET AN PER SACRAMENTA PRODUCATUR.

Character in genere est nota alicui impressa ut ab aliis rebus secerni possit: sic aliquo signo notantur magistratus, milites, ut a cæteris hominibus secerni possint; sic aliquo modo insignantur arbores cædendæ in silva, viri ad triremes damnati, etc.

Character sacramentalis definiri solet: *Signum spirituale, indelebile, animæ impressum, vi cujus sacramentum iterari non potest.* Petitur an reipsa hujusmodi character

in anima imprimatur. Negant Protestantes, contenduntque illum esse figmentum, nullum habens fundamentum in Scriptura: contra quos concilium Tridentinum, sess. 7, can. 9, definit, tanquam de fide credendum, tria sacramenta characterem imprimere, sequentibus verbis: « Si quis dixerit in tribus sacramentis, Baptismo » scilicet, Confirmatione et Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt; anathema sit. »

Idem tradiderat Eugenius IV, in Decreto ad Armenos, his verbis: « Inter hæc sacramenta tria sunt, Baptismus, » Confirmatio et Ordo, quæ characterem, id est spirituale quoddam signum, a cæteris distinctum, imprimunt in anima indelebile, unde in eadem persona non iterantur: reliqua vero quatuor characterem non imprimunt, et reiterationem admittunt. »

Ostendemus autem, ubi de tribus illis sacramentis singulatim tractabimus, characterem de quo hic agitur fundamentum habere in Scriptura et in traditione.

Leibnitz, licet Protestans, de caractere hæc habet, in suo Systemate theologico, p. 210: « De caractere seu signo indelebili quod imprimitur in anima ejus qui sacramenta Baptismi, Confirmationis aut Ordinis suscipit, multa nonnulli disputant ex scholasticis: sed res plana est, si tantum cogitetur hominem, suscepto hoc sacramento, aliquam qualitatem permanentem nactum esse, quæ et invalide et illegitime iteratur. »

Si quidam, curiositate ducti, quærant a nobis in quo ille character consistat, fatebimur nos ignorare: scimus per fidem illum imprimi in anima statim ut suscipitur sacramentum, ac proinde esse spirituale; sed quæ sit ejus natura, nec Scriptura, nec traditio, nec Ecclesia dicit. Non nisi ergo conjecturaliter et cæcutiendo eam investigare possumus: magis expedit silentium.

Quæritur cur character imprimatur in anima etiam ejus qui indigne suscipit sacramentum, et cur in ea indelebilitate maneat dum amittitur gratia.

R. 1° Quia Deus ita voluit; 2° quia character per modum virtutis instrumentalis, non vero per formam animam sanctificantem, conceditur. Unde non pendet a libero arbitrio, sicut gratia, sed a solo Deo. Ita S. Th., 3 part., q. 63, art. 5, ad 1. Est igitur in genere gratiarum gratum facientium.

Remanebit etiam post præsentem vitam, « in bonis » ad eorum gloriam, et in malis ad eorum ignominiam: » sicut etiam militaris character remanet in militibus » post adeptam victoriam, et in his qui vicerunt, ad » gloriam, et in his qui sunt victi, ad pœnam. » Sunt verba S. Th. loco citato, ad 3.

CAPUT TERTIUM.

DE MATERIA ET FORMA SACRAMENTORUM.

Quemadmodum in rebus physicis distinguuntur materia et forma, juxta philosophiæ principia (materia est substantia, v. g., lignum, et forma determinat ens speciale ab aliis distinctum, v. g., scamnum, cathedram); sic in sacramentis res sensibilis, ut aqua, chrisma, etc., vocata est *materia*, et verba quibus utitur minister dicta sunt *forma*, quia rem sensibilem ad esse sacramenti determinant. Unde S. Aug., Tract. 80 in Joan., n. 3: « Detrahe verbum, et quid est aqua, nisi aqua? Accedit » verbum ad elementum, et fit sacramentum. »

Hæc verba in explicandis sacramentis primus adhibuisse videtur Guillelmus Antissiodorensis, initio sæculi decimi tertii; iis usus est Eugenius IV, in Decreto ad Armenos, dicens: « Hæc omnia sacramenta tribus per- » ficiuntur, videlicet, rebus tanquam materia, verbis » tanquam forma, et persona ministri conferentis sacra- » mentum, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia,

» Quorum si aliquid desit, non perficitur sacramentum. » Ex eo tempore hunc loquendi modum omnes usurpaverunt theologi.

Quæ autem nunc vocantur materia et forma, olim dicebantur, *res et verba, elementum et verbum, symbola mystica, res sacramentalis, signum sacrum*, etc. Novæ voces idem expriment, sed multo clarius: ab illis ergo, totius Ecclesiæ usu nunc consecratis, non recedendum est.

De materia et forma uniuscujusque sacramenti specialiter loquimur in Tractatu de singulis sacramentis: nunc paucis verbis dicendum est tantum 1° de unione materiæ et formæ, et 2° de earum mutatione.

ARTICULUS PRIMUS.

DE UNIONE MATERIÆ ET FORMÆ SACRAMENTORUM.

Duplex esse potest unio materiæ et formæ, physica scilicet et moralis: unio dicitur *physica*, si verba eodem instanti proferantur quo materia adhibetur; dicitur vero *moralis*, quamvis eodem instanti non proferantur verba, modo, juxta consuetum loquendi modum, vera sint. Unde si quis, fundendo aquam in Baptismo, verba *Ego te baptizo* proferat, adest unio physica: si statim post effusionem aquæ verba dicat, est unio moralis: si vero semihora vel quadrante post lotionem verba proferret, nulla esset unio, quia verba *Ego te baptizo* tunc sensum non haberent, et evidenter nullum esset sacramentum.

In sacramento Eucharistiæ, unio debet esse physica, quia pronomina *hoc, hic*, supponunt materiam esse actu præsentem.

In aliis autem sacramentis unio moralis sufficit; juxta enim loquendi modum inter homines receptum, verba formæ naturalem habent sensum, licet materia cui applicantur non sit actu præsens; sed modicum excedi non potest intervallum. Quidam putant, referente *Billuart*, spatium unius *Ave*, v. g., inter effusionem aquæ et verba *Ego te baptizo*, validitati sacramenti non officere; secus,

R. 1° Quia Deus ita voluit; 2° quia character per modum virtutis instrumentalis, non vero per formam animam sanctificantem, conceditur. Unde non pendet a libero arbitrio, sicut gratia, sed a solo Deo. Ita S. Th., 3 part., q. 63, art. 5, ad 1. Est igitur in genere gratiarum gratum facientium.

Remanebit etiam post præsentem vitam, « in bonis » ad eorum gloriam, et in malis ad eorum ignominiam: » sicut etiam militaris character remanet in militibus » post adeptam victoriam, et in his qui vicerunt, ad » gloriam, et in his qui sunt victi, ad pœnam. » Sunt verba S. Th. loco citato, ad 3.

CAPUT TERTIUM.

DE MATERIA ET FORMA SACRAMENTORUM.

Quemadmodum in rebus physicis distinguuntur materia et forma, juxta philosophiæ principia (materia est substantia, v. g., lignum, et forma determinat ens speciale ab aliis distinctum, v. g., scamnum, cathedram); sic in sacramentis res sensibilis, ut aqua, chrisma, etc., vocata est *materia*, et verba quibus utitur minister dicta sunt *forma*, quia rem sensibilem ad esse sacramenti determinant. Unde S. Aug., Tract. 80 in Joan., n. 3: « Detrahe verbum, et quid est aqua, nisi aqua? Accedit » verbum ad elementum, et fit sacramentum. »

Hæc verba in explicandis sacramentis primus adhibuisse videtur Guillelmus Antissiodorensis, initio sæculi decimi tertii; iis usus est Eugenius IV, in Decreto ad Armenos, dicens: « Hæc omnia sacramenta tribus per- » ficiuntur, videlicet, rebus tanquam materia, verbis » tanquam forma, et persona ministri conferentis sacra- » mentum, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia,

» Quorum si aliquid desit, non perficitur sacramentum. » Ex eo tempore hunc loquendi modum omnes usurpaverunt theologi.

Quæ autem nunc vocantur materia et forma, olim dicebantur, *res et verba, elementum et verbum, symbola mystica, res sacramentalis, signum sacrum*, etc. Novæ voces idem expriment, sed multo clarius: ab illis ergo, totius Ecclesiæ usu nunc consecratis, non recedendum est.

De materia et forma uniuscujusque sacramenti specialiter loquimur in Tractatu de singulis sacramentis: nunc paucis verbis dicendum est tantum 1° de unione materiæ et formæ, et 2° de earum mutatione.

ARTICULUS PRIMUS.

DE UNIONE MATERIÆ ET FORMÆ SACRAMENTORUM.

Duplex esse potest unio materiæ et formæ, physica scilicet et moralis: unio dicitur *physica*, si verba eodem instanti proferantur quo materia adhibetur; dicitur vero *moralis*, quamvis eodem instanti non proferantur verba, modo, juxta consuetum loquendi modum, vera sint. Unde si quis, fundendo aquam in Baptismo, verba *Ego te baptizo* proferat, adest unio physica: si statim post effusionem aquæ verba dicat, est unio moralis: si vero semihora vel quadrante post lotionem verba proferret, nulla esset unio, quia verba *Ego te baptizo* tunc sensum non haberent, et evidenter nullum esset sacramentum.

In sacramento Eucharistiæ, unio debet esse physica, quia pronomina *hoc, hic*, supponunt materiam esse actu præsentem.

In aliis autem sacramentis unio moralis sufficit; juxta enim loquendi modum inter homines receptum, verba formæ naturalem habent sensum, licet materia cui applicantur non sit actu præsens; sed modicum excedi non potest intervallum. Quidam putant, referente *Billuart*, spatium unius *Ave*, v. g., inter effusionem aquæ et verba *Ego te baptizo*, validitati sacramenti non officere; secus,

si longius esset tempus. Hinc cavendum est ne materia et forma separentur, et tamen scrupulosi, modo consueti agentes, nullis anxietatibus torqueri debent.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE MUTATIONE IN MATERIA ET FORMA SACRAMENTORUM.

Duplex contingere potest mutatio, tum in materia, tum in forma sacramentorum, una nempe substantialis, et altera accidentalis. Mutatio est *substantialis* respectu materiæ, si res adhibenda amplius dici non possit simpliciter eadem, v. g., si aqua cum notabili vini quantitate misceatur, adeo ut simpliciter dici non possit aqua; mutatio vero est *accidental*, si res, licet aliquo modo mutata, eadem tamen permanere censeatur, ut si aliqua vini guttulæ misceantur, aut vice versa.

Similiter, mutatio est substantialis respectu formæ, si verba eandem non habeant significationem, ut si invocatio unius personæ sanctissimæ Trinitatis in forma Baptismi omitteretur: est vero duntaxat accidentalis, si verba eundem sensum retineant, v. g., si in forma Baptismi omitteretur pronomen *ego*, si idioma tantum mutaretur, aut si vox aliqua male pronuntiaretur.

Notandum est sacramentum posse nullum esse vel illicitum. Est nullum, si desit illi aliquid essenziale: est autem illicitum, si peccatum admittatur in eo administrando vel suscipiendo, sive sit nullum, sive sit validum.

His notatis, sequentia statuenda sunt:

1° Mutatio substantialis, sive in materia, sive in forma sacramentum reddit nullum, sive sit voluntaria, sive non; Christus enim omnia instituit sacramenta, *ut mox ostensuri sumus*, et virtutem gratiam producendi annexit ritui sacramentali: ergo nisi ritus substantialiter servetur, gratia non producitur: unde, juxta concil. Trid., sess. 21, cap. 2, ipsamet Ecclesia nihil potest in substantia sacramentorum. Ergo.

2° Contra vero, mutatio accidentalis, voluntaria aut

involuntaria, validitati sacramenti non nocet, cum substantia ejus eadem remaneat. Unde qui baptizaret in aqua rosacea, vel consecraret cum pane hordeaceo, sacramentum non conficeret; secus, si baptizaret in aqua non benedicta, aut cum pane triticeo fermentato consecraret.

Item, qui baptizaret in nomine sanctissimæ Trinitatis, personas divinas non invocando, nulliter baptizaret: qui vero diceret *Ego te abluo*, loco verbi *baptizo*, aut pronuntiaret *baptizo*, aut verba formæ cujusvis sacramenti in aliud quodcumque idioma verteret, valide sacramentum conferret.

Quæritur 1° quale sit peccatum mutare materiam aut formam sacramenti.

R. 1°. Mutatio substantialis voluntaria, aut ex ignorantia crassa, aut ex gravi negligentia proveniens, est sacrilegium et peccatum mortale; siquidem gravis est injuria erga sacramentum, quod sic efficitur nullum: ignorantia autem inculpabilis, quæ difficile supponi potest in ministro officia proprii status cognoscere obligato, aut leviter culpabilis, a peccato saltem mortali excusat.

R. 2°. Voluntaria mutatio, etiam accidentalis, in materia et forma sacramentorum, est de genere suo peccatum mortale, quia est irreverentia erga sacramentum: fieri tamen potest ut sit levis irreverentia, ac proinde peccatum veniale tantum, idque ex solo judicio viri prudentis æstimandum est, et unusquisque cavere debet ne, in re tam sancta, aliquid omittat vel mutet.

Quæritur 2° an peccet mortaliter qui in administratione sacramentorum utitur materia dubia vel tantum probabilis.

R. 1°. In casu necessitatis, si materiam certam habere non possit, materia probabilis vel etiam valde dubia uti potest, imo et debet; sacramenta enim propter homines et non homines propter sacramenta. Unde infertur sacramentum ad salutem necessarium, ut Baptismum, Penitentiam et Extremam-Uctionem, nullitati exponendam esse, in casu necessitatis, ut homini periclitanti succurratur: quia in tali extremitate, melius est adhibere re-

medium dubium quam nullum remedium. *Ita omnes theologi.*

R. 2°. Secluso casu necessitatis, uti materia aut forma dubia vel etiam probabili, peccatum esset mortale; 1° quia id expresse prohibitum est ab Innocentio XI, qui, anno 1679, sequentem damnavit propositionem: « Non est illicitum, in sacramentis conferendis, sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiori, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. » Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis sacerdotalis aut episcopalis. 2° Quia sacramentum nullitati exponeretur: at exponere sacramentum nullitati, extra necessitatis casum, gravis est injuria erga ipsum, proindeque erga Christum. Ergo.

Non tamen requirenda est certitudo metaphysica, quæ in moralibus haberi non potest, sed ea certitudo quæ omnem rationabilem dubitandi locum excludit, diciturque moralis.

Queritur 3° an materiam et formam sacramentorum iterare liceat.

R. 1°. Si rationabiliter dubitetur an sacramentum aliquod valide fuerit collatum, iterari debet sub conditione; nam 1° sic expresse statuitur in jure canonico, Decretal, l. 3, tit. 42, cap. 2: « De quibus dubium est an baptizati fuerint, baptizentur, his verbis præmissis: *Si baptizatus es, non te baptizo; sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo*, etc. » 2° Ex duobus malis quæ simul vitari non possunt, minus eligendum est: at in dubio minus malum est iterare sacramentum cum periculo irreverentiæ, quam non iterare cum periculo damni erga proximum: ergo. Unde non solum Baptismus, sed et aliud sacramentum dubie collatum, v. g., Confirmatio, Extrema-Unctio, Matrimonium, iterandum est, ne fideles gratia ejus careant.

Iteratio autem fit sub conditione, ut quantum fieri potest servetur reverentia sacramento valido debita. Non necesse est autem ut conditio verbis exprimat, et ge-

neraliter non exprimitur, nisi ubi agitur de Baptismate. Videatur Bened. XIV, de Synodo diocæses., l. 7, cap. 6, art. 1; *Catal.* in Ritual., t. 1, p. 39 et 108.

R. 2°. Ubi moraliter certum est sacramentum esse validum, illud iterare aut eandem formam super eandem materiam repetere, est peccatum mortale; nam conditio tunc serio apponi non potest: talis igitur iteratio vera est sacramenti derisio, ac consequenter grave peccatum sacrilegii. *Ita omnes.*

Billuart a peccato mortali non excusat eum qui ex scrupulo sic temere agit: non vult autem eum saltem peccati mortalis condemnare qui, ut a molesto scrupulo se expediat, et ne Deum offendant, formam in aliquo casu particulari, et non consuetudinarie, super eandem materiam repeteret.

Caveant meticulosi ne, sub prætextu peccatum vitandi, verba absolutionis aut consecrationis facilius repetant, et sic in aliud incidant peccatum.

Queritur 4° an valide et licite sacramentum conferatur sub conditione.

R. 1°. Invalide conferretur sub conditione futura contingenti, v. g., *Baptizo te, si futurus es sacerdos*; effectus enim non produceretur hic et nunc, cum non esset intentio conferentis, et non adveniente conditione, quia ritus sacramentalis jam non existeret. Ergo.

R. 2°. Sacramentum sub conditione præterita aut præsentis impleta collatum, validum est; nihil quippe effectum ejus suspendit. Si conferretur sub conditione præsentis, sed humano modo incognoscibili, v. g., *si es prædestinatus*, sacramentum esset dubium, inquit S. Liguori, l. 6, n. 25. Probabilius nullum nobis videretur, quia talis actio non est rationabilis.

R. 3°. Administrare sacramentum aliquod sub conditione illud efficiente nullum, est semper peccatum mortale, *ut patet*. Illud autem administrare sub conditione præcise ad providendum validitati ejus, quia dubium est an valide fuerit collatum, nullum est peccatum; constat ex dictis et ex praxi Ecclesiæ. *Juénin, Tournely,*

Billuart, aliique plures asserunt nullam haberi mentionem formulæ conditionatæ ante sæculum octavum, eamque prima vice reperiri in Capitularibus Caroli Magni, l. 6, n. 181, et postea in decreto Alexandri III, anno 1181 defuncti, quod a Gregorio IX in Jus canonicum de verbo ad verbum fuit insertum, prout illud supra retulimus; at Benedictus XIV, de Synodo dioc., l. 7, cap. 6, n. 1, docet male inde concludi illam non fuisse in usu: contrarium ex constanti Ecclesiæ praxi deducendum esse putat.

Cæterum expressio conditionis apponendæ non est præcepta pro sacramentis a Baptismate distinctis, nec de facto ordinariè exprimitur, quando hæc sacramenta iterari debent: imo communius dicunt auctores nullatenus requiri ut in iterando Baptismate conditio ore exprimat, nisi iteratio publice fiat. Tutius est tamen eam semper exprimere.

R. 4°. Sacramentum sub forma conditionali administrare, extra casum dubii modo expositi, esset peccatum mortale; conditio enim in eo casu nugatoria foret, ac proinde gravis irreverentia erga sacramentum existeret. Vide S. Ligorium, l. 6, n. 27, 28 et 29.

CAPUT QUARTUM.

DE SACRAMENTORUM INSTITUTORE.

Apud omnes constat 1° solum Deum sacramenta instituire posse, sive per se et immediate, sive per alterius ministerium, quia solus gratiam signis arbitrariis annectere potest; 2° Deum sacramenta veteris Legis immediate instituisse, idque patet ex *Levitico*; 3° Christum immediate sacramenta Baptismi et Eucharistiæ instituisse: hoc nobiscum docent Protestantes. Duo tantum hic nobis occurrunt examinanda, scilicet, 1° an Christus

omnia sacramenta immediate instituerit, et 2° an materiam et formam eorum determinaverit.

ARTICULUS PRIMUS.

AN CHRISTUS OMNIA NOVÆ LEGIS SACRAMENTA IMMEDIATE INSTITUERIT.

Negarunt Magister Sententiarum, Hugo a S. Victore et nonnulli alii contententes Apostolos quædam instituisse sacramenta virtute potestatis a Christo sibi ad hoc concessæ, nempe Confirmationem, aut saltem Extremam-Uctionem. Contra quos sit

PROPOSITIO.

Christus omnia novæ Legis sacramenta immediate instituit.

Prob. concilio Tridentino et rationibus theologicis.

1° *Concilio Tridentino*, sess. 7, can. 1: « Si quis dixerit sacramenta novæ Legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta.... anathema sit. » Quamvis concilium non definiat sacramenta fuisse omnia a Christo immediate instituta, ne catholicos contrarium asserentes anathemate percuteret, certum est tamen ipsius verba sensu obvio accepta aliud non significare; quæ enim ab Ecclesia vel ab Apostolis vi potestatis a Christo concessæ statuta sunt, ut jejuniæ quadragesimale, celebratio festorum, etc., simpliciter dici non possunt a Christo instituta.

Et vero, si quod sacramentum a Christo mediate tantum fuisset institutum, maxime Extrema-Uctio: at concilium Trid. definit, sess. 14, can. 1, de Extr.-Uct., eam « esse vere et proprie sacramentum, a Christo Domino nostro institutum, et a beato Jacobo apostolo promulgatum. » Nonne evidens est hoc sacramentum dici non potuisse a Christo institutum et a beato Jacobo tantum promulgatum, si ab Apostolis vi potestatis a Christo acceptæ institutum fuisset? Ergo 1°.

Prob. 2^o rationibus theologicis. 1^o Si Apostoli, potestate a Christo sibi delegata, sacramenta instituissent, non fuissent solummodo mysteriorum Dei dispensatores, sed et auctores: atqui tamen B. Paulus dicebat, I Cor. iv, 1: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.* 2^o Si Apostoli aut Ecclesia aliquod sacramentum auctoritate Christi instituissent, nonnulla saltem hujus institutionis vestigia reperiri deberent, et nulla tamen inveniuntur. 3^o Deus sacramenta veteris Legis immediate instituerat: ergo ad minus congruens erat quod Christus sacramenta novæ Legis immediate institueret. 4^o Christus, fatentibus omnibus, sacramenta Baptismi et Eucharistiæ immediate instituit: ergo merito concluditur illum cætera immediate pariter instituisse, cum nihil contrarium in Scriptura aut in traditione reperiatur. 5^o Semper exhibitæ sunt sacramenta novæ Legis ut a Christo Domino instituta: at verba ista sensu naturali intellecta institutionem immediatam significant: ergo 2^o, etc.; aliunde, etc. Ergo.

Dices 1^o: Nullibi videtur in Scriptura Christum sacramenta Confirmationis, Matrimonii et Extremæ-Uctionis instituisse: ergo id admitti non potest.

R. 1^o. Negari potest ant. Aperte enim fit mentio trium illorum sacramentorum in Scripturis Novi Testamenti, *ut infra ostendemus*: atqui inde merito concluditur Christum ea instituisse. B. Jacobus Extremam-Uctionem non promulgasset, Apostoli Confirmationem non administrassent, B. Paulus Matrimonium velut magnum sacramentum non commendasset, si persuasum non habuissent hæc sacramenta a Christo fuisse instituta. Ergo 1^o.

R. 2^o. Nego conseq. Etenim multa dicta et facta fuerunt a Christo quæ in libris Novi Testamenti non scripta sunt: non repugnat ea aut quædam ex illis per certam traditionem ad nos transmissa fuisse, quod de sacramentis agendo sic enuntiat S. Th., 3 part., q. 64, art. 2, ad 1: «Ea vero quæ sunt de necessitate sacramenti, ab

» ipso Christo instituta sunt, qui est Deus et homo; et » licet non sint omnia tradita in Scripturis, habet tamen » ea Ecclesia ex familiari Apostolorum traditione. » Ergo.

Dices 2^o: Christus eandem dedit potestatem Apostolis quam acceperat a Patre: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos*: ergo Apostoli, etc.

R. Dist. ant. Eandem dedit potestatem Apostolis regendi Ecclesiam, *concedo*; potestatem nova instituendi sacramenta, *nego ant.* Nam Christus constituerat Ecclesiam perfectissimam: ergo dare non debuit potestatem constitutionem ejus mutandi aut reformandi, sed tantum potestatem eam regendi. Ergo textus allatus divinitatem missionis Apostolorum optime probat et nihil amplius. Ergo, etc.

Queritur an Christus sacramenta instituerit ut Deus, vel ut homo.

R. Ea instituit principaliter ut Deus, quia, *ut supra diximus*, solius Dei est gratiam signis externis annectere; sed ut homo divinitati conjunctus, gratiam sacramentorum meritus est, atque ritum sacramentalem visibiliter instituit, *ut patet*.

ARTICULUS SECUNDUS.

AN CHRISTUS MATERIAM ET FORMAM SACRAMENTORUM DETERMINAVERIT.

Duplici modo Christus determinare potuit materiam et formam sacramentorum, specificè et genericè: *specificè*, statuendo aliquem determinandum esse ritum externum ad talem effectum significandum, et potestatem relinquendo Apostolis vel Ecclesiæ hunc ritum speciatim determinandi.

Apud omnes constat 1^o Christum specificè determinasse materiam et formam quorundam sacramentorum, videlicet Baptismi et Eucharistiæ; 2^o eum saltem genericè

rice materiam et formam cæterorum sacramentorum etiam determinasse.

An vero Christus materiam et formam omnium sacramentorum specificè determinaverit, non sibi conveniunt theologi: alii negant, multo plures affirmant. Cum posterioribus sit

PROPOSITIO.

Christus specificè determinavit materiam et formam omnium sacramentorum.

Prob. concilio Tridentino et ratione.

1° *Concilio Trident.*, sess. 21, cap. 2: « Præterea declarat (S. synodus) hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum et locorum varietate, magis expedire judicaret. » Unde Ecclesia nihil potest statuere nec mutare circa sacramentorum substantiam, id est, circa materiam et formam, quæ substantiam sacramenti efficiunt: at in iis omnibus quæ non sunt juris divini, Ecclesia habet potestatem ea statuendi vel mutandi quæ magis expedire ipsi videntur. Ergo 1°.

2° *Ratione.* Probavimus Christum omnia sacramenta immediate instituisse: atqui ea immediate instituere, est materiam et formam eorum specificè determinare: ergo. Non sequitur tamen Christum formam omnium sacramentorum explicite, quoad ipsa verba, determinasse. Hæc adnotatio necessaria est ad intelligentiam dicendorum circa formam nonnullorum sacramentorum, nempe Confirmationis, Extremæ-Uctionis et Matrimonii.

Nonnullæ hic proponi solent difficultates quæ, ubi de sacramentis Matrimonii et Ordinis disseremus, convenientius diluentur.

CAPUT QUINTUM.

DE SACRAMENTORUM MINISTRO.

Duplex distinguitur sacramentorum minister, ordinarius scilicet et extraordinarius. Minister *ordinarius* ille est qui ex ordinatione sua completam habet potestatem sacramentum valide administrandi. Minister vero *extraordinarius* ille est qui ex sua ordinatione aliquam habet quidem sacramentum conficiendi potestatem, sed quæ per commissionem ab auctoritate legitima datam compleri debet ut exerceatur. Sic episcopus in sua diocesi est minister ordinarius sacramentorum Confirmationis et Pœnitentiæ: simplex vero sacerdos institutione vel delegatione episcopi indiget ut valide pœnitentes absolvat, et speciali summi Pontificis commissione ut sacramentum Confirmationis valide conferat. Item qui ex singulari privilegio Dei sacramenta administraret. S. Thomas docet, 3 part. q. 64, art. 7, Deum bonos angelos ministros extraordinarios sacramentorum constituere posse, et sacramenta ita administrata ut valida habenda esse: sic de pluribus sanctis legitur sacram Eucharistiam ipsis per angelos porrectam esse, etc. Vid. *Billuart*, de Sacram. dissert. v, art. 2.

Hoc seposito, de solo ministro naturali hic nobis tractandum est. Protestantes, sacramentum Ordinationis negantes, dicunt omnes Christianos ordinarios esse sacramentorum ministros. Contra quos conc. Trid. sequentem edidit canonem 10, sess. 7: « Si quis dixerit Christianos omnes in verbo, et omnibus sacramentis administrandis habere potestatem; anathema sit. » Eos autem confutabimus, tractando de singulis sacramentis, et speciatim de sacramento Ordinis.

Nunc vero de qualitatibus ministri sacramentorum in genere agendum nobis occurrit, et dicemus 1° de ejus sanctitate, 2° de ejus fide, et 3° de ejus intentione.

rice materiam et formam cæterorum sacramentorum etiam determinasse.

An vero Christus materiam et formam omnium sacramentorum specificè determinaverit, non sibi conveniunt theologi: alii negant, multo plures affirmant. Cum posterioribus sit

PROPOSITIO.

Christus specificè determinavit materiam et formam omnium sacramentorum.

Prob. concilio Tridentino et ratione.

1° *Concilio Trident.*, sess. 21, cap. 2: « Præterea declarat (S. synodus) hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum et locorum varietate, magis expedire judicaret. » Unde Ecclesia nihil potest statuere nec mutare circa sacramentorum substantiam, id est, circa materiam et formam, quæ substantiam sacramenti efficiunt: at in iis omnibus quæ non sunt juris divini, Ecclesia habet potestatem ea statuendi vel mutandi quæ magis expedire ipsi videntur. Ergo 1°.

2° *Ratione.* Probavimus Christum omnia sacramenta immediate instituisse: atqui ea immediate instituere, est materiam et formam eorum specificè determinare: ergo. Non sequitur tamen Christum formam omnium sacramentorum explicite, quoad ipsa verba, determinasse. Hæc adnotatio necessaria est ad intelligentiam dicendorum circa formam nonnullorum sacramentorum, nempe Confirmationis, Extremæ-Uctionis et Matrimonii.

Nonnullæ hic proponi solent difficultates quæ, ubi de sacramentis Matrimonii et Ordinis disseremus, convenientius diluentur.

CAPUT QUINTUM.

DE SACRAMENTORUM MINISTRO.

Duplex distinguitur sacramentorum minister, ordinarius scilicet et extraordinarius. Minister *ordinarius* ille est qui ex ordinatione sua completam habet potestatem sacramentum valide administrandi. Minister vero *extraordinarius* ille est qui ex sua ordinatione aliquam habet quidem sacramentum conficiendi potestatem, sed quæ per commissionem ab auctoritate legitima datam compleri debet ut exerceatur. Sic episcopus in sua diocesi est minister ordinarius sacramentorum Confirmationis et Pœnitentiæ: simplex vero sacerdos institutione vel delegatione episcopi indiget ut valide pœnitentes absolvat, et speciali summi Pontificis commissione ut sacramentum Confirmationis valide conferat. Item qui ex singulari privilegio Dei sacramenta administraret. S. Thomas docet, 3 part. q. 64, art. 7, Deum bonos angelos ministros extraordinarios sacramentorum constituere posse, et sacramenta ita administrata ut valida habenda esse: sic de pluribus sanctis legitur sacram Eucharistiam ipsis per angelos porrectam esse, etc. Vid. *Billuart*, de Sacram. dissert. v, art. 2.

Hoc seposito, de solo ministro naturali hic nobis tractandum est. Protestantes, sacramentum Ordinationis negantes, dicunt omnes Christianos ordinarios esse sacramentorum ministros. Contra quos conc. Trid. sequentem edidit canonem 10, sess. 7: « Si quis dixerit Christianos omnes in verbo, et omnibus sacramentis administrandis habere potestatem; anathema sit. » Eos autem confutabimus, tractando de singulis sacramentis, et speciatim de sacramento Ordinis.

Nunc vero de qualitatibus ministri sacramentorum in genere agendum nobis occurrit, et dicemus 1° de ejus sanctitate, 2° de ejus fide, et 3° de ejus intentione.

ARTICULUS PRIMUS.

DE SANCTITATE MINISTRI SACRAMENTORUM.

Quatuor hic inquiri possunt, nimirum : 1° an sanctitas necessaria sit in ministro ut sacramenta valide conferat; 2° an ut licite ea administret; 3° an sacramenta a ministro in peccato mortali constituto petere aut recipere liceat; 4° an sit obligatio ministrandi sacramenta.

§ 1. — An sanctitas necessaria sit in ministro ut sacramenta valide conferat.

Affirmarunt, in quarto sæculo, Donatistæ etiam de peccatoribus occultis, et postea de publicis tantum; eorum errorem renoverunt Valdenses et Albigenses in duodecimo sæculo, Hussitæ et Wiclefistæ in fine decimi quarti sæculi, et recentius Anabaptistæ, qui omnes, non solum publicis peccatoribus, sed et occultis potestatem sacramenta valide conficiendi abstulerunt.

PROPOSITIO.

Sanctitas seu status gratiæ non requiritur in ministro ut sacramenta valide conferat.

Prob. Illa propositio est de fide, probatur ex SS. Patribus et ratione.

1° *Est de fide.* Etenim definita est in concilio Constantiensi per condemnationem quarti articuli Wiclefi, sequentibus verbis expressi : « Si episcopus vel sacerdos » est in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non » consecrat, non baptizat. » Et in concil. Trid., sess. 7, can. 12 : « Si quis dixerit ministrum in peccato mortali » existentem, modo omnia essentialia, quæ ad sacramen- » tum conficiendum aut conferendum pertinent, serva- » verit, non conficere aut conferre sacramentum; ana- » thema sit. » Ergo 1°.

2° *Prob. ex SS. Patribus.* Chrysost., Hom. 8 in I Cor.: « Contingit enim... laicos in pietate vitam agere, sacer- » dotes autem in nequitia : neque futurum erat ut Bap- » tismus esset, neque Corpus Christi, nec oblatio per illos, » si ubique dignos gratia requireret. Nunc autem etiam » per indignos Deus solet operari, et nihil læditur gratia » Baptismi per vitam sacerdotis. » S. Aug. probat ex professo, contra Donatistas, variis in locis, gratiam sacramentorum a sanctitate ministri non pendere, v. g., contra Cresconium Donatistam, lib. 3, cap. 6, 7, etc. Ergo 2°.

3° *Probatur ratione.* 1° Sacramenta producunt gratiam ex opere operato, ut probavimus : ergo effectus eorum a dispositionibus ministri non pendet. Unde sanctus Præcursor dicit de Christo, Joan. 1, 33 : *Hic est qui baptizat* : Baptisma enim rite collatum semper est Baptisma Christi, non vero Baptisma hominis cujus ministerio confertur. 2° Si effectus sacramenti a sanctitate ministri penderet, modo major, modo minor esset, juxta gradum sanctitatis ejus qui illud conferret : atqui hoc sensui communi fidelium et rationi evidenter repugnat. 3° Fideles semper anxii essent circa validitatem sacramentorum sibi collatorum, cum sanctitatem internam ministrorum cognoscere nequeant : vitam eorum examini subjicerent, et inde gravissima sequerentur incommoda, ut patet. Ergo 3°, etc.; aliunde, etc. Ergo.

Sequentes textus objicere solebant Donatistæ cæterique hæretici supra memorati : *Ab immundo quid mundabitur?* Eccli. xxxiv, 4; *Scimus quia peccatores Deus non audit*, Joan. ix, 31; *Non potest arbor mala bonos fructus facere*, Matth. vii, 18 : sed manifestum est ibi de operibus operantis locutionem esse, non vero de sacramentis, in quibus Christus operatur, mundat, auditur et bonos fructus facit.

Dices 1° : Nemo dat quod non habet : ergo mali ministri gratiam sanctificantem conferre non possunt.

R. Dist. ant. Nemo dat quod non habet, ut causa principalis, *conc.*; ut causa instrumentalis, *nego ant.* Sic ser-

vis bona domini valide dare non posset ut causa principalis, id est, ex proprio motu et tanquam sua; sed ea valide daret ex statuto domini, idque independentem a propria dispositione, sive occulta, sive manifestata, modo prescriptum domini impleteret: ergo a pari sacramentorum ministri.

Inst. In ea sententia nullum esset discrimen inter bonum et malum ministrum: atqui hoc repugnat: ergo.

R. Dist. maj. Nullum discrimen quoad valorem sacramenti, *concl.*; quoad gratias ex opere operantis provenientes, *negō maj.* Etenim sacramenta, sive a bonis, sive a malis ministris conferantur, ejusdem sunt efficacitatis quoad gratiam sacramentalem et characterem: *hoc patet ex dictis*, et sapientissime a Christo fuit statutum ne fideles a pravitate ministrorum detrimentum haberent metuendum, et perpetua anxietate torquerentur. Verum, præter gratiam sacramentalem, alia gratia vi operum ministri obtineri possunt, sive quia ipse eas pro suscipiente a Deo impetrat, sive quia sanctitatis suæ odore fidem, charitatem aliasque rectas dispositiones in suscipiente excitans, eum ad majorem gratiarum abundantiam percipiendam præparat. Valde igitur interest ut sacramenta a bonis ministris conferantur, quamvis a malis collata nihilominus sint valida. Ergo.

§ II. — An sanctitas necessaria sit in ministro ut sacramenta licite administret.

Distinguitur minister ex officio, et minister ex necessitate: ille est minister ex officio, qui ad sacramenta ministranda consecratus vel constitutus est, ut sacerdos ad consecrandum, parochus ad baptizandum, etc. Ille vero est minister ex necessitate, qui nec consecratione, nec proprio officio ad conferendum sacramentum deputatur, ut laicus qui, deficiente clerico, ad baptizandum moribundum vocatur.

PROPOSITIO.

Qui ex officio sacramentum aliquod administrat, peccat mortaliter, si non sit in statu gratiæ sanctificantis.

Prob. Scriptura sacra, SS. Patribus et ratione.

1^o *Scriptura sacra.* Exod. XIX, 22: *Sacerdotes quoque qui accedunt ad Dominum sanctificentur, ne percutiat eos; Lev. XXI, 6: Sancti erunt Deo suo, et non pollutent nomen ejus; incensum enim Domini et panes Dei sui offerunt, et ideo sancti erunt.* Si autem sacerdotes veteris Legis sancti esse debebant, a fortiori sacerdotes novæ Legis. Ergo 1^o.

2^o *Ex SS. Patribus.* S. Aug., contra epist. Parmeniani, l. 2, cap. 10, n. 22: « Omnia sacramenta cum obsint » indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne summentibus. » Idem habent multi alii Patres. Ergo 2^o.

3^o *Ratione.* Qui sacramenta ex officio conficit vel administrat, personam Christi gerit, et quod sanctissimum est in terra tractat: porro qui peccato mortali commaculatus hæc agit, gravem injuriam Christo et rebus sacris infert: ergo graviter peccat: quod sic exprimit S. Th., 3 part., q. 64, art. 6, concl. « Non est dubium » quin mali exhibentes se ministros Dei et Ecclesiæ in » dispensatione sacramentorum peccent. Et quia hoc » peccatum pertinet ad irreverentiam Dei et contaminationem sacramentorum, quantum est ex parte ipsius peccatoris, licet sacramenta secundum se incontaminabilia sint, consequens est quod tale peccatum ex genere » suo sit mortale. » Ita omnes theologii.

Hinc 1^o sacerdos in peccato mortali constitutus, et ad sacramentum aliquod ex officio administrandum vocatus, tenetur aut peccata sua cum attritione sufficienti confiteri et absolutionem obtinere, aut actum perfectæ charitatis elicere; nec ipsi sufficeret attritio sine Pœnitentiæ sacramento. Plures tamen a mortali excusant sacerdotem qui in periculo ne moribundus decedat sine Baptismo aut absolutione, tempus non habet confitendi nec

perfecte conterendi. *Ita communissime theologi*, ut videre est apud S. Ligorium, l. 6, n. 33.

Hinc 2º parochi, vicarii aliique sacerdotes qui ad sacramenta ex officio administranda deputantur, semper tenentur esse in statu gratiæ.

Hinc 3º non solum sacerdotes sacram Eucharistiam in peccato mortali conficientes, sed et administrantes, mortaliter peccant; de quo fusius in Tractatu de Eucharistia.

Hinc 4º quod dicitur de sacerdotibus, pari ratione dicendum esse de diacono solemniter baptizante, ad altare ministrante, vel sacram Eucharistiam distribuyente generaliter docent theologi, quia est reipsa minister ex officio sicut sacerdos. Multi a mortali eximunt subdiaconum gravis peccati reum, in officio suo solemniter ministrantem, quia æstimant subdiaconatum non esse Ordinem sacrum. Alii vero dicunt illum peccare mortaliter, sive subdiaconatus sit Ordo sacer, sive non, quia saltem nomine Ecclesiæ munere sacro fungitur et ad conficiendum sacramentum proxime concurrat: adest igitur dubium, et in dubio pars tutior est eligenda. Ministri inferiores, in peccato mortali ministrantes, juxta fere omnes, venialiter tantum peccarent.

Hinc 5º episcopus sanctum chrisma vel oleum infirmorum in peccato mortali conficiens, mortaliter peccaret; licet enim sacramentum non conficiat, nec distribuat, actio tamen ejus est aliquo modo sacramentalis, quia materiam sacramentorum ex speciali deputatione consecrat. Ita card. de Lugo, Habert, P. Antoine, Collet, Billaud, etc., contra multos alios, inter quos S. Ligorius, l. 6, n. 39. Conficere autem sacramentalia in statu peccati mortalis, v. g., consecrare templum, benedicere abbatem, vestes sacerdotales, aquam lustralem, cineres, velum monialibus imponere, vota earum suscipere, etc., juxta communissimam opinionem, est duntaxat peccatum veniale; quia illæ actiones gratiam non producunt, sicut sacramenta, nec eodem modo nomine Christi exercentur. Ergo.

Nec eo ipso vera videtur sententia nonnullorum qui arbitrantur mortale esse tangere in mortali corporalia, calices, reliquias, etc.; illæ enim actiones non fiunt nomine Christi, nec gratiam producunt, nec, extra contemptum, gravem inferunt injuriant rebus sacris. De divina Eucharistia alibi dicemus.

Diximus in propositione, *ex officio*, ut excluderemus eos qui ex necessitate administrant sacramentum ad quod non fuerunt consecrati, nec specialiter deputati: multi namque dicunt non solum laicum, sed et sacerdotem, imo parochum et vicarium in peccato mortali existentes mortaliter non peccare « baptizando in casu in quo » etiam laicus posset baptizare; sic enim patet quod non » exhiberet se ministrum Ecclesiæ, sed subveniret necessitati patientis. Secus est autem in aliis sacramentis, » quæ non sunt tantæ necessitatis sicut Baptismus. » Sunt verba S. Th., 3 part., q. 64, art. 6, ad 3. Ita cum S. Doctore, valde communiter theologi etiam rigidiores, ut Concina, Natal. Alexander, Juénin, Habert, etc. Non desunt tamen alii qui contrarium docent, inter quos Vasquez, cardinal. de Lugo, P. Antoine, Collet, S. Ligorius, l. 6, n. 32, etc. Rationes eorum sunt: 1º quia ministrans in necessitate est nihilominus minister Christi et personam ejus gerit; 2º necessitas non efficit ut sacramentum non sit sanctum: ergo nec ut sancte tractari non debeat. Ergo.

Unde 1º cum res sit dubia, sacerdos et quilibet alius ad conferendum Baptismum in necessitate vocatus, statim perfecte conteri debet, si peccati mortalis certi vel dubii conscientiam habeat; 2º obstetrices et chirurgi partubus ex officiis præidentes, in statu gratiæ semper esse debent, quia sæpissime in necessitate Baptismum administrandi constituuntur.

Queritur 1º an concionator sacer, in peccato mortali existens, peccet mortaliter concionando.

R. Vel peccatum ejus est occultum, vel est publicum: in priori casu, communius docent theologi eum mortaliter non peccare; quia prædicatio verbi divini non est actio

sacramentalis, nec gratiam producit; annexa est quidem ministerio divino, sed sacerdos ad eam non est directe consecratus, sicut ad alia sacramenti Ordinis officia. Alii tamen non pauci contendunt concionatorem in eo casu mortaliter peccaturum, nisi saltem perfecte conteratur; gravem enim, inquit, Deo infert injuriam et sequentes meretur exprobrationes: *Peccatori dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? Ps. XLIX, 46. Qui ergo alium doces, teipsum non doces? Rom. II, 21.* Ita Cajetanus, Merbesius, Collet, etc.

In posteriori autem casu, si videlicet prædicator sit peccator publicus, *Suarez, Soto*, et alii plures, cum S. Thoma, illum a peccato mortali excusare nolunt, quia scandalum præbet et finem doctrinæ impedit.

Saltem valde expedit ut concionator ab omni peccato sit immunis, ut tanto ministerio recte ac efficaciter fungatur; et ideo antequam benedictionem petat ab episcopo, dicit: *Munda cor meum*, etc.

Queritur 2º an sacerdos peccati mortalis reus et sacramentum aliquod ministraturus, ad confessionem sacramentalem recurrere debeat.

R. 1. Ubi de sacra Eucharistia conficienda vel suscipienda agitur, confiteri tenetur, ob præceptum positivum a concilio Trid. inductum, ut in Tractatu *de Eucharistia* ostendemus.

R. 2º. Si de cæteris sacramentis agatur, confessio non est absolute necessaria: nulla quippe lex eam tunc præcipit, et gratia sanctificans aliter obtineri potest, nempe per charitatem perfectam: unde Rituale Romanum ait, tit. 1: « Sacerdos, si fuerit peccati mortalis sibi conscius, » quod absit! ad sacramentorum administrationem non » audeat accedere, nisi prius corde peniteat. Sed si ha- » beat copiam confessarii, et temporis locique ratio fuerit, » convenit confiteri. » Ex verbo *convenit*, et ex silentio concilii Tridentini, confessionem ante Eucharistiam præcipientis, de cæteris sacramentis nihil dicendo, infertur confessionem non necessario esse præmittendam. Ita *communissime theologo*, contra plures tamen qui volunt, ha-

bita confessoris copia, necessariam esse confessionem; 1º quia pars illa est tutior, et periculo peccandi se exponere non licet; 2º quia charitas perfecta non remittit peccatum nisi votum sacramenti includat, ex concilio Trid., sess. 14, cap. 4. At quomodo dici potest votum sacramenti revera esse in eo qui, habita copia confessarii, non confitetur? Ergo. Ita *Collet*, cont. *Tournely*, plures synodos et auctores citans, ac concludens hanc opinionem sequendam esse in praxi. Verum hæc opinio videtur rigidior et firmis non nititur rationibus.

§ III. — An sacramenta a malo ministro petere et recipere liceat.

Supponendum est peccata ministri, a quo recipiendum est sacramentum, certissime nota esse; de occultis enim non debemus judicare, nec pronuntiare aliquem esse reum, nisi culpa ejus constet: *charitas* quippe *non cogitat malum*, I Cor. XIII, 5. Unde non sufficit te certo scire illum tale peccatum commisisse: necesse est insuper ut scias illum non penituisse, puta si statim ad sacramentum conficiendum aut conferendum accedat, aut frequentem habeat consuetudinem hujusmodi peccata committendi. Graviter ergo increpandi sunt nonnulli scrupulosi, qui, sub prætextu quod sacramentum ab indigno recipere non liceat, sacerdotem temere judicare indignum non metuunt.

Minister autem certo indignus potest talis esse vel occulte, vel publice; item potest esse ab Ecclesia toleratus, vel ab ea non toleratus, v. g., excommunicatus, nominatim denunciatus, vel hæreticus, aut schismaticus, sectæ ab Ecclesia catholica separatæ publicæ adhærens, quales sunt Lutherani et Calvinistæ.

Qui suscepturus vel petiturus est sacramentum, potest esse in gravi necessitate, v. g., peccator moribundus; vel in necessitate communi, ut fideles qui præceptis Ecclesiæ satisfacere vel etiam pietatem colere volunt.

His notatis, sequentia statuenda sunt. 1º Qui in gravi constituuntur necessitate, sacramentum sive Baptismi

sive Pœnitentiæ a ministro publice indigno, etiam non tolerato, recipere et petere possunt. Pro Baptismo constat ex S. Aug., de Bapt., l. 1, c. 2 : « Si quem forte coegerit » extrema necessitas, ubi catholicum per quem accipiat » non invenerit, et in animo pace catholica custodita, » per aliquem extra unitatem catholicam positum acce- » perit quod erat in ipsa catholica unitate accepturus, si » statim etiam de hac vita emigraverit, non eum nisi » catholicum deputamus. Si autem fuerit a corporali » morte liberatus, cum se catholicæ congregationi etiam » corporali præsentia reddiderit, unde nunquam corde » discesserat, non solum non improbamus, sed etiam » securissime verissimeque laudamus. » Pro Pœnitentia autem concludunt theologi a similitudine; eadem enim fere est necessitas.

Excipitur in utroque casu periculum gravis scandali, si nempe metuendum sit ne fideles, videntes adultum ab hæretico aut schismatico baptizatum vel absolutum, ad hæresim aut schisma transeant : tunc moribundus per contritionem perfectam, cum voto sacramenti, salutis suæ providere teneretur.

2° Qui justam habet causam, sacramenta accipere et petere potest a sacerdote in peccato mortali constituto et ab Ecclesia tolerato, qui ex officio ea ministrare tenetur, ut episcopus, parochus, vicarii, eleemosynarii; licet enim, ob justam causam, ab alio petere quod præstare potest absque peccato, quamvis prævideatur ex mala voluntate sua peccaturus : at præfatus sacerdos sacramenta ministrare posset sine peccato, siquidem habet facultatem Deo se reconciliandi : ergo.

Hinc sacramenta Confirmationis, Extremæ-Uncionis, Viatici, Pœnitentiæ et Eucharistiæ in Paschate a malo pastore efflagitare licet : imo et sacramenta Pœnitentiæ ac Eucharistiæ ad lucranda indulgentiam in Jubilæo vel in aliquo festo, ad colendum diem anniversarium proprii baptismi, confirmationis, matrimonii, etc. ; quia hæc causa videtur justa, et fideles tali bono spirituali renuntiare non tenentur ob malam voluntatem pastoris.

Verum si dicta sacramenta ab alio digno ministro sine scandalo suscipere possent, ad illum recurrere deberent.

Ratio patet.

3° Licet etiam sacramenta a simplici sacerdote, qui scilicet ea ex officio administrare non tenetur, ob causam sufficientem postulare; sed tunc ratio debet esse major : postulans enim in eo casu non habet jus sicut in casu præcedenti : sola igitur causa cur præbere possit alteri occasionem peccandi, est detrimentum quod aliunde pate- retur, proindeque sola ipsius devotio implenda non sufficeret, sicut modicum lucrum faciendum non esset causa sufficiens petendi mutuum ab usurario. Minor require- retur causa ut sacramentum licite susciperetur a ministro indigno jam parato, v. g., communionem distribuyente, vel in confessionario sedente, quam ut induceretur ad sic agendum. Pro his omnibus vide S. Lig., l. 6, n. 89.

§ IV. — An sit obligatio sacramenta ministrandi.

1° Non est dubium quin pastores eorumque vicarii ad id teneantur ex justitia; suscipiendo enim munus pas- toris aut vicarii, naturalem et divinam contrahunt obli- gationem salutem animarum sibi commissarum procu- randi : porro sacramentorum administratio plus minusve necessaria est ad salutem animarum, juxta naturam sa- cramenti suscipiendi et statum actualem suscipientis vel postulantis. Ergo.

Hæc obligatio non deducitur ex stipendio quod pas- tores et vicarii percipiunt, ut multi volunt, sed ex officio ipsis imposito et ab eis acceptato; tunc enim existit quasi contractus vinculum conscientie producens. Unde, sive majus, sive minus, sive nullum stipendium accipiant, obligatio eorum est eadem. Sacramenta igitur adminis- trare tenentur per se, vel per alium idoneum minis- trum, quoties subditi rationaliter ea petunt, et unum vel semel denegare rationaliter petenti, sine ratione suf- ficienti, peccatum esset mortale.

2° Pastore et vicariis ejus deficientibus, cæteri minis-

tri, etiam laicus, ubi agitur de Baptismo, tenentur ex charitate cum periculo vitæ sacramenta ministrare in extrema necessitate : in necessitate vero communi, tenentur iterum ex charitate, sed non cum tanto periculo. Rationes illarum assertionum evolvuntur in Tractatu *de Præceptis Decalogi*, ubi de charitate erga proximum disserimus.

Subditi autem rationabiliter petunt 1^o in extrema vel in gravi necessitate; 2^o quoties implendum est præceptum divinum vel ecclesiasticum; 3^o si aliquid prævideant periculum, vel in tentatione versentur, et gratia sacramenti opus habeant: 4^o ubi festum notabile per susceptionem sacramentorum Pœnitentiæ et Eucharistiæ colere, indulgentiam lucrari, aut devotionem statui suo congruentem exercere volunt. Nolumus tamen affirmare eum qui semel aut iterum sacramentum, in hoc ultimo casu, sine causa legitima denegaret, mortaliter peccaturum; non videtur enim tam stricte se obligasse, inquit S. Ligorius, l. 6, n. 58.

Sed caveat pastor aut ejus vices gerens ne morosum vel difficilem subditis ministerium ejus requirentibus se præbeat, præsertim ubi agitur de sacramentis ad salutem necessariis. « Quicumque vero diei vel noctis hora » ad sacramenta ministranda parochus vocabitur... nullo modo tam sanctis officiis moram interponet. Imo populum sæpenumero, prout occasio tulerit, accurate præmonebit, ut, cum opus est parochiali ministracione atque officio, se quam primum et libere accersat, nulla habita nec temporis, neque loci longe distantis, neque alterius cujuscumque incommodi ratione. » *Act. Eccl. Mediol.* t. 1, p. 408.

Hinc pastor gregem suum deserere non potest ob pestem ingravescentem, ob persecutionem non sibi tantum, sed et fidelibus imminuentem, nec tunc muneri suo renuntiare valet, nisi ex consensu superioris salutem fidelium aliter provisuri. Ita omnes cum S. Thoma sic se habente, 2 2, q. 185, art. 5 : « Ubi subditorum salus » exigit pastoris præsentiam, non debet pastor persona-

» liter gregem suum deserere, neque propter aliquod commodum temporale, neque propter aliquod personale periculum imminens, cum bonus pastor animam suam ponere teneatur pro ovibus suis. »

Ea sola tamen cum periculo vitæ administrare tenentur sacramenta quæ stricte necessaria sunt, ut Baptismus, Pœnitentia, et etiam Extrema-UNCTIO, respectu illius qui non nisi dubie absolvi potuit.

Queritur an liceat aliquid pro administratione sacramentorum exigere.

R. Certum est aliquid temporale, quantumvis parvum, velut pretium rei sacræ aut laboris intrinseci in administratione rei sacræ necessario existentis exigere, peccatum esse mortale; est enim manifesta simonia, in qua, fatentibus cunctis doctoribus, non datur parvitas materiæ.

Verum aliquid accipere titulo eleemosynæ et sustentationis, juxta legem Ecclesiæ, statutum episcopi vel usum receptum, superioribus notum et ab eis approbatum, nullum est peccatum, modo intentio sit pura; id patebit ex dicendis in Tractatu *de Sacrificio Missæ*.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE FIDE SACRAMENTORUM MINISTRI.

Quibusdam videtur Tertullianum, ex iis quæ dicit in lib. de Baptismo, cap. 14, et in lib. de Pudicitia, cap. 39, Baptisma hæreticorum rejecisse. Quidquid sit de illo, certum est, teste S. Aug., de Bapt. contra Donat., l. 2, c. 7, 8 et 9, Agrippinum, Carthaginensem episcopum, ex consensu episcoporum Africae et Numidiæ, morem rebaptizandi eos qui ab hæreticis baptizati fuerant, induxisse. S. Cyprianus, sedem Carthaginensem non multo tempore post Agrippinum occupans, sua doctrina et sanctitate valde commendatus, statuit, versus annum 255, omnes ab hæreticis aut schismaticis baptizatos, rebaptizandos esse, ratus Baptismum extra veram

Ecclesiam datum, nullum esse. Eo sensu respondit cuidam Magno eum consulenti. Decem et octo episcopi Numidiæ sententiam ejus hac de re exquisierunt: littera eorum perlecta est in concilio triginta et duorum episcoporum Africae, quibus præsidebat Cyprianus: omnes responderunt neminem valide baptizari posse extra veram Ecclesiam. Pluribus episcopis Mauritanie contrarium sentientibus, Cyprianus aliud convocavit concilium, in quo septuaginta et unus sederunt episcopi, qui pariter definierunt Baptisma hæreticorum esse nullum, et Ordines sacros ab eis collatos esse iterandos. S. Cyprianus decisionem hujus concilii, Epistolas suas ad episcopos Numidiæ et Mauritanie suamque agendi rationem in hoc puncto gravissimi momenti summo pontifici S. Stephano patefecit.

S. Stephanus hanc doctrinam reprobavit ut novam, mandans, referente ipso S. Cypriano, Epistola 74, ut, « si quis a quacumque hæresi venerit ad vos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur » in poenitentiam. » Eodem sensu scripsit ad episcopos Cappadociae, Ciliciae et Galatiae, qui omnes sententiae Cypriani adhærebant, et declaravit minans se communionem amplius non habiturum cum iis qui rebaptizarent.

S. Cyprianus non fuit convictus: exemplar epistolæ S. Stephani misit ad episcopum Pompeium, eam confutare nitens; aliud coadunavit concilium, in quo adfuerunt octoginta et quinque episcopi, multique presbyteri et diaconi. Doctrina Rebaptizantium ibi de novo fuit obfirmata.

Interea furiosa exarsit persecutio Valerii, in qua Stephanus et Cyprianus illustre subierunt martyrium, et postea error Rebaptizantium, damnatus in concilio plenario, evanuit. An concilium illud plenarium, quod memorat S. Aug., de Baptismo contra Donat., l. 1, cap. 7, sit concil. Nicæni. I, an concil. Arelatense anno 314 celebratum, non convenit inter doctos; sed parvi refert, cum error Rebaptizantium in utroque concilio proscriptus fuerit saltem implicite. Illum renoverunt Donatistæ, quos

acriter impugnavit S. Aug., alique hæretici qui contendebant sacramenta valide conferri non posse a ministris improbis.

Vide quæ jam diximus, de controversia inter S. Stephanum et S. Cyprianum, in Tractatu de Ecclesia, part. 2, cap. 3, art. 2.

PROPOSITIO.

Fides ministri non necessaria est ad validitatem Baptismi.

Eadem est ratio, fatentibus adversariis, pro aliis sacramentis.

Prob. Illa propositio est de fide, probatur traditione et ratione.

1° *Est de fide.* Definita fuit 1° in concilio Arelatensi, anno 314, canone 8; 2° in concilio Nicæno I, primo generali, anno 325, canone 8, ubi statuitur: « Si qui voluerint venire ad Ecclesiam catholicam ex Novatianis, placuit sancto-concilio ut, impositis eis manibus, sic maneat in clero. » De iterando Baptismo eorum nihil dicit: in canone autem 19, præscribit ut a Paulianistis et Cataphrygis ad Ecclesiam catholicam confugientes rebaptizentur; quia scilicet, Paulianistæ et Cataphrygi formam Baptismi corrumpebant, ut satis patet ex canone 8 concilii Arelatensis; et aliud discrimen inter Baptismum Novatianorum aliorumque hæreticorum et Baptismum Paulianistarum assignari non potest. 3° Concil. Trid. propositionem nostram expressis verbis definiit sess. 7, can. 4, de Bapt. : « Si quis dixerit Baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum; anathema sit. » Ergo 1°.

2° *Probatur traditione.* Constat enim ex verbis S. Stephani, supra relatis, ex Vincentio Lirinensi, Commonitorio I, cap. 9, dicenti de Agrippino: « Is primus omnium mortalium, contra universalis Ecclesie regulam.... contra morem ac instituta majorum, rebaptizandum esse censebat: » ex S. Aug. et ex aliis monumentis,

in Ecclesia Romana nunquam rebaptizatos fuisse hæreticos, vel ab hæreticis rite baptizatos, et morem istum, aliquo tempore interruptum in Africa, ubique prævaluisse. Ergo 2°.

3° *Probatum ratione.* 1° Baptismus ab hæreticis collatus, nihilominus est Baptismus Christi gratiam ex opere operato producens: ergo suum habere debet effectum. 2° Status gratiæ sanctificantis non necessarius est ad validitatem sacramenti: ergo nec fides. Ergo 3°, etc.; aliunde, etc. Ergo.

Dices 1°: Unum est Baptisma, sicut una est fides et unus Dominus, Eph. iv, 5: at vera fides non existit apud hæreticos: ergo nec verum Baptisma.

R. Nego conseq. et paritatem; fides enim consistit in mente et liberam exigit adhesionem: ideo jam non existit in hæretico qui omnes ejus veritates non admittit. Contra vero Baptisma Christi sistit in ritu externo, et idem semper remanet ubi servatur ritus a Christo institutus. Porro ritus a Christo institutus servari potest apud hæreticos: ergo, etc.

Dices 2°: Soli Ecclesiæ data sunt sacramenta: ergo apud hæreticos non inveniuntur.

R. Nego conseq. Nam fieri potest ut hæretici ritus sacramentales retinuerint integros: porro in eo casu vera habent Christi sacramenta, sicut veram habent Dei Scripturam soli Ecclesiæ creditam, quamdiu libros integros retinent: ergo.

Dices 3°: Vera Ecclesia, sponsa Christi, per Baptismum parit filios sponso suo: porro repugnat societates quæ non sunt sponsæ Christi legitimos ei parere filios: ergo.

R. Dist. min. Repugnat illas societates legitimos parere filios Christo, per viam sibi propriam, *conc.*; ut causam instrumentalem, utendo ipsomet medio veræ Ecclesiæ concredito, *nego min.* Porro eo sensu tantum dicimus hæreticos valide baptizare, quia scilicet verum retinent Baptisma Christi, et Ecclesia sponsa Christi per eos dat filios sponso suo. Ergo.

Notandum S. Cyprianum, nec non Firmilianum cæterosque episcopos qui sententiæ ejus adhærebant, ab hæresi omnino excusandos esse, ut observat S. Aug., de Baptismo contra Donatistas, l. 2, cap. 4, quia res nondum definita fuerat ut de fide: plerique tamen theologi arbitrantur eos, et præsertim Firmilianum, Cappadociæ episcopum, saltem venialiter contra charitatem et reverentiam superiori debitam peccavisse, decretum S. Stephani durius excipiendo, ipsumque injuriis et dieteris afficiendo. Legatur epistola Firmiliani, inter Epistol. S. Cyprian. 74. Cæterum, si peccaverint, peccati sui remissionem obtinuerunt, et velut sancti summa cum veneratione celebrantur, B. Cyprianus in ecclesia Occidentali, et Firmilianus in tota ecclesia Orientali.

ARTICULUS TERTIUS.

DE INTENTIONE IN MINISTRO SACRAMENTORUM REQUISITA.

Intentio generatim est actus voluntatis ad finem per media tendentis: triplex distinguitur, actualis, virtualis et habitualis.

Intentio *actualis* est præsens voluntatis propositum, cum animi attentione ad opus quod agitur, v. g., ad sacramentum quod hic et nunc confertur.

Intentio *virtualis* ea est vi cujus aliquis agit, quamvis de re agenda hic et nunc non cogitet: v. g., si quis præsentem habuerit intentionem talem infantem baptizandi, eat ecclesiam, vestes sacras induat, baptismum agat, de illo minime cogitans. Existencia hujus intentionis cognoscitur per seriem actionum in quibus moraliter perseverare censetur, ut in casu præcedenti, vel si sufficiens non exstiterit temporis intervallum ut, juxta communem judicandi modum, interrupta censeatur.

Intentio *habitualis* est facilitas aliquid faciendi, ex frequenti praxi contracta; reperiri potest in amentibus, in dormientibus, in ebriis.

Certum est 1° aliquam intentionem ad validitatem sacramenti necessariam esse: sacramenta quippe modo

humano administrari debent; verum actio sine intentione facta, non esset humana. Unde Eug. IV, in Decreto ad Armenos, dicit: « Omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet, rebus tanquam materia..... et persona ministri conferentis sacramentum, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia; quorum si unum desit, non perficitur sacramentum. »

Certum est 2^o intentionem habituaalem non esse sufficientem; nullo modo enim tunc voluntas deliberata in actionem influeret, nec igitur actio foret humana. Hinc si sacerdos inter somniandum, vel in amentia aut ebrietate, aliquem baptizaret, absolveret, etc., procul dubio sacramentum non conficeret.

Certum est 3^o intentionem actuaalem optimam esse et in ministro sacramentorum exoptandam, sed ad validitatem sacramenti minime necessariam; cunctis enim factibus, actio potest esse humana, licet fiat sine actuali intentione, modo ex intentione præcedenti deliberata procedat. Aliunde si Christus validitatem sacramentorum ab actuali intentione ministri pendere voluisset, nullus fidelis securus esse posset, *ut patet*: at supponi non potest Christum sic egisse: ergo.

De sola ergo intentione virtuali nunc agendum est, et quæritur 1^o an ad validitatem sacramenti sit necessaria, et 2^o quodnam debeat esse objectum ejus.

§1 — An intentio virtualis ad validitatem sacramenti sit necessaria.

Negavit Lutherus, asserens valere sacramentum, etsi minister nihil cogitet, nihil intendat, nihil advertat, imo divina mysteria aperte rideat, lusorie et mimice agat: subscripserunt ei Calvinus, Chemnitius, etc.

PROPOSITIO.

Intentio virtualis in ministro ad validitatem sacramenti necessaria est.

Propositio est de fide catholica, et probatur rationibus theologicis.

1^o *Est de fide*. Tradita fuerat in concilio Constantiensi, definienti quærendum esse ab eo qui de hæresi est suspectus, inter multa alia, « utrum credat quod malus sacerdos cum debita materia et forma, et cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, vere conficiat, vere absolvat, vere baptizet, et vere conferat alia sacramenta. » Item habet concil. Florent. in Decreto ad Armenos, cujus verba superius exstant. Inter varios articulos Lutheri quos Leo X damnavit, sequens invenitur: « Si sacerdos non serio, sed joco absolveret, si tamen credat poenitens se esse absolutum, verissime est absolutus. » Tandem concil. Trid. propositionem nostram sic definit, sess. 7, can. 11, de Sacramentis in genere: « Si quis dixerit in ministris, dum sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia; anathema sit. » Idem error damnatur in sess. 14, can. 9, de Poenitentia. Ergo 1^o.

2^o *Probatur rationibus theologicis*. 1^o Quod ex se ad varios fines indifferens est, ad unum potius quam ad alium per intentionem agentis determinari debet: atqui materiae et formae sacramentorum ex se ad varios fines indifferentes sunt; v. g., effusio aquæ fieri potest, etiam cum prolatione verborum *Ego te baptizo*, etc., ad ablucendum corpus, ad jocandum, ad blasphemandum, ad devotionem, etc.: ergo per intentionem determinari debet ad sacramentum. 2^o Ministratio sacramentorum est actio humana: porro non esset actio humana, sed merum accidens, si fieret absque intentione saltem virtuali. 3^o In adversariorum sententia, qui e fenestra guttulam aquæ in catechumenum transeuntem jocosè infunderet, dicens *Ego te baptizo*, etc., illum vere baptizaret; sacerdos publice legens cap. xxvi Matth. in refectorio seminarii, omnes panes in mensis appositos omneque vinum præsens valide consecraret, licet de tali consecratione nullo modo cogitaret: atqui hæc prorsus absurda sunt: ergo 2^o.

Dices: Refertur 1^o S. Athanasium adhuc puerum cum sociis ludentem in littore maris, eos baptizasse, et Alexandrum, Alexandrinum episcopum, hunc Baptismum appro-

hæc; 2^o Genesisium mysteria religionis christianæ in theatro repræsentantem, mimice baptizatum fuisse, et Baptismum ejus habitum fuisse ut validum. Ergo.

R. 1^o. Hæc facta valde sunt dubia; nullis enim monumentis coætaneis et authenticis fulciuntur. Ruffinus dicit quidem se factum S. Athanasii ab illis qui cum illo vixerunt didicisse; Soerates et Sozomenus, illud dubitanter referendo, in solo testimonio Ruffini nituntur, et *Tillemont* ostendit, t. VIII, p. 652, relationem hujus facti cum aliis factis indubiis conciliari non posse. Genesisium occumbere debuit anno 285 circiter, juxta *Tillemont*, l. 4, p. 418, et Ado, episcopus Viennensis in nono sæculo, eum primum commemorat ut mimum et martyrem. Attamen *Tillemont* æstimare videtur historiam ejus esse veram.

R. 2^o. Supposito quod facta nobis objecta sint vera, nihil contra propositionem nostram inferri potest. Nam 1^o ex relatione constat S. Athanasium socios reipsa baptizare voluisse, et episcopum Alexandrinum, post examen, presbyteris suis consultis, judicasse illum fecisse quod facit Ecclesia, et ideo Baptismum sic collatum iterandum non esse. 2^o Ex historia, Genesisium, mysteriis religionis nostræ illudere volens, finxit in theatro se ægrotum esse, Baptisma Christianorum suscipere ante mortem desiderare: alter inductus est mimus qui, personam sacerdotis gerens, eum juxta morem christianum interrogavit et baptizavit: mox satellites, ut ludum scenicum perficerent, eum veste christiana indutum apprehendunt, ducuntque ad Diocletianum, velut christianum; sed ille, derepente mutatus, serio respondit se esse christianum, et variis suppliciis tortus, capite truncatus est. Unde, sive Baptismus ejus fuerit validus, ut plures dicunt, arbitrantes serio datum et susceptum esse, licet in theatro, sive fuerit nullus, Genesisium honorari debet ut sanctus. Ergo.

Alia ejusdem generis citantur facta quæ non magis doctrinæ nostræ adversantur.

§ II. — Quodnam debeat esse objectum intentionis in ministro sacramenti requisita.

Constat, ex dictis, omnino necessarium esse ut minister sacramenti intendat facere quod facit Ecclesia. Non vero necesse est ut intendat quod intendit Ecclesia, v. g., facere Christianum, producere gratiam, imprimere characterem, ducere ad vitam æternam; valent enim sacramenta ab hæreticis et apostatis collata, imo et Baptismus datus a pagano hæc omnia ignorante.

Certum est requiri ut minister sacramenti ritum externum in Ecclesia consuetum serio perficiat: *id ex præcedenti propositione sequitur.*

Verum duplici modo velle potest hunc ritum perficere, scilicet, illum habendo ut sacrum in se, vel saltem ut talem apud Christianos habitum, et dicitur habere intentionem internam; vel interius dissentiendo, dum exterius serio et in debitis circumstantiis agit, v. g., si quis, dum more consueto baptizat, interius dicat: *Nolo nunc infantem baptizare, diabolo eum devoveo, hunc ritum habeo ut vanum, profanum, etc.* Qui sic agit, dicitur habere intentionem externam, per circumstantias ad ens sacramentale sufficienter determinatam.

A ducentis et quinquaginta annis circiter, gravis exorta est controversia inter theologos catholicos, an scilicet intentio externa ad validitatem sacramenti sufficiat, an vero interna requiratur.

Multi contendunt intentionem externam sufficere, et sequentibus præsertim nituntur momentis. 1^o Semper Ecclesia habuit ut verum Baptisma a Judæis et a paganis collatum, nec unquam visa est timere ne in ipsis intentio sufficiens deesset, modo ritum externum serio et in debitis circumstantiis implevissent: attamen, si intentio faciendi ritum sacrum vel habitum ut sacrum requiretur, valde timendum esset ne intentio sufficiens deesset. Ergo. 2^o Quoties actum est de validitate Baptismi ab hæreticis collati, Ecclesia jussit ut sedulo exquireretur an ritus externus accurate exstitisset: de intentione interna ministri omnino siluit. Ergo. 3^o Sacramentorum

ministri sunt, respectu Christi et fidelium, sicut officarii publici respectu principis et populi: porro, ut acta officiariorum publicorum valeant, sufficit quod juxta præscriptum legis serio et in debitis circumstantiis fiant: ergo a pari sufficit ut sacramenta serio et in debitis circumstantiis conferantur. 4^o Gratia ritui externo annexa est, et opere operato producitur: ergo ab intentione interna ministri pendere non potest. 5^o Sententia multis incommodis obnoxia, Christo sapientissimo indigna est et rejici debet: atqui talis est sententia necessitatem intentionis internæ requirens; sæpe enim daretur locus timendi ne hic homo valide non fuisset baptizatus, ne talis sacerdos vel episcopus valide non fuisset ordinatus, et tunc quot et quanta gravissimi momenti incommoda sese offerunt! Ita Catharinus qui in concilio Tridentino adfuit, *Contenson*, *Serry*, *Natalis Alexander*, *Juénin*, etc.

Alii vero communius docent intentionem internam, id est intentionem faciendi ritum sacrum, vel saltem habitum ut sacrum ab eo qui illum petit, ad validitatem sacramenti necessariam esse: nam, inquirunt, 1^o minister alioquin non haberet intentionem faciendi quod facit Ecclesia, siquidem interius illam derideret, illi obsisteret, etc. 2^o *Alexand. VIII* sequentem damnavit propositionem, anno 1601: « Valet Baptismus collatus a ministro » qui omnem ritum externum formamque baptizandi » observat, intus vero in corde suo, apud se resolvit: » Non intendo quod facit Ecclesia. » Fatendum est hac censura grave vulnus adversæ opinioni inflictum esse, ut ait *Benedictus XIV*, de Synodo diœcesana, l. 7, cap. 4, n. 8. 3^o Citatur rubrica Missalis Romani auctoritate *Clementis VIII* editi, quæ sic se habet, cap. 7, de Defectu intentionis: « Si quis habeat coram se undecim hostias, » et intendat consecrare solum decem, non determinans » quas decem intendit, in his casibus non consecrat, » quia requiritur intentio. » Ergo intentio interna necessaria est.

Probationes in gratiam præcedentis propositionis simul ostendunt internam requiri intentionem.

Circa utramque sententiam notat doctissimus *Benedic-*

tus XIV, loco citato, nullam Sedis Apostolicæ emanasse definitionem expressam: habet tamen ut communiorem sententiam quæ exigit in ministro intentionem vel actualem, vel virtuales faciendi non ritum externum, sed id quod Christus instituit, seu quod facit Ecclesia; eamque ut tutiorem omnino servandam esse in praxi affirmat, et in fine subjungit: « Quare, si constet quempiam aut » Baptismum contulisse, aut aliud sacramentum ex iis » quæ iterari nequeunt administrasse, omni adhibito » externo ritu, sed intentione retenta, aut cum deliberata » voluntate non faciendi quod facit Ecclesia, urgente » quidem necessitate, erit sacramentum iterum sub conditione perficiendum: si tamen res moram patiat, » Sedis Apostolicæ oraculum erit exquirendum. »

Ex dictis infertur ministrum qui sacramentum aliquod sine intentione interna voluntarie administraret, mortaliter peccaturum; gravem enim injuriam sacramento inferret, illud exponendo nullitati, et jura suscipientis, sacramentum certum, non vero dubium petentis, læderet: atque, si ageretur de sacramento ad salutem necessario, teneretur etiam cum periculo vitæ defectum intentionis reparare, vel sacramentum ipse iterando, si posset, vel se manifestando ut alius iterationi ejus provideret.

Quæritur 1^o an intentio debeat esse determinata et absoluta.

R. 1^o. Debet esse determinata ad personam vel ad materiam præsentem; necesse est enim ut verba formæ sint vera: atqui verba formæ indicant objectum præsens, *Ego te baptizo; Ego te absolvo; Hoc est corpus meum*, etc.: ergo. Non tamen necesse est ut persona per nomina et qualitates speciales designetur, et panes consecrandi numerentur. Unde baptizans qui circa sexum infantis erraret, illum nihilominus valide baptizaret, quia intentionem habet infantem præsentem, quicumque sit, baptizandi, nisi aliter in mente sua expresse statuerit; item celebrans habet intentionem omnes panes præsentis consecrandi, nisi aliud expresse velit.

R. 2^o. Intentio sub conditione de præsentem vel de præ-

terito, validitati sacramenti non officit, modo reipsa existat: officeret vero intentio sub conditione de futuro suspensa: *hoc patet ex dictis*, p. 435, ubi etiam legitur quod, in administratione sacramenti, conditionem sine ratione sufficienti ponere, peccatum sit mortale.

Quæritur 2^o an attentio necessaria sit ad validitatem sacramenti.

R. 1^o. Omnes fatentur ministrum voluntarie se distrahentem in confectione alicujus sacramenti, saltem venialiter peccare, quia deest reverentiæ sacramento debitæ: generaliter docent auctores voluntariam distractionem in conficienda sanctissima Eucharistia, peccatum esse mortale, propter magnam hujus sacramenti dignitatem; ubi vero de alio agitur sacramento, dubitant, communius tamen dicentes peccatum tunc non esse mortale, nisi periculum aliquid essentielle omittendi existat; S. Ligorius, l. 6, n. 14.

R. 2^o. Attentio ministri ad validitatem sacramenti non necessaria est. Nam 1^o Concilium Florentinum, essentialiter sacramentorum accurate describens, intentionem ministri ut absolute necessariam requirit; silet vero de attentione: ergo non æstimavit eam ad essentialitatem sacramenti pertinere. 2^o Actio sine attentione facta potest esse humana, id est, fieri potest cum advertentia intellectus et consensu voluntatis. Ergo. Unde qui inter baptizandum, absolvendum, etc., voluntarie esset distractus, peccaret quidem, sed valide baptizaret, absolveret, etc. *Ita omnes.* Quidam tamen excipiunt Extremam-Uncionem, quia forma ejus est deprecatoria, et preces cum voluntariis distractionibus factæ sunt nullæ: alii autem contendunt preces unctionibus junctas non operari quatenus sunt preces, sed quatenus sunt pars sacramenti, ac proinde attentionem non magis in hoc quam in aliis sacramentis requiri. Res videtur dubia, ac consequenter sacramentum sic certo ministratum sub conditione iterandum esset.

Quæritur 3^o an metus ministro sacramenti incussus validitati ejus noceat.

R. Metus, quo stante homo remanet sui compos, validitati sacramenti non nocet, quia non impedit quin actio sit humana. Hinc si sacerdos sub minatione mortis ad baptizandum puerum cogitur, valet Baptismus, nisi talis exstiterit metus ut ratio baptizantis omnino perturbata fuerit.

CAPUT SEXTUM.

DE SUBJECTO SACRAMENTORUM.

Concilium Trid. cum in sessione sexta de justificatione egisset, sessionem septimam incipiens, ait: « Consentaneum enim visum est de sanctissimis Ecclesiæ sacramentis » agere, per quæ omnis vera justitia, vel incipit, vel » cœpta augetur, vel amissa reparatur. » Cum autem justitia augeri non possit in angelis et beatis in cœlo regnantibus, nec in dæmonibus et damnatis reparari, sequitur sacramenta pro solis hominibus viatoribus existere. Baptismus omnibus conferri potest; Confirmatio et Eucharistia, omnibus fidelibus, etiam ratione destitutis; Pœnitentia, solis adultis qui peccata post Baptismum suum admiserunt; Extrema-Uncio, solis infirmis: feminae arcentur ab Ordine, et clerici in Ordinibus sacris constituti atque religiosi professi a Matrimonio, *ut de singulis sacramentis tractando ostendemus.*

Certum est Baptismus omnino prærequiri ad validitatem aliorum sacramentorum; quia, ut definiit Eugenius IV, in Decreto ad Armenos, *vite spiritualis janua est.* Tria hic nobis examinanda sunt, scilicet, 1^o an intentio in suscipiente ad validitatem sacramenti necessaria sit, 2^o quænam dispositiones ad fructum sacramenti percipiendum requirantur, et 3^o an sacramenta indignis conferre liceat.

terito, validitati sacramenti non officit, modo reipsa existat: officeret vero intentio sub conditione de futuro suspensa: *hoc patet ex dictis*, p. 435, ubi etiam legitur quod, in administratione sacramenti, conditionem sine ratione sufficienti ponere, peccatum sit mortale.

Quæritur 2^o an attentio necessaria sit ad validitatem sacramenti.

R. 1^o. Omnes fatentur ministrum voluntarie se distrahentem in confectione alicujus sacramenti, saltem venialiter peccare, quia deest reverentiæ sacramento debita: generaliter docent auctores voluntariam distractionem in conficienda sanctissima Eucharistia, peccatum esse mortale, propter magnam hujus sacramenti dignitatem; ubi vero de alio agitur sacramento, dubitant, communius tamen dicentes peccatum tunc non esse mortale, nisi periculum aliquid essentielle omittendi existat; S. Ligorius, l. 6, n. 14.

R. 2^o. Attentio ministri ad validitatem sacramenti non necessaria est. Nam 1^o Concilium Florentinum, essentialiter sacramentorum accurate describens, intentionem ministri ut absolute necessariam requirit; silet vero de attentione: ergo non aestimavit eam ad essentialitatem sacramenti pertinere. 2^o Actio sine attentione facta potest esse humana, id est, fieri potest cum advertentia intellectus et consensu voluntatis. Ergo. Unde qui inter baptizandum, absolvendum, etc., voluntarie esset distractus, peccaret quidem, sed valide baptizaret, absolveret, etc. *Ita omnes.* Quidam tamen excipiunt Extremam-Uncionem, quia forma ejus est deprecatoria, et preces cum voluntariis distractionibus factæ sunt nullæ: alii autem contendunt preces unctionibus junctas non operari quatenus sunt preces, sed quatenus sunt pars sacramenti, ac proinde attentionem non magis in hoc quam in aliis sacramentis requiri. Res videtur dubia, ac consequenter sacramentum sic certo ministratum sub conditione iterandum esset.

Quæritur 3^o an metus ministro sacramenti incussus validitati ejus noceat.

R. Metus, quo stante homo remanet sui compos, validitati sacramenti non nocet, quia non impedit quin actio sit humana. Hinc si sacerdos sub minatione mortis ad baptizandum puerum cogitur, valet Baptismus, nisi talis exstiterit metus ut ratio baptizantis omnino perturbata fuerit.

CAPUT SEXTUM.

DE SUBJECTO SACRAMENTORUM.

Concilium Trid. cum in sessione sexta de justificatione egisset, sessionem septimam incipiens, ait: « Consentaneum enim visum est de sanctissimis Ecclesiæ sacramentis » agere, per quæ omnis vera justitia, vel incipit, vel » cœpta augetur, vel amissa reparatur. » Cum autem justitia augeri non possit in angelis et beatis in cœlo regnantibus, nec in dæmonibus et damnatis reparari, sequitur sacramenta pro solis hominibus viatoribus existere. Baptismus omnibus conferri potest; Confirmatio et Eucharistia, omnibus fidelibus, etiam ratione destitutis; Pœnitentia, solis adultis qui peccata post Baptismum suum admiserunt; Extrema-Uncio, solis infirmis: feminae arcentur ab Ordine, et clerici in Ordinibus sacris constituti atque religiosi professi a Matrimonio, *ut de singulis sacramentis tractando ostendemus.*

Certum est Baptismus omnino prærequiri ad validitatem aliorum sacramentorum; quia, ut definiit Eugenius IV, in Decreto ad Armenos, *vite spiritualis janua est.* Tria hic nobis examinanda sunt, scilicet, 1^o an intentio in suscipiente ad validitatem sacramenti necessaria sit, 2^o quænam dispositiones ad fructum sacramenti percipiendum requirantur, et 3^o an sacramenta indignis conferre liceat.

ARTICULUS PRIMUS.

AN INTENTIO IN SUSCIPIENTE AD VALIDITATEM SACRAMENTI NECESSARIA SIT.

Certum est, ex totius Ecclesiæ fide, doctrina et praxi, nullam requiri intentionem in parvulis et perpetuo amentibus ad validitatem Baptismi, Confirmationis et Eucharistiæ, ut in specialibus de his sacramentis Tractatibus ostendetur. Hic ergo agitur de solis adultis, et petitur an in eis aliqua intentio sacramentum suscipiendi necessaria sit, et qualis esse debeat.

PROPOSITIO PRIMA.

Ad validitatem sacramenti aliqua in suscipiente adulto necessaria est intentio.

Prob. 1^o auctoritate S. Thomæ, 3^a part., q. 68, art. 7, ubi dicit: « Ex parte baptizati requiritur voluntas, seu » intentio suscipiendi sacramentum; » 2^o auctoritate Benedicti XIV, idem omnino docentis in Instructione incipiente, *Postremo mense*, n. 43 (Bullar. t. II).

Unde, quæcumque sacramenta, excepta Eucharistia, collata dormientibus, ebriis, casu amentibus, qui nullam habuerunt voluntatem ea suscipiendi, nulla sunt, etiam quoad characterem quem tunc non imprimunt.

Diximus *excepta Eucharistia*; quia, cum illud sacramentum permanenti modo subsistat, re ipsa nesciis confertur licet gratiam non producat.

PROPOSITIO SECUNDA.

Non semper requiritur intentio actualis aut virtualis, sed quandoque habitualis et interpretativa sufficiunt.

Prob. Quod actualis non requiratur, patet ex dictis, ubi de intentione ministri, p. 458. Unde sequitur eum

qui voluntarie se distrahit, dum sacramentum sibi confertur, validitatem ejus non destruere. Sed nec virtualis semper necessaria est intentio in suscipiente, sed habitualis quandoque sufficere videtur, 1^o ex concilio Carthag. III, anno 397 celebrato, sic se habente, canone 34: « Ægrotantes, si per se respondere non possunt, cum » voluntatis eorum testimonium... dixerint, baptizentur; » 2^o ex S. Aug. narrante, lib. 4 Conf., cap. 4, amicum suum febribus laborantem et sine sensu in sudore lethali jacentem, cum desperaretur, baptizatum esse nescientem, et Baptismus ille, ex contextu, habetur ut validus; 3^o ex Decretal., l. 3, tit. 42, cap. 3, ubi Innocentius III, de amentibus et dormientibus sub fine capitis agens, ait Baptismum ipsis in amentia vel in somno collatum valere, si prius catechumeni exstitissent, et habuissent propositum baptizari; 4^o ex Bened. XIV, qui idem habet in Instruct. modo citata, n. 46.

Imo, ad valide suscipiendum Extremæ-Uncionis sacramentum, sufficit intentio interpretativa, quæ scilicet nunquam exstitit, sed præsumitur a suscipiente habenda, si rationis compos esset; hoc enim evidenter supponit Rituale Romanum, dicens de Extrema-Uncione: « Hoc » sacramentum est præbendum sensibus destitutis, qui » antea illud petierunt, seu verisimiliter petuissent. »

Plurimi dicunt sacramenta Confirmationis et Eucharistiæ eidem moribundo sensibus destituto conferri posse. Vide S. Ligorium, l. 6, n. 82.

Communius vero docetur intentionem interpretativam ad validam Baptismi et Ordinis susceptionem non sufficere; quia nemo sine propriæ voluntatis influxu graves obligationes his sacramentis annexas contrahere potest.

Quæritur quid sentiendum sit de sacramento simulate suscepto.

R. Duplex ea de re prodiit sententia. Alii dicunt sufficere ut intentio cadat in ritum externum materialiter spectatum, modo exterius suscipiens agat serio; quam intentionem communiter vocant externam. Hac opinione admissa, validum esset sacramentum, si quis

illud exterius serio et in debitis circumstantiis susciperet, quamvis interius neque abnueret positive, neque consentiret, imo vero, ut quidam volunt, licet intrinsece contradiceret et reluctaretur. Alii vero communiter et probabilius docent requiri intentionem quæ cadat in ritum sacramentalem formaliter ut est Ecclesiæ spectatum : quæ intentio vocari solet interna.

ARTICULUS SECUNDUS.

QUENAM DISPOSITIONES AD PERCIPIENDUM FRUCTUM SACRAMENTI REQUIRANTUR.

Ubi sacramentum est invalidum, nullus percipitur fructus : verum fieri potest ut sacramentum sit validum, et gratia propter obicem in suscipiente existentem non conferatur. Tria hic inquiri possunt, videlicet 1^o an fides et sanctitas in suscipiente necessariae sint ad validitatem sacramentorum, 2^o an necessariae sint ad fructum eorum percipiendum, et 3^o an, remoto obice, gratia sacramentalis reviviscat.

PROPOSITIO PRIMA.

Fides et sanctitas non requiruntur in suscipiente ad validitatem sacramentorum, excepta Pœnitentia.

Prob. 1^o ex S. Aug., de Bapt., l. 3, cap. 14, n. 19 :
 « Nec interest, cum de sacramenti integritate tractatur,
 » quid credat et quali fide imbutus sit ille qui accipit
 » sacramentum. Interest quidem plurimum ad salutis
 » viam : sed ad sacramenti quæstionem nihil interest :
 » fieri enim potest ut homo integrum habeat sacramen-
 » tum et perversam fidem. »

2^o Ex S. Th., 3 part., q. 68, art. 8 : « Recta fides baptizati non requiritur ex necessitate ad Baptismum, sicut
 » nec recta fides baptizantis, dummodo adsint cætera quæ
 » sunt de necessitate sacramenti. » *Ita omnes alii doctores.*
 3^o *Ex ratione.* Semper Ecclesia prohibuit ne Baptis-

mus in hæresi susceptus iteraretur : at in suscipiente recta non erat fides, nec a fortiori sanctitas, quæ sine fide existerè non potest : ergo.

Dicimus *excepta Pœnitentia*; quia, cum, ex probabilissima sententia, actus pœnitentis materia sint hujus sacramenti, et cum aliunde vera contritio sine fide existerè non possit, sequitur sufficientem non dari materiam, recta fide deficiente.

PROPOSITIO SECUNDA.

Ad percipiendum fructum sacramentorum semper requiruntur fides et pietas, non vero semper sanctitas.

Prob. prima pars, 1^o ex S. Aug. modo citato, qui asserit plurimum ad viam salutis interesse quid credat et quali fide imbutus sit ille qui accipit sacramentum; 2^o ex conc. Trid., sess. 7, can. 6, definiente sacramenta novæ Legis gratiam conferre obicem non ponentibus : non conferunt ergo obicem ponentibus : porro si quis obex gratiæ sacramenti opponi possit, maxime defectus fidei : ergo.

Eodem sensu requiritur etiam pietas, id est, motus religionis erga Deum : repugnat quippe gratiam sanctificantem conferri homini adulto per actum sine ulla pietate ex parte ipsius exercitatum.

Prob. secunda pars, scilicet, non semper requiri sanctitatem ; sunt enim sacramenta mortuorum, primam gratiam ex sua institutione conferentia : at sanctitas in suscipiente non prærequiritur ad hæc sacramenta, alioquin primam gratiam ex institutione sua non conferrent. Prærequiritur vero ad sacramenta vivorum ; hæc enim sacramenta supponunt animam spiritualiter vivere, et non nisi per accidens gratiam primam conferre possunt. Ergo.

PROPOSITIO TERTIA.

Remoto obice, gratia sacramentalis confertur.

Prob. 1^o auctoritate omnium moraliter theologorum,

qui libenter admittunt quod ait S. Thomas, 3 part., q. 69, art. 10, agens de gratia Baptismi : « Cum corpus grave » generatur, movetur deorsum, nisi sit aliquid prohibens, quo remoto, statim incipit moveri deorsum ; et » similiter quando aliquis baptizatur, accipit characterem quasi formam et consequitur proprium effectum, » qui est gratia remittens omnia peccata. Impeditur » autem quandoque per fictionem : unde oportet quod, » remota ea per poenitentiam, Baptismus statim consequatur suum effectum. »

2° *Ratione*. Baptismus sine fide aut sufficienti contritione susceptus, peccata non remittit : attamen peccata ante Baptismum et in susceptione Baptismi commissa clavibus Ecclesiae subijci non possunt, nec tamen irremissibilia sunt : ergo necesse est ut effectus Baptismi, sublato obice, reviviscat.

Idem dicendum est de Confirmatione, Ordine, Matrimonio et Extrema-Uncione : qui aliquod ex illis sacramentis male suscepit, effectum ejus, propter obicem suspensum, eo instanti percipiet quo, vi contritionis perfectae vel sacramenti Poenitentiae, justificationem obtinebit, modo conjux ejus adhuc vivat, aut ipse aegrotus eadem infirmitate detineatur, si de Matrimonio aut Extrema-Uncione agatur. Vide S. Ligorium, l. 6, n. 87.

ARTICULUS TERTIUS.

AN SACRAMENTA INDIGNIS CONFERRE LICEAT.

Duplicis generis distinguuntur peccatores, occulti scilicet et publici ; item sacramenta petere possunt occulte vel publice. *His prænatis, sequentia statuenda sunt :*

1° Sacramentum aliquod indigno sine ratione excusanti ministrare, gravissimum est peccatum ; tunc enim nihil minus esset quam sanctum dare canibus, contra prohibitionem Domini, Matth. VII, 6 : *Nolite dare sanctum canibus*. Imo minister inquirere debet, juxta prudentiae regulas et uniuscujusque sacramenti naturam, an petens sit dignus ; alioquin fidelis mysteriorum Dei dis-

pensator non esset. Ita P. *Antoine* et alii multi. Alii tamen non pauci et probabilius, ut nobis videtur, inter sacramenta distinguunt, dicuntque ministrum inquirere teneri dispositiones petentis Baptismum, Poenitentiam in qua munere judicis fungitur, Ordinem ad quem divina necessaria est vocatio, aut Matrimonium propter impedimenta ; cætera vero sacramenta catholicis ea petentibus non deneganda esse, nisi de eorum indignitate constet ; quia fideles jus ad ea habent, et ministri non sunt judices, sed tantum dispensatores. S. Ligorius, l. 6, n. 43.

2° Sacramenta negari non possunt peccatori, sive publice sive occulte petenti, si indignitas ejus ex sola confessione noscatur, propter inviolabile confessionis sigillum.

3° Peccatori publico, sive occulte sive publice petenti, deneganda sunt sacramenta nisi sufficientia conversionis signa dederit aut scandalum reparaverit, « ex generali » nimirum regula, quæ vetat publicum atque notorium » peccatorem ad Eucharisticæ communionis participationem admitti, sive eam publice sive privatim requirat. » Sunt verba Bened. XIV, in Const. *Ex omnibus*, § 3 (Bull. t. IV). Quod de Eucharistia dicitur, de aliis sacramentis, proportionem servata, dicendum est.

Ne quidem ad vitandam mortem sacramenta hujus generis indigno conferre liceret ; quia non faciendâ sunt mala ad alia fugienda mala : porro qui sacramentum aliquod indigno notorio ministraret ad vitandam mortem, faceret malum ut aliud fugeret malum, et publicum aliis daret scandalum, sancta irreverenter tractando : ergo.

Peccatum autem duplici modo notorium esse potest, scilicet *juridice*, si nempe homo per sententiam alicujus tribunalis reus fuerit declaratus ; et *notorietate facti*, si videlicet culpa adeo sit nota, ut nullus aut fere nullus in tota vicinia eam ignorare possit. Sola vero suspicio, vel dubitatio, vel notitia facti aliquibus tantum communicata publicam infamiam non contineret : sufficiens igitur non esset ratio sacramenta denegandi.

Si peccatum sit notorium et poenitentia incerta, dene-

ganda sunt sacramenta; tunc enim indignitas censeretur publica: si tamen vera esset conversio, licet nondum publica, et sacramentum occulte vel tantum coram testibus mutationem noscentibus peteretur, dari posset, modo non prævideretur scandalum inde obventurum; indignitas enim in eo casu sublata esset.

4^o Peccatori occulto occulte petenti neganda sunt sacramenta; nulla quippe est ratio ea tali indigno cum manifesta profanatione conferendi.

5^o Peccatori occulto publice petenti negari non possunt sacramenta: id probatur 1^o ex S. Aug., Serm. 351, n. 10: « Nos vero a communione prohibere quemquam non possumus... nisi aut sponte confessum, aut in aliquo » sive sæculari sive ecclesiastico iudicio nominatum atque » convictum; » 2^o ex S. Th., 3 part., q. 81, art. 2, ad 2, dicente: « Ideo Christus Judam non repulit a communione, ut daret exemplum tales peccatores occultos non esse ab aliis sacerdotibus expellendos; » 3^o ex Rituali Romano, de Eucharistia statuente: « Occultos peccatores, si occulte petant, et non eos emendatos agnoverit, » repellat; non autem si publice petant, et sine scandalo » ipsos præterire nequeat; » 4^o ex consensu omnium doctorum et praxi totius Ecclesiæ; 5^o ex incommodis alias secuturis: vel enim minister crimen probare teneretur, vel non; si prius, onus intolerabile et plerumque impossibile ipsi imponeretur: quomodo enim probare posset crimen occultum? Si posterius, lata sacramentorum ministris aperiretur via quemlibet infamandi, et quot inde nascerentur jurgia, scandala, turbationes et Ecclesiæ ac societatis christianæ detrimenta! Ergo. Ratio fundamentalis est, quod Christus in hoc casu de jure suo cesserit, ut exemplo suo ostendit, communionem Judæ porrigens.

Varia autem objectiones ex ratione petita contra universalem et constantem praxim Ecclesiæ, nullam vim habere possunt, ideoque eas omittimus.

Quæritur an administrationem sacramenti simulare liceat, v. g., ad famam alicujus fidelis tuendam.

R. negative. 1^o Quia Innocentius XI sequentem damna-

vit propositionem, n. 29, per decretum diei 2 martii 1679: « Urgens metus gravis est causa sacramenti » administrationem simulandi. » 2^o Quia talis simulatio verum esset mendacium actionis, reverentiæ sacramento debitæ evidentiter oppositum. Hinc proferre non licet verba consecrationis super panem et vinum, cum intentione non consecrandi, verba absolutionis super pœnitentem indispositum, hostiam non consecratam alicui fideli dare, etiam ad vitandam mortem sibi vel petenti imminentem.

Similiter, qui sacramenti susceptionem simularet, a peccato mortali nulla ratione excusari posset; quia valde irreverenter sacramentum tractaret, vel nullum redderet, v. g., si ad vitandam infamiam confiteretur, sacramentum suscipere nolens: non vero si, alicujus negotii causa confessionale ingrediens, sacerdotem alloqueretur, de confessione facienda non cogitans; quia tunc vera sacramenti simulatio non existeret. Ita S. Liguorius, l. 6, n. 60.

CAPUT SEPTIMUM.

DE SACRAMENTORUM CÆREMONIIS ET DE SACRAMENTALIBUS.

Cæremoniæ sacramentorum externi sunt religionis actus, ad promovendum Dei honorem, et populi reverentiam erga sacramenta excitandam. Sacramentalia, sic dicta, quia aliquam habent similitudinem cum sacramentis, quædam sunt religiosæ institutiones ad pietatem populi excitandam et culparum venialium remissionem obtinendam. Dicemus 1^o de cæremoniis, et 2^o de sacramentalibus.

ARTICULUS PRIMUS.

DE CÆREMONIIS SACRAMENTORUM, QUÆ ETIAM DICUNTUR
RITUS.

Aliæ sunt essentielles, aliæ integrantes et aliæ accidentales. Essentiales illæ sunt sine quibus sacramentum subsistere non potest, ut in Baptismo aquam effundere, verba formæ pronuntiando, panem et vinum ad Sacrificium apponere, chrisma ad Confirmationem, oleum ad Extremam-Uctionem, etc. Illæ cæremoniæ a Christo sacramentorum auctore fuerunt institutæ. Integrantes eæ sunt quæ ad essentiam sacramenti non quidem pertinent, sed tamen actionem ejus complent et graviter præscribuntur, ut exorcismi et unctio chrisomatis in Baptismo; panis et vini oblatio, aquæ cum vino commixtio in Sacrificio, etc. Pure accidentales illæ dicuntur quæ nec ad essentiam sacramenti, nec ad complendam actionem ejus necessariæ sunt, ut signa crucis, genuflexiones, etc. De integrantibus et accidentalibus tantum hic agitur, et petitur 1º an bonæ sint et utiles; 2º an Ecclesia habeat auctoritatem eas instituendi; 3º an quæ nunc in Ecclesia Romana existunt laudabiles sint et probandæ; 4º an sit obligatio eas servandi. His quæstionibus, contra Calvinistas directis, per sequentes satisfaciemus propositiones.

PROPOSITIO PRIMA.

Ritus sacramentales, in genere spectati, boni sunt et utiles.

Prob. 1º Quod ab Apostolis usque ad nos semper fuit in usu in omnibus ecclesiis christianis, dici non potest malum vel inutile; ipsi Protestantes hoc principium negare nequeunt: porro ab Apostolis usque ad nos quidam ritus sacramentales semper adhibiti sunt in omnibus ecclesiis christianis, tam in Oriente quam in Occidente, ut innumeris Patrum et Historiæ ecclesiasticæ testimoniis

constat. 2º Homo ita est constitutus, ut internos fidei, pietatis et religionis sensus habere et diu conservare non possit, nisi quibusdam sensibilibus signis externe moveatur: ergo ritus sacramentales, convenienter instituti et recto fine usurpati, valde sunt utiles ad venerationem rebus sacris conciliandam, pietatemque nostram excitandam; quo enim sensu religionis plerique homines afficerentur erga novæ Legis sacramenta, si viderent ea a sacerdote vestibus consuetis induto sine ulla cæremonia ministrari, per solam materiæ et formæ applicationem, v. g., *Ego te baptizo, in nomine Patris, etc.; Hoc est enim corpus meum, etc.* Ergo.

Falsum est igitur 1º ritus sacramentales simplicitati religionis adversari; 2º catholicos essentiam sacramentorum eorumque efficaciam in hujusmodi cæremoniis reponere, ut nos calumniando dicunt hæretici.

PROPOSITIO SECUNDA.

Ecclesia legitimam habet potestatem ritus sacramentales instituendi et mutandi.

Prob. Conc. Trident., traditione et ratione.

1º *Conc. Trident.*, sess. 21, cap. 2: « Præterea declarat » (synodus) hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, » ut in sacramentorum dispensatione, salva eorum substantia, ea statueret vel mutaret quæ suscipientium » utilitati seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro » rerum, temporum et locorum varietate, magis expedire » judicaret. » Ergo 1º.

2º *Traditione.* B. Paulus, I Cor. xi, 34, dicit: *Cætera autem cum venero disponam*, de sacra Eucharistia loquens: juxta autem S. Aug., Epist. 51, n. 8, statuit ut Eucharistia non nisi a jejunis sumeretur. S. Justinus, Tertullianus, Origenes, S. Cyprianus, S. Basilius, S. Cyrillus Hierosol. in Catechesibus, et S. Aug. diversos commemorant ritus in administratione sacramentorum, præsertim Baptismi et Eucharistiæ, usitatos; et sæpe pro variis ec-

clesiis diversos; magna disceptatio circa diem Paschæ, in concilio Nicæno terminata, ritum sacramentalem habebat pro objecto; omnia Ecclesiæ Latinæ ritualia cunctaque Ecclesiarum Orientalium euchologia ritus sacramentales singulis sacramentis proprios et sæpe diversos præscribunt. Ergo 2°.

3° *Ratione*. In omni societate bene ordinata admittenda est potestas ea disponendi et statuendi quæ ratione rerum, temporum et locorum, necessaria vel utilia iudicantur: ergo hanc potestatem Ecclesia habere debet in ordine spirituali: ergo 3., etc. Ergo.

Quod autem Ecclesia libere instituit, pari ratione mutare potest, cum id ipsi expedire visum fuerit.

PROPOSITIO TERTIA.

Ritus sacramentales in Ecclesia Romana nunc existentes laudabiles sunt et probandi.

Prob. Sunt enim 1° antiquissimi et in primis Ecclesiæ sæculis reperiuntur usitati, ut, de singulis sacramentis agendo, ostendemus: at dici non potest ritus tam antiquos et tam universales, laudabiles et probandos non esse. 2° Nullus ex illis ritibus est qui non sit idoneus ad fidem excitandam, pietatem fovendam et reverentiam sacramentis conciliandam, ut unicuique eos sive collective sive seorsim consideranti apparet; Calvinus enim præsertim adversus aquæ baptismalis benedictionem, exorcismos Baptismum præcedentes et usum cereorum in honorem divinæ Eucharistiæ adhibitorum debacchatur: porro illi ritus idonei sunt ad fidem, etc. Quid enim convenientius quam benedicere aquam baptismalem, ut significetur sanctificatio per Baptismum producenda; quam uti exorcismis, ad exprimendum peccati originalis existentiam et dæmonis imperium; quam cereos accendere, ut innotescat divinitas Christi qui est fons veræ lucis, omnem hominem in hunc mundum venientem illuminantis? Ergo, etc. Unde Lutherani et maxime Anglicani

plerosque ritus antiquos in Ecclesia Romana consuetos, in administratione sacramentorum suorum retinuerunt.

Obijciunt Calviniani cæremoniarum apparatus in Ecclesia Romana usitatum, redolere 1° pompam mundanam; 2° Judaismum, qui totus erat in ritibus externis; 3° Paganismum, ejus impii ritus renovantur; 4° oppositum esse verbis Christi prænuuntiantis veros adoratores Deum in spiritu et veritate adoratos.

Verum 1° pompa quam catholici in ecclesiis suis exhibent minime est mundana, cum ad solam Dei gloriam ordinetur. 2° Ritus Judaici erant liciti, cum plerique ab ipso Deo essent instituti: fuerunt quidem abrogati, sicut Lex ad quam pertinebant; sed prohibitum non fuit ne alii similes ad mysteria novæ Legis commendanda instituerentur. 3° Multi ritus paganismi non erant mali in se, sed tantum ratione finis, ut, v. g., usus aquæ lustralis, jejunia, virginitas in honorem Vestæ custodita, etc.: cur eosdem aliosve similes ad veri Dei cultum adhibere non liceret? Nonne licitum fuit templa idolorum vero Deo et sanctis ejus dedicare? Ergo. 4° Christus prænuuntiait quidem horam venire quando veri adoratores *Patrem in spiritu et veritate* adorarent, perfectionem religionis suæ in spiritu et veritate præcipue consistere indicans: at ritus sacramentales in Ecclesia Romana usitati hunc cultum internum maxime fovent: ergo verbis Christi non adversantur. Vanæ igitur et fuitiles argutiæ sunt novatorum objecta.

PROPOSITIO QUARTA.

Ritus pro solemnî sacramentorum administratione præscripti obligant sub peccato.

Prob. 1° Conc. Trid., sess. 7, can. 13: « Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus, in solemnî sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro

» libitu omitti, aut in novos alios per quemcumque ec-
clesiarum pastorem mutari posse; anathema sit. »
Ergo 1°.

2° *Ratione*. Ecclesia ritus sacramentales instituendo præcipit eos observari: eos igitur servare sub peccato tenemur. Præterea, si unusquisque pastor eos omittere vel mutare pro libitu posset, magna inde nasceretur confusio in ecclesiis. Ergo 2°.

Peccatum autem est mortale vel veniale, prout omis-
sio aut mutatio est in ritibus essentialibus, integrantibus
vel pure accidentalibus. Voluntaria omisio aut mutatio
in essentialibus, est mortalis; constat ex dictis ubi de
materia et forma: in integrantibus, est etiam mortalis;
quia hujusmodi ritus graviter præscripti sunt; in pure
autem accidentalibus, omisio aut mutatio sine contemp-
tu, culpam venialem non excederet. *Ita generatim theo-
logi.*

Distinctio inter cæremonias integrantes vel graviter
præscriptas et pure accidentales, non facile assignatur;
deest enim regula certa; caveant igitur sacramentorum
ministri ne aliquid mutant vel omittant ex negligentia et
incuria; ideoque sedulo discant regulas in Rituali de-
scriptas.

Diximus *pro solemnè administratione*; quia si adsit ra-
tio sufficiens sacramentum sine solemnitate administran-
di, eo ipso ritus pro solemnitate præscripti non obligant.

Queritur 1° an ritus sacramentales sint iidem in tota
Ecclesia Latina.

R. 1° Ritus essentialia sunt iidem ubique, nec variari
possunt. 2° Ritus integrantes a primis temporibus exis-
tentes, in summa sunt veneratione, et in omnibus eccle-
siis saltem Latinis observantur, v. g., exorcismi, insuf-
flatio, salis, salivæ et chrismatis usus in Baptismo;
Confiteor, panis et vini oblatio, circumstantiæ vestium
sacerdotalium, loci sacri, altaris, etc., in Missæ sacrifi-
cio. 3° Ritus pure accidentales variantur pro diversis
regnis, provinciis et etiam diocesisibus, nec tamen illa
varietas unitati Ecclesiæ nocet, quia non impedit quin

sit unus Dominus, una fides, unum Baptisma, unus Deus
et Pater omnium, Eph. iv, 5. Attamen Rituale Roma-
num, ubi non est aliud legitime approbatum, retinen-
dum ac servandum est.

Queritur 2° an Ecclesia Romana usum linguæ latinæ
in sua liturgia convenienter retinuerit?

R. affirmative contra Protestantés, qui contendunt lin-
gua vulgari semper utendum esse, ut quod dicitur in-
telligant fideles atque fides eorum excitetur; idque ob
plures rationes: videlicet 1° ob reverentiam antiquitati
debitam et ut primordiales ritus facilius conservarentur
integri; 2° ut uniformitas inter varias particulares eccle-
sias existeret; cum enim linguæ vulgares sint propemo-
dum innumeræ, si illarum usus adhiberetur in liturgia,
nulla tunc possibilis esset uniformitas inter ecclesias
diversorum regnorum, regionum et provinciarum; imo
sæpe varia necessaria forent Ritualia pro eadem diocesi,
quia multiplicia sunt idiomata; 3° propter reverentiam
sacris mysteriis debitam; linguæ enim viventes valde
sunt inconstantes, continuas subeunt mutationes; verba
olim clara fiunt obscura, honesta fiunt indecora, et lo-
cutiones accuratæ prorsus irregulares evadunt: unde
ritus ad honorem Dei instituti, in contemptum ejus de-
cursu temporis vergerent; 4° non solum Romana, sed
omnes Ecclesiæ Orientales veteri utuntur lingua, vulgo
nunc ignota, ut græca, syriaca, armenica. Ergo.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE SACRAMENTALIBUS.

Multæ numerantur cæremoniæ ecclesiasticæ quæ prop-
ter similitudinem cum sacramentis, sacramentalia di-
cuntur, et ad sex præcipue revocantur, quæ sequenti
versu continentur:

Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.

Orans significat Orationem Dominicam aut alias pre-

ces ab Ecclesia præscriptas, vel in Ecclesia solemniter recitatas.

Tinctus significat sumptionem vel aspersionem aquæ benedictæ.

Edens significat panem benedictum qui ab antiquis dicebatur eulogia, vel eulogiarum panis, et dari solebat catechumenis loco Eucharistiæ, aut baptizatis in die Paschatis, et etiam nunc datur fidelibus intra Missæ parochialis solemnia.

Confessus denotat confessionem generalem quæ præmittitur Missæ, vel fit in Prima et Completorio.

Dans exprimit eleemosynam nomine Ecclesiæ factam; secus non videretur cur sacramentale esset.

Benedicens significat benedictionem episcopi, vel abbatis, ad quam revocandæ sunt etiam benedictiones alterius prælati et sacerdotis, ut in fine Missæ, post datam communionem, etc.

Ejusdem generis esse videntur unctio pectoris, religiosa benedictio abbatis vel abbatissæ, unctio regum, benedictio mulieris post partum, exorcismi, insufflationes, prima tonsura, consecrationes ecclesiarum, altarium, calicum, agni Dei, id est agni ex cera compositi, a Papa benedicti, ut tanquam symbola Christi, qui est verus agnus Dei, custodiantur; circa quos notat S. Ligerius, l. 6, n. 94, prohibitum esse 1º eos inaurare, vel pingere; 2º eos velut benedictos carius vendere, sed tantum juxta suam materiam.

Certum est 1º usum sacramentalium, v. g., benedictionum, aquæ benedictæ, eulogiarum, etc., antiquissimum esse in Ecclesia, ut historiæ ecclesiasticæ et liturgiarum non omnino jejunis manifestum est.

Certum est 2º sacramentalia non habere virtutem peccata, etiam venialia, ex opere operato remittendi: ita communissime theologi, contra Scotum et paucos alios, quorum sententia nullo nititur fundamento, sive Scripturæ, sive traditionis.

Certum est 3º sacramentalia non habere gratiam sanctificantem sibi annexam et ex opere operato producen-

dam, sicut sacramenta; sed præcipuos effectus suos ex opere operantis producere, videlicet fidem excitando, devotionem fovendo, explicitam vel implicitam peccatorum venialium detestationem, sicque eorum remissionem procurando. Fatendum est tamen ea vi benedictionis et institutionis Ecclesiæ quandam habere virtutem, et cum objectis ejusdem generis non ita sanctificatis jam confundi non posse, sed, e contra, magnam mereri venerationem.

4º Quædam beneficia corporalia etiam producere possunt sacramentalia, ut sanitatem et dæmonis fugam: hoc inferri posse videtur ex verbis quibus utitur Ecclesia benedicendo aquam, panem, locum, etc.

FINIS TRACTATUS DE SACRAMENTIS IN GENERE.

TRACTATUS DE BAPTISMO.

Baptisma et Baptismos sunt voces græcæ idem significantes ac immersio et lavatio : unde per metaphoram Christus dixit, Luc. XII, 50 : Baptismo habeo baptizari, prænuntians afflictiones et dolores in quibus quasi immergendus erat.

Baptismus, prout est sacramentum, variis donatur nominibus ; dicitur enim *lavacrum*, quia peccata abstergit ; *regeneratio*, quia novam impertitur vitam ; *illuminatio*, quia infundit lucem ; *sepultura*, quia baptizandi olim immergebantur in aquam sicut sepultus fuerat Christus in tumulo ; *sacramentum fidei*, quia illius susceptione homo inter fideles adscribitur, et fidem proficitur, per se si sit adultus, vel per susceptores si sit infans.

Baptismus recte definiri potest : *Sacramentum novæ Legis, quo homines spiritualiter regenerantur per ablutionem aquæ, cum expressa sanctissimæ Trinitatis invocatione.* Accuratam esse hanc definitionem constabit in decursu præsentis Tractatus, quem in septem capita dividemus. Primum erit de Baptismi existentia et necessitate ; secundum, de ejus materia ; tertium, de ejus forma ; quartum, de ejus ministro ; quintum, de illius effectibus ; sextum, de ejus subjecto ; septimum, de solemnibus Baptismi cæremoniis.

CAPUT PRIMUM.

DE SACRAMENTI BAPTISMI EXISTENTIA ET NECESSITATE.

ARTICULUS PRIMUS.

DE SACRAMENTI BAPTISMI EXISTENTIA.

Quod Baptismus verum sit novæ Legis sacramentum, clare definitum fuit in Decreto ad Armenos et in conc.

Trident., sess. 7, can. 1, et nullus inficiatur Christianus. Nulla igitur est causa cur in hac veritate probanda tempus incassum teramus.

Duo tamen hic quæri solent, videlicet, 1º quandonam Baptismus fuerit institutus, et 2º an Baptismus Christi a Baptismate Joannis differat. *Ad primum respondetur* verisimile esse Christum instituisse Baptismi sacramentum quando ipse baptizari voluit in Jordane ; sed nihil est, neque in Scriptura, neque in traditione, neque in definitionibus Ecclesiæ, ex quo tempus institutionis hujus sacramenti clare innotescat. Quidam volunt illud fuisse institutum quando Christus, post resurrectionem suam, dixit Apostolis : *Euntes... docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, Matthæi XXVIII, 19.

Probabilius saltem videtur illud fuisse institutum ante passionem Christi, cum de Christo, postquam docuerat Nicodemum quomodo oporteat hominem ex aqua et Spiritu sancto regenerandum esse, dicatur apud Joan. III, 22 : *Post hæc venit Jesus et discipuli ejus in terram Judæam, et illic demorabatur cum eis, et baptizabat.* Sive autem Christus saltem aliquos per se baptizaverit, ut multi volunt, sive per discipulos tantum, improbable est Baptismus de quo hic agitur a Baptismo quem instituit velut sacramentum differre. Ergo,

Ad secundum, novatores, contententes sacramenta gratiam non producere, nisi quatenus fidem excitant, arbitrantur Baptismus Christi a Baptismo Joannis non differre ; sed contrarium est de fide, ut pote definitum in conc. Trid., sess. 7, de Baptismo, can. 1 : « Si quis dixerit » Baptismus Joannis habuisse eandem vim cum Baptismo Christi ; anathema sit. » Eadem veritas constat ex Scriptura, SS. Patribus et ratione. 1º *Ex Scriptura* ; Joannes enim ipse dicit, Luc. III, 16 : *Ego quidem aqua baptizo vos : veniet autem fortior me... ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni.* Joannes igitur baptizabat in aqua ad poenitentiam, ut legitur apud Matth. III, 11, et Christus baptizat in Spiritu sancto et igni, id est, Baptisma ejus

gratiam sanctificantem et charitatem confert. 2° S. Aug., in Enchir., cap. 49, sic ait : « Hujus enim Baptismus » (Christi) est non in aqua tantum, sicut fuit Joannis, » verum etiam in Spiritu sancto. » 3° B. Paulus, Act. XIX, jussit ut ii qui baptizati fuerant in Joannis Baptismate, in nomine Domini Jesu baptizarentur. Ergo.

Communis Patrum et theologorum sententia est Baptismum Joannis nullam habuisse efficaciam ex opere operato, sed ex opere operantis : quia tamen nonnulli vim aliquam ei tribuisse videntur quoad delenda peccata, conc. Trid. eos non damnavit, sed tantum definiit illum eandem vim non habuisse ac Baptismus Christi.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE NECESSITATE BAPTISMI.

Notandum 1° duplici modo Baptismum dici posse ad salutem necessarium, scilicet necessitate medii et necessitate præcepti. Illud autem necessarium est ad salutem necessitate medii, sine quo etiam inculpabiliter omisso salus obtineri non potest ; illud vero dicitur necessarium necessitate præcepti, sine quo inculpabiliter omisso salus obtineri posset.

Notandum 2° triplicem distingui Baptismum, videlicet fluminis, flaminis et sanguinis. Baptismus fluminis, sic dictus a materia ejus, quæ est aqua naturalis, ille est cujus definitionem attulimus et de quo præcipue tractamus. Baptismus flaminis est ardens desiderium suscipiendi Baptismum aquæ seu fluminis ; et Baptismus sanguinis est martyrium ab homine non baptizato pro Christo perpassum. Nihilominus unum est Baptisma, sicut una fides, ut ait Apostolus, Eph. IV, 5, et ut cantat Ecclesia in Symbolo Constantinopolitano ; quia Baptismus flaminis et Baptismus sanguinis non sunt sacramenta, sed modi verum Baptisma supplendi.

Nunc separatim agendum est 1° de necessitate sacramenti Baptismi, et 2° de modis illud supplendi.

§ I. — De necessitate sacramenti Baptismi.

Necessitatem hujus sacramenti negarunt 1° Quintiliani et Caiani, quos commemorat Tertul., lib. de Bapt., cap. 1 ; 2° Manichæi, qui tenentes aquam a malo principio fuisse creatam, rejicere debebant Baptismum in aqua ; 3° Pelagiani, qui existentiam peccati originalis negantes, necessitatem Baptismi ad salutem admittere non poterant ; eam tantum admittebant ad ingressum regni cælorum, ut in initio Tractatus de Gratia monuimus. 4° Wiclefus, Zwinglius et Bucerus infantes prædestinatos Baptismo indigere negabant. 5° Calvinus asserit, lib. 4 Instit., cap. 15, n. 22, Baptismum necessarium esse ex præcepto, non vero ex necessitate medii respectu infantium ex Christianis ortorum, qui in fœdere inter Deum et parentes eorum inito comprehenduntur. 6° Sociniani omnem necessitatem Baptismi pro iis qui in Christianismo nascuntur et educantur sustulerunt. 7° Quidam theologi catholici, miseratione erga infantes sine Baptismo decedentes commoti, docuerunt eos fide et precibus parentum aliorumve piorum fidelium salvari posse. Ita Durandus, S. Bonaventura, Gersonius, etc. Cajetanus docuit Baptismum ex institutione sua necessarium non esse parvulis, quando ipsis administrari non potest.

Constat apud catholicos Baptismum in re non esse absolute necessarium ad salutem : ostendemus enim infra contritionem perfectam in adultis, et martyrium, tum in adultis, tum in infantibus, Baptismum supplere quoad justificationem et pœnarum peccatis debitaram remissionem.

PROPOSITIO.

Baptismus omnibus necessarius est ad salutem necessitate medii, in re pro infantibus, extra martyrium, et in re vel in voto pro adultis.

Prob. Illa propositio admittenda est quæ est de fide, probatur Scriptura sacra, traditione et ratione : atqui talis est propositio nostra.

1° *Est de fide.* Ut talis quippe semper credita est et sic definita fuit in concilio Tridentino, sess. 7, de Bapt., canone 5 : « Si quis dixerit Baptismum liberum esse, » hoc est, non necessarium ad salutem; anathema sit. » Ergo 1°.

2° *Prob. Scriptura sacra.* Joan. III, 5 : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Hæc sententia Christi adeo generalis est, ut generalior exprimi non potuisset : ergo Christus exprimit conditionem sine qua regnum Dei obtineri non potest : porro talis conditio necessitatem medii indicat : ergo 2°.

3° *Traditione.* Unanimes enim sunt Patres circa necessitatem Baptismi, etiam pro parvulis recenter natis. Tertull., de Bapt., cap. 12 : « Cum vero præscribitur » nemini sine Baptismo competere salutem, ex illa » maxime pronuntiatione Domini, qui ait : *Nisi renatus ex aqua quis erit, etc.* »

S. Cypr., Epist. 59 : « Si a Baptismo atque a gratia Dei » nemo prohibetur, quanto magis prohiberi non debet » infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit ! »

S. Aug., de peccatorum Meritis et Remissione, l. 3, cap. 12 : « Nec parvuli de quibuslibet sanctis justisque » procreati, originalis peccati reatu absolvuntur, nisi in » Christo fuerint baptizati, pro quibus tanto impensius » loqui debemus, quanto pro se ipsi minus possunt. » Quid expressius contra novatores desiderari potest ? Ergo 3°.

4° *Ratione.* Mos semper existit, non solum in Ecclesia Latina, sed in cunctis Ecclesiis Orientalibus, ipsos parvulos ex fidelibus natos baptizandi, cum persuasionem Baptismum ipsis necessarium esse : atqui manifestum est novatorum et incredulorum argutias contra talem praxim talemque persuasionem prævalere non posse : ergo 4°, etc. Ergo.

Diximus in titulo propositionis, *in re*, pro infantibus

qui voti et præcepti sunt incapaces; *extra martyrium*, ut patebit ex dicendis; *in re vel in voto*, pro adultis qui, ex mox probandis, per contritionem perfectam aut martyrium, cum voto seu desiderio suscipiendi sacramentum, justificari possunt.

COROLLARIUM.

Sequitur Baptismum necessarium esse adultis necessitate præcepti; nam 1° necessarius est ad salutem necessitate medii; sed adulti tenentur sub gravi peccato media ad salutem necessaria assumere. 2° Apostoli tenebantur eorumque successores tenentur baptizare, ex mandato Christi dicentis : *Euntes... docete omnes gentes, baptizantes eos. Prædicate Evangelium omni creature. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* At præceptum baptizandi supponit præceptum baptismum suscipiendi : ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Sequentia Christi verba, Joan. vi, 54 : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis,* non probant Eucharistiam necessariam esse necessitate medii : ergo nec ista verba : *Nisi quis renatus fuerit, etc.*, probant necessitatem Baptismi.

R. Nego conseq. et paritatem. Nam 1° Baptismus est sacramentum regenerationis : est igitur necessarius iis omnibus qui regeneratione indigent, id est, cunctis hominibus qui in Adam mortui sunt; Eucharistia vero est sacramentum refectionis, et ideo iis tantum necessaria qui refectionis sunt capaces. 2° Priora verba, in secunda persona enuntiata, præceptum indicant; posteriora autem, in tertia persona, conditionem absolutam exprimunt. 3° Constans et universalis traditio verba Eucharistiam respicientia de præcepto intellexit, et verba ad Baptismum attinentia de necessitate medii. Ergo.

Obj. 2°. Ex B. Paulo, Rom. iv, Gal. iii, filii fidelium semen sunt Abraham : porro ex Gen. xvii, 7, Deus promisit Abraham se futurum esse Deum ipsius et seminis

ejus : ergo illi filii Baptismo non indigent ut sint sancti. Ita Calvinus.

R. Nego maj. In textibus enim citatis Abraham pater credentium vocatur, quia per fidem in promissiones Dei justificatus fuit, et omnes qui credituri sunt, sive ex ipso secundum carnem descendant, sive non, semen ejus, id est filii ejus dicuntur, atque promissionum ipsi factarum participes : Calvinus igitur probare deberet filios fidelium fidem sine Baptismo habere, et promissionum Abraham factarum participes esse : porro illud minime probat, nec probare potest : ergo.

Inst. B. Paulus, I Cor. vii, 14, dicit de filiis fidelium : *Nunc autem sancti sunt.* Ergo.

R. Nego conseq. Nam 1^o sanctitas de qua hic agitur non videtur intelligenda de remissione peccatorum per infusionem gratiæ, sed de quadam munditie : suadet quippe Paulus ut conjux fidelis cum infideli habitare consentienti maneat eumque sanctificare conetur : *alioquin filii vestri, inquit, immundi essent,* si nempe discederet, id est, aliqua infamiæ nota ipsis inhæreret : *nunc autem sunt sancti,* videlicet, cum simul habitare pergatis, a tali infamia sunt immunes et puri : eo sensu accipi posse vocem *sancti* asserit Estius in hunc locum et plerique theologi. 2^o Dici possunt sancti, quia per conjugem fidelem ad sanctificationem mediante Baptismo suscipiendam præparantur : sic etiam Estius et omnes alii interpretes ac theologi. Ergo.

Obj. 3^o. Sola fides parentum sufficiebat ante Christum ad remittendum peccatum originale, saltem quando remedium circumcisionis adhiberi non poterat : ergo etiam nunc sufficere debet, ubi Baptismus est impossibilis.

R. 1^o. Nego ant. Juxta communiorem enim sententiam, fides parentum peccatum originale non remittebat in parvulis, nisi aliquo exteriori signo exprimeretur. Ergo.

R. 2^o. Nego conseq. In his quippe quæ a libera Dei voluntate pendent, argumenta *a pari* non valent. Ergo.

Inst. 1^o. Dici non potest salutem nunc difficiliorem

esse parvulis quam ante Christum : at si fides sola, ubi Baptismus est impossibilis, non sufficiat, dicendum est, etc. Ergo.

R. Nego min. Nam 1^o signum externum quo fides exprimenda erat, forte non facilius erat quam nunc Baptismus ; 2^o multo plures parentes verum Deum cognoscunt, fidem habent, Baptismi ritum et necessitatem norunt, ac de salute æterna infantium suorum solliciti sunt. Ergo.

Inst. 2^o. Saltem admittendum erit salutem pro multis parvulis impossibilem esse : atqui hoc repugnat : ergo.

R. 1^o. Eadem impossibilitas in adversariorum systemate pariter existeret ; nempe respectu omnium parvulorum ex parentibus fidem non habentibus nascentium : ergo hæc difficultas theologis nobis adversantibus solvenda est.

R. 2^o. Hanc objectionem jam perpendimus et solvimus in Tractatu *de Gratia* ; conferantur quæ dicta sunt sub hoc titulo : *An ipsis parvulis dentur gratiæ sufficientes.* Cæterum, fatemur justissima esse Dei judicia, sed occulta nosque sæpe latentia.

Queritur quo tempore Baptismus fuerit necessarius ad salutem.

R. Cœpit valere a tempore institutionis, et obligare a die promulgationis Legis novæ, *ut explicabimus in Tractatu de Legibus, part. 1^a, cap. 3, § 4.*

§ II. — De modis supplendi Baptismum.

Duo numerantur modi quibus dicitur Baptismo suppleri posse quoad principales effectus, qui sunt peccatorum remissio et gratiæ infusio, videlicet contritio perfecta et martyrium. Contritio perfecta est animi dolor de peccatis commissis, amore Dei summe boni propter se dilecti innixus : ei opponitur contritio imperfecta, quæ alio motivo supernaturali a charitate perfecta diverso inmittitur. Martyrium est mors in odium Christi aut alio cuius virtutis christianæ inflicta et constanter tolerata.

Nullum est fundamentum quo affirmari possit contritionem imperfectam hominem justificare, ac proinde Baptismum supplere posse. Nonnulli catholici negant martyrium etiam proprie dictum hanc habere virtutem, et dicunt innocentes ab Herode occisos ideo cultu publico honorari, quia vi remedii contra peccatum originale existentis justificati fuerant. Doctrinam catholicam per duas sequentes astruimus propositiones.

PROPOSITIO PRIMA.

Contritio perfecta, cum voto sacramentum suscipiendi, hominem non baptizatum justificat, ac proinde Baptismum sub hoc respectu supplet.

Prob. in Tractatu de Pœnitentiâ, ex Scriptura sacra, concilio Tridentino, auctoritate summorum Pontificum et ratione, contritionem perfectam, votum sacramenti saltem implicite continentem, hominem semper Deo reconciliare, priusquam sacramentum Pœnitentiæ actu suscipiatur: at iisdem argumentis evidenter probatur hominem non baptizatum, per contritionem perfectam, votum suscipiendi sacramentum Baptismi continentem, semper justificari. Unde

1^o Conc. Trid., sess. 6, cap. 4, agens de justificatione impij, quæ est « translatio ab eo statu in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ et adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum Salvatorem nostrum. Quæ quidem translatio, post Evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis aut ejus voto fieri non potest. »

2^o S. Ambros. Missam offerri voluit pro Valentiniano, quem adhuc catechumenum mors inopinata rapuerat, æstimans, ut ipse palam dixit in Oratione funebri de obitu ejusdem principis, eum charitate et desiderio Baptismi justificatum fuisse. S. Aug., de Bapt., l. 4, cap. 22, sic habet: « Quod etiam atque etiam considerans, invenio non tantum passionem pro nomine Christi id quod

» ex Baptismo deerat supplere posse, sed etiam fidem
» conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium Baptismi in angustiis temporum succurri non
» possit. » Ergo.

PROPOSITIO SECUNDA.

Martyrium in adultis supplet Baptismum quoad justificationem.

Prob. Scriptura sacra et Patrum testimoniis.

1^o Scriptura sacra. Matth. x, 32: *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo qui in cælis est; et y. 39 ejusdem capituli: Qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam. Certe martyres Christum coram hominibus confitentur et vitam pro illo perdunt. Ergo.*

2^o Patrum testimoniis. Auctor libri de Singularitate clericorum, inter opera S. Cypr. « Martyrium appellatur tam corona quam Baptisma, quia baptizat pariter » et coronat. »

S. Ambros., in Oratione funebri Valentiniani: « Qued » si martyres suo abluantur sanguine, et hunc suar pietas abluit et voluntas. »

S. Aug., de Civitate Dei, l. 13, cap. 7: « Quicumque, » etiam non percepto regenerationis lavacro, pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda » peccata, quantum si abluerentur sacro fonte Baptismatis. » Ergo 2^o. Ergo.

Notandum eos tantum proprie dici martyres qui ultro propter Christum aut propter aliquam virtutem christianam, mortem subeunt: sic Patres et auctores ecclesiastici semper exhibuerunt martyrium. Hinc 1^o qui multa patiuntur tormenta sunt confessores, sed non martyres, nisi moriantur; ita saltem communis, contra plures, inter quos S. Ligorius. 2^o Qui ob veritates speculativas, ob virtutes philosophicas vel pure humanas, quantumvis præclaras, moriuntur, non sunt martyres, et nihil a Christo expectare possunt. 3^o Qui ad opem proximo

periclitanti ferendam, sive in ordine naturali, sive in ordine supernaturali, morte cadunt, actum perfectæ charitatis exercere, et eo titulo salutem obtinere possunt; verum, juxta communiorem sententiam, proprie non sunt martyres, quanquam multi contrarium affirmant. 4° Qui contra inimicos Christi dimicarent et in pugna occumberent, meritum bonæ actionis habere possent, sed stricte martyres non essent.

Quæritur an martyrium justificationem operetur ex opere operato.

R. 1°. Pœnam peccato debitam ex opere operato remittere debet, Christo ita volente: nam fides Ecclesiæ est pro martyribus nunquam orandum esse, sed ipsos invocandos, juxta hæc Innocentii III verba, in Decretal. l. 3, tit. 41, cap. 6: *Injuriam facit martyri, qui orat pro martyre*: at nisi pœna ex opere operato remitteretur, pro martyre orare liceret, quia ipsum penitus liberatum esse nunquam constaret: ergo.

R. 2°. Plures theologi contendunt martyrium gratiam sanctificantem non producere nisi ex opere operantis, ac proinde charitatem perfectam supponere velut conditionem necessariam, hisque præcipue nituntur momentis: 1° sequentibus verbis B. Pauli, I Cor. XIII, 3: *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*. 2° Sic etiam habet S. Th., 2 2, q. 124, art. 2, ad 2: « Quod autem sit meritorium (martyrium), » hoc habet ex charitate, sicut et quilibet virtutis actus; » et ideo sine charitate non valet. » 3° Affirmari non potest martyrium ex opere operato justificationem producere, nisi id ex Scriptura sacra vel traditione constet: atqui nulla exhibetur ratio ex Scriptura vel ex traditione desumpta, qua affirmari possit, etc. 4° Præceptum charitatis perfectæ obligat saltem in articulo mortis: ergo martyres obeundo, actum hujus virtutis elicere tenentur. 5° Quicumque pro Christo moriuntur, eo ipso illum perfecte diligunt, juxta hæc ipsius verba, Joan. xv, 13: *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*. Ergo.

Alii vero communius docent martyrium ex opere operato justificare, ob sequentes præsertim rationes: 1° quia Christus salutem promittit iis qui animam, id est vitam, propter ipsum perdidierint, nec charitatem perfectam requirit; 2° quia sancti Patres parem aut majorem vim tribuunt martyrio quam Baptismo; 3° quia Ecclesia omnes martyres inter sanctos annumerat eosque invocat: attamen, nisi martyrium ex opere operato, sicut Baptismus, justificationem produceret, neutiquam constaret omnes martyres esse sanctos; 4° Baptismus flaminis et Baptismus sanguinis inter se differunt, juxta universalem sententiam et Ecclesiæ praxim, quæ orat pro iis qui cum solo Baptismatis voto defuncti sunt, nunquam vero pro martyribus: porro si martyrium gratiam non producat nisi vi charitatis perfectæ, nullum erit discrimen inter Baptismum flaminis et Baptismum sanguinis: ergo.

Juxta posteriorem hanc sententiam, quæ probabilior nobis videtur, qui martyrium ex metu gehennæ, ex desiderio vitæ æternæ seu ex amore spei subiret, justificaretur, sicut in sacramento Baptismatis vel Pœnitentiæ, sicque præceptum perfectæ charitatis in articulo mortis impleret. Quoad hæc verba, *majorem hac, etc.*, eo sensu intelligenda sunt, quod nemo majorem dilectionis in se existentis probationem dare possit, quam pro illa testificanda moriendo.

PROPOSITIO TERTIA.

Infantes nondum baptizati, in odium Christi necati, vere sunt martyres et sancti.

Prob. Scriptura sacra, traditione, praxi Ecclesiæ et ratione.

1° *Scriptura sacra*; his nempe Christi verbis: *Qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam*; hæc enim verba, cum sint generalia, tam infantes quam adultos respicere debent. Ergo 1°.

2° *Traditione*. Sancti Patres unanimi voce docent Baptismum parvulis esse necessarium, et similiter univer-

salibus verbis utendo, testantur Baptismum aquæ per Baptismum sanguinis suppleri posse: parvulos non excipiunt. Ergo 2^o.

3^o *Praxi Ecclesiarum.* Ecclesia a primis sæculis veneratur ut martyres infantes ab Herode in odium Christi occisos: atqui saltem plures ex illis a peccato originali non fuerant ante mortem liberati, nempe qui ex Judæis non descendebant, et etiam ex Judæis descendentes, qui octavum diem nondum attigerant, si circumcisio, in remedium peccati originalis, uti plures docent, instituta fuerit. Ergo 3^o.

4^o *Ratione.* Repugnare videtur Christi clementiam minus extendi quam impii crudelitatem; saltem bonitati Dei multo magis congruum est ut terrenas hujusmodi victimas coronet, quam derelinquat. *An forte minor Christi pietas quam Herodis impietas?* inquit S. Bernardus, Serm. in Nat. SS. Innoc. Ergo, etc.

Quamvis tertia hæc propositio generaliter doceatur, non tamen est de fide, neque quoad infantes ab Herode occisos, quia dici posset cum quibusdam, eos solos fuisse sanctos qui fuerant circumcisi, vel quibus remedium contra peccatum originale fuerat applicatum; neque quoad alios infantes in odium Christi decursu temporum occidendos, quia nullibi clare ostenditur divinam in ipsorum gratiam existere promissionem.

Dices contra tres propositiones: Nisi quis renatus fuerit, etc.; hæc verba nullam patiuntur exceptionem, ut supra ostendimus: ergo Baptismus suppleri non potest.

R. Nego conseq. Media enim quibus Baptismum aquæ suppleri posse diximus, cum istius necessitate minime pugnant, siquidem non justificant, saltem adultos, nisi quatenus votum suscipiendi Baptismum continent: totam igitur efficaciam suam aliquo sensu sumunt ex Baptismo. Ergo.

SCHOLIUM.

Advertendum est nos dixisse Baptismum in casu necessitatis suppleri posse quoad justificationem et pœnæ

peccati remissionem: nunquam vero suppleri potest quoad characterem et jus alia suscipiendi sacramenta. Unde 1^o qui per charitatem perfectam justificatus est, tenetur quamprimum, sublata necessitate, Baptismum realiter suscipere. 2^o Aliud sacramentum, præter Eucharistiam, valide suscipere non posset, nec quidem licite Eucharistia ipsi porrigeretur, quia Baptismus realiter susceptus janua est cæterorum sacramentorum, et per illum duntaxat ad corpus Ecclesiæ pertinere possumus. 3^o Martyrium mox passurus, Baptismum suscipere teneretur si posset. 4^o Qui per miraculum ante nativitatem justificaretur, ut Joannes Baptista et B. Maria, nihilominus baptizandus esset. Ad suum Baptismum tamen non tenebatur Christus ut fieret membrum Ecclesiæ, cum sit illius caput et dominus.

CAPUT SECUNDUM.

DE MATERIA BAPTISMI.

Dicemus in duplici articulo 1^o de materia remota Baptismi, 2^o de materia proxima.

ARTICULUS PRIMUS.

DE MATERIA REMOTA BAPTISMI.

Materia remota est elementum quod adhibendum est ad conficiendum sacramentum. (R)

Lutherus, in Colloquiis symposiacis, cap. 17, dubitabat an, deficiente aqua, Baptismus in vino collatus valeret. Theodorus de Bese sine hesitatione affirmavit Baptismum in quovis liquore administratum, urgente necessitate, validum esse. Calvinus asserebat verba Christi: *Nisi quis renatus fuerit, etc.*, non intelligenda esse de aqua naturali, sed metaphorice de tribulatione cordis.

salibus verbis utendo, testantur Baptismum aquæ per Baptismum sanguinis suppleri posse: parvulos non excipiunt. Ergo 2^o.

3^o *Praxi Ecclesiarum.* Ecclesia a primis sæculis veneratur ut martyres infantes ab Herode in odium Christi occisos: atqui saltem plures ex illis a peccato originali non fuerant ante mortem liberati, nempe qui ex Judæis non descendebant, et etiam ex Judæis descendentes, qui octavum diem nondum attigerant, si circumcisio, in remedium peccati originalis, uti plures docent, instituta fuerit. Ergo 3^o.

4^o *Ratione.* Repugnare videtur Christi clementiam minus extendi quam impii crudelitatem; saltem bonitati Dei multo magis congruum est ut terrenas hujusmodi victimas coronet, quam derelinquat. *An forte minor Christi pietas quam Herodis impietas?* inquit S. Bernardus, Serm. in Nat. SS. Innoc. Ergo, etc.

Quamvis tertia hæc propositio generaliter doceatur, non tamen est de fide, neque quoad infantes ab Herode occisos, quia dici posset cum quibusdam, eos solos fuisse sanctos qui fuerant circumcisi, vel quibus remedium contra peccatum originale fuerat applicatum; neque quoad alios infantes in odium Christi decursu temporum occidendos, quia nullibi clare ostenditur divinam in ipsorum gratiam existere promissionem.

Dices contra tres propositiones: Nisi quis renatus fuerit, etc.; hæc verba nullam patiuntur exceptionem, ut supra ostendimus: ergo Baptismus suppleri non potest.

R. Nego conseq. Media enim quibus Baptismus aquæ suppleri posse diximus, cum istius necessitate minime pugnant, siquidem non justificant, saltem adultos, nisi quatenus votum suscipiendi Baptismum continent: totam igitur efficaciam suam aliquo sensu sumunt ex Baptismo. Ergo.

SCHOLIUM.

Advertendum est nos dixisse Baptismum in casu necessitatis suppleri posse quoad justificationem et pœnæ

peccati remissionem: nunquam vero suppleri potest quoad characterem et jus alia suscipiendi sacramenta. Unde 1^o qui per charitatem perfectam justificatus est, tenetur quamprimum, sublata necessitate, Baptismum realiter suscipere. 2^o Aliud sacramentum, præter Eucharistiam, valide suscipere non posset, nec quidem licite Eucharistia ipsi porrigeretur, quia Baptismus realiter susceptus janua est cæterorum sacramentorum, et per illum duntaxat ad corpus Ecclesiæ pertinere possumus. 3^o Martyrium mox passurus, Baptismum suscipere teneretur si posset. 4^o Qui per miraculum ante nativitatem justificaretur, ut Joannes Baptista et B. Maria, nihilominus baptizandus esset. Ad suum Baptismum tamen non tenebatur Christus ut fieret membrum Ecclesiæ, cum sit illius caput et dominus.

CAPUT SECUNDUM.

DE MATERIA BAPTISMI.

Dicemus in duplici articulo 1^o de materia remota Baptismi, 2^o de materia proxima.

ARTICULUS PRIMUS.

DE MATERIA REMOTA BAPTISMI.

Materia remota est elementum quod adhibendum est ad conficiendum sacramentum. (R)

Lutherus, in Colloquiis symposiacis, cap. 17, dubitabat an, deficiente aqua, Baptismus in vino collatus valeret. Theodorus de Bèze sine hesitatione affirmavit Baptismum in quovis liquore administratum, urgente necessitate, validum esse. Calvinus asserebat verba Christi: *Nisi quis renatus fuerit, etc.*, non intelligenda esse de aqua naturali, sed metaphorice de tribulatione cordis.

PROPOSITIO.

Aqua naturalis est materia Baptismi remota et necessaria.

Prob. Illa propositio est de fide, et probatur Scriptura, et praxi Ecclesie.

1^o *Est de fide*, ut pote definita in conc. Trid., sess. 7, can. 2, de Bapt. « Si quis dixerit aquam veram et naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideo verba illa Domini Jesu Christi, *Nisi quis*, etc., ad metaphoram aliquam detorsit; anathema sit. » Ergo 1^o.

2^o *Prob. Scriptura sacra*; nempe verbis pluries jam citatis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*; vox enim illa *ex aqua*, sensu obvio accepta, aquam naturalem significat, et revera in eodem capite narratur Jesum in terram Judæam venisse ibique cum discipulis commemoratum esse, et additur *ŷ. 22*: *Et baptizabat. Erat autem et Joannes baptizans in Ænon, juxta Salim, quia aque multe erant illic.* Patet Jesum et Joannem in eadem aqua baptizasse: porro Joannes in aqua naturali baptizabat, scilicet in aqua Jordanis: ergo 2^o.

3^o *Praxi Ecclesie*; semper enim Ecclesia in aqua naturali baptizavit, et hujusmodi aquam ad validitatem Baptismi necessariam esse credidit; imo idem agunt et credunt cuncti moraliter hæretici et schismatici, sive in Oriente, sive in Occidente, ipsimet hodierni Protestantes, saltem plerique. Ergo 3^o.

Cæterum aqua naturalis convenientissime assignata est ut materia Baptismi: 1^o quia est communissima, et 2^o quia apta est ad significandum præcipuum Baptismatis effectum, videlicet peccatorum ablutionem. Ergo.

Dices 1^o: S. Joannes Baptista dixit de Christo, Matthæi III, 11: *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni*: ergo ignis est materia Baptismi.

R. Nego conseq. Nam S. Joannes differentiam inter Baptisma suum et Baptisma Christi existentem exprimere volens, dicit se baptizare in aqua, Christum vero

baptizaturum, non solum in aqua, sed in Spiritu sancto, qui est ignis peccata consumens, vel cujus ignis est figura symbolica, ut in die Pentecostes apparuit. Sic omnes prædicta intellexerunt verba, et nullus serio dixit ignem veram esse sacramenti Baptismi materiam. Ergo.

Dices 2^o: Refertur summos pontifices Siricium et Stephanum II Baptisma in vino collatum, urgente necessitate, approbasse. Ergo.

R. Nego conseq. Nam 1^o testimonia quibus hæc approbatio refertur nullam merentur fidem. 2^o Hæc approbatio, si existat, non tribuenda est Stephano papæ, sed Stephano, Tornacensi episcopo, et omni destituitur fundamento. 3^o Etiam si exstitisset et alicujus pontificis Romani esset, nihil inde contra fidem et praxim universalem concludi posset: sequeretur ad summum unum vel alterum pontificem Romanum errorem docuisse, sed ut privatum doctorem, cum nulla exhibeatur constitutio authentica. Ergo.

Hinc 1^o omnis aqua certo naturalis, materia est certa Baptismi, ut aqua fontium, puteorum, maris, fluminum, lacuum, stagnorum, cisternarum, pluvialis, ex nive, vel glacie, vel grandine resoluta, sulphurata, ferruginea, uno verbo quæcumque pura et simplex est aqua, juxta vulgarem denominationem, licet non sit distillata et plures habeat particulas sibi commixtas; nec refert frigida sit an calida, potabilis vel non potabilis, benedicta vel profana.

Hinc 2^o quodcumque liquidum ab aqua naturali distinctum, ad Baptisma adhiberi non potest, etiam in casu summæ necessitatis, ut sanguis, lac, vinum, succus ex herbis vel floribus eductus, jus, cerevisia, etc.

Hinc 3^o commixtio aquæ cum alia substantia in tali quantitate ut juxta usum communem simpliciter dici non possit aqua, materia certa Baptismi esse non potest: talia sunt jusculum tenue, lixivium, sal liquatus, cerevisia tenuis, aqua ex vite aliisque arboribus secatis fluens, aqua lutosa, etc. In gravi necessitate Baptismus cum hujusmodi aqua conferri posset; verum, transacta

necessitate, sub conditione iterandus esset, si persona superviveret.

Notandum est quod extra necessitatem, ad conferendum Baptismum, sive solemniter, sive privatim, adhibenda sit aqua eo anno benedicta, Sabbato Sancto vel in vigilia Pentecostes, vel alio modo in Rituali præscripto, et quidem sub peccato ex genere suo mortali, propter præceptum Ecclesiæ et universalem praxim. Unde si parvulus, ex licentia episcopi, domi vel in capella particulari sit baptizandus privatim, aqua baptismalis huc deferenda est; sic se habet Ritualè Romanum: «Necessitate excepta, » in privatis locis nemo baptizare debet, nisi forte sint » regum aut magnorum principum filii, id ipsis ita de- » poscentibus, dummodo id fiat in eorum capellis seu » oratoriis, et in aqua baptismali de more benedicta. »

ARTICULUS SECUNDUS.

DE MATERIA BAPTISMI PROXIMA.

Materia *proxima* est materiæ remotæ applicatio: in Baptismo est corporis ablutio. Hæc assertio nulla probatione indiget et ab omnibus admittitur. Sed querendum est quomodo fieri debeat ut sacramentum valide et licite administretur.

Notandum est 1º, per duodecim priora Ecclesiæ sæcula, Baptismum communis per immersionem collatum fuisse, tum apud Græcos, tum apud Latinos, ut ex innumeris constat testimoniis. S. Th., 3 part., q. 66, art. 7, dicit hunc usum adhuc esse communioem, declarans tamen sacramentum istud administrari posse per modum effusionis vel aspersionis.

Notandum 2º trinam olim communis factam fuisse immersionem, vel effusionem aut aspersionem.

Certum est 1º ad validitatem sacramenti non referre an ablutio fiat per immersionem, effusionem aut aspersionem, modo corpus sufficienter abluatur; nam 1º Apostoli valde probabiliter aspersione usi sunt, quando tria

millia in uno die baptizaverunt, ut in Act. II, 37 et seq. narratur. 2º S. Cypr., Ep. 76, probat ex professo ægros valide baptizari per effusionem, et ait: «Nec quemquam » movere debet quod aspergi vel perfundi videntur ægri, » cum gratiam Dominicam consequantur. » 3º SS. Patres sæpe inerepaverunt catechumenos qui suum differrebant Baptismum usque ad mortis periculum, et tamen nunquam habuerunt ut invalidum vel dubium Baptisma clinicorum, id est ægotantium in lecto, per infusionem baptizatorum. 4º A pluribus sæculis Baptismus non confertur apud Latinos nisi per effusionem, et tamen Græci, qui retinuerunt immersionem, Baptisma eorum semper habuerunt ut validum. Ergo.

Certum est 2º trinam immersionem vel effusionem ad essentiam sacramenti non pertinere: sola lotio est essentialis, et modus ejus accidentalis. Non tamen recedendum est a trina effusione in Rituali præscripta.

Quædam insuper circa effusionem aquæ sunt advertenda.

1º Ea requiritur aquæ quantitas ut revera fluat, alioquin lotio non esset: una igitur aut altera gutta, cum digito in fronte applicata, non sufficeret, nisi tanta esset ut ablutio in ea parte reipsa fieret. Cavendum est tamen ne nimia effundatur quantitas, præsertim in hieme, quia talis effusio aquæ frigidæ perniciosa esse potest tenello parvulo, et parentes juste contristat: imo quandoque expedit aquam baptismalem modicum calefactam adhibere.

2º Licet probabile videatur Baptismum in quacumque parte corporis animata datum valere, effusio tamen ex præcepto in caput fieri debet; et si, ob necessitatem, in aliam partem facta fuerit, iterandus est Baptismus sub conditione, quia, cum caput habeatur ut principalis sedes animæ, plures arbitrantur Baptismum, in aliud membrum applicatum, esse dubium: in materia autem tanti momenti, pars tutior semper est eligenda. Unde Ritualè Romanum, titulo de Baptizandis parvulis, dicit: « Si » infans caput emiserit, et periculum mortis immineat, » baptizetur in capite; nec postea, si vivus evaserit, ite-

» rum baptizetur. At si aliud membrum emiseric... baptizetur; et tunc si natus vixerit, erit sub conditione » iterum baptizandus. »

3° Curandum est ut aqua pellem baptizandi tangat, et ideo juvat ut baptizans, aquam effundendo, manu sinistra capillos dividat caputque leviter perfricat: si caput aliqua operiatur scabie, ut sæpe accidit, efficiendum est ut aqua super frontem aliquantulum fluat. Secus, saltem dubius esset Baptismus.

4° Necessè est ut aqua ab ipso baptizante effundatur, alioquin verba *Ego te baptizo* non verificarentur: si tamen baptizans infantem sub aqua ex stillicidio defluente poneret, verba formæ pronuntiando, valeret Baptismus, quia vera essent hæc verba *Ego te baptizo*.

5° Qui, videns puerum in aquam cadentem vel ab alio projectum, verba formæ pronuntiaret, eum non baptizaret; verum enim non esset se eum lavare. Si vero ipse eum in flumen, vel in puteum projiciendo, diceret, *Ego te baptizo*, cum debita intentione, valeretne Baptismus? Multi affirmant et multi negant: res igitur manet dubia: dubium autem non est quod infantem, etiam alias certo moriturum, sic projicere non liceat.

6° Si Baptismus per immersionem conferatur, necesse est ut ipse minister baptizandum immergat. Olim adulti in sacros fontes per modum balneorum dispositos descende-
bant nudi, ita tamen ut non offenderetur pudor, et minister accedens caput uniuscujusque ter immergebat, semel dicens: *Ego te baptizo*, etc.

7° Si vero Baptismus per aspersionem ministraretur, quod in nullo casu sine licentia episcopi fieri posset, curandum esset ut aqua pellem singulorum immediate tangeret, atque flueret.

CAPUT TERTIUM.

DE FORMA BAPTISMI.

Plurimi veteres hæretici, ut Gnostici, Manichæi, Paulianistæ, Eunomiani, formam Baptismi adulteraverunt. Lutherani, Calvinistæ et Sacramentarii forma apud nos consueta utuntur, sed etiam minime necessariam esse arbitrantur; cum enim, juxta ipsos, Baptismus non producat gratiam, nisi quatenus fidem excitat, quæcumque verba ad excitandam fidem idonea sufficiunt.

Notandum 1° formam apud Latinos usitatam hanc esse: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.* Forma Græcorum est ista: *Baptizetur vel baptizatur servus Christi N. in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.*

Notandum 2° utramque formam esse legitimam. Quoad formam Latinorum, patet 1° ex concilio Florentino, in Decreto ad Armenos, ubi integra refertur et traditur ut consueta; 2° ex conc. Trid., sess. 7, de Bapt., can. 4; 3° ex Rituali Romano et cunctis aliis Ecclesiæ Occidentalis Ritualibus, atque ex praxi universali, sequentibus verbis Christi fundata: *Euntes... docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, Matth. xxviii, 19. 3° Quod autem forma Græcorum sit etiam legitima, constat 1° ex Decreto ad Armenos, in quo Eugenius IV, forma Latinorum expressa, addit: « Non » tamen negamus quin et per illa verba: *Baptizetur talis servus Christi, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*; vel: *Baptizetur manibus meis talis servus Christi in nomine*, etc., verum perficiatur Baptisma; » 2° ex definitionibus Leonis X, anno 1521, et Clementis VIII, anno 1526; 3° ex sententia totius Ecclesiæ Romanæ, quæ Baptisma more Græcorum administratum semper habuit ut validum.

Nunc examinandum est 1^o quænam verba sint essentialia, et 2^o quæ mutatio in verbis validitati Sacramenti noceret.

ARTICULUS PRIMUS.

DE VERBIS AD VALIDITATEM BAPTISMI ESSENTIALIBUS.

Absolute necesse est 1^o ut tres personæ sanctissimæ Trinitatis explicite invocentur, ut infertur, tum ex verbis Christi, tum ex conciliis Florentino et Tridentino, tum ex praxi constanti et fide universali Græcorum et Latinorum; 2^o ut hæc exprimantur verba, *Ego te baptizo*, vel alia æquivalentia; idque constat, tum ex verbis Christi, *Baptizantes eos*, tum ex conciliis citatis, tum ex auctoritate Alexandri VIII, qui, anno 1690, sequentem damnavit propositionem, n. 27: « Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, prætermittis istis, *Ego te baptizo*; » tum ex perpetuo ultriusquæ Ecclesiæ Græcæ et Latinæ usu; tum quia ablutio corporis ex se indifferens, per verba formæ ad sacramentum determinari debet, quod certe sola invocatio sanctissimæ Trinitatis non exprimeret. Ergo.

Petitur quo sensu intelligenda sint hæc Actuum Apostolorum verba, II, 38: *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi*; et hæc altera, VIII, 12: *In nomine Jesu Christi baptizabantur viri ac mulieres*.

R. Non pauci opinati sunt Apostolos, ex dispensatione, in nomine Jesu Christi tantum baptizasse, ne occasionem præberent gentilibus judicandi tres deos apud Christianos venerari, et simul « ut nomen Christi, quod erat odiosum Judæis et gentilibus, honorabile redderetur; » sunt verba S. Th., 3 part., q. 66, art. 6, ad 1. Ita, cum angelico Doctore, Scotus, S. Bonaventura, Valentia, Tolæus, Gonet, etc.

Attamen longe probabilius est per verba prædicta intelligendum esse Baptismum a Christo institutum, per oppositionem ad Baptismum Joannis; nullo enim fundamento nititur dispensatio quæ Apostolis concessa fuisse

supponitur: aliunde explicita sanctissimæ Trinitatis invocatio ex ipsa sacramenti institutione requiritur, ut patet ex dictis. Ergo. Ita Estius, Suarez, Vasquez, Sylvius, Natalis Alexander, Juénin, Tournely, et plerique recentiores.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE MUTATIONIBUS IN FORMA BAPTISMI QUÆ VALIDITATI SACRAMENTI NOCERENT.

Quintuplici modo forma Baptismi variari potest; videlicet 1^o per mutationem verborum, 2^o per corruptionem, 3^o per transpositionem, 4^o per additionem, et 5^o per suppressionem.

1^o *Per verborum mutationem*. Si tantum idioma mutetur, aut si forma partim in uno idiomate, partim in altero pronuntietur, mutatio est duntaxat accidentalis et validitati sacramenti non nocet: *ita omnes*. Melius est ut rudes si baptizent, lingua sua vernacula utantur, quia eam rectius pronuntiant. Item si verba synonyma verbis consuetis substituantur, v. g., si loco *baptizo* dicatur *abluo, lavo, intingo*, mutatio etiam reputatur accidentalis. Si vero ad exprimendas tres sanctissimæ Trinitatis personas diceretur, *in nomine Genitoris, Geniti et Procedentis ab utroque*, dubium est an Baptismus esset validus. Sic S. Th. et communissime theologi.

2^o *Per corruptionem*. Si corruptio fiat in initio vocis, facilius est substantialis quam si fiat in terminatione, quia ex communi æstimatione sensus facilius adulteratur vel penitus mutatur: v. g., si sola littera *P* mutetur in *M*, habetur *matris* loco *patris*, et sensus non est idem; secus vero si ultima littera mutetur vel supprimatur. Unde Zacharias papa, Decret. part. 3, distinctione 4, can. 86, *Retulerunt*, respondit validum esse Baptismum a sacerdote linguam latinam penitus ignorante collatum *in nomine Patria, et Filia, et Spiritu sancta*, modo rectam habuisset intentionem. Idem judicandum est si quis, ob balbutiæ vel præcipationem, dicat, *Vaptizo, batizo*,

babatizo, baltizo, pro *Baptizo*, vel *Fili* pro *Filii*, etc. Vide S. Ligorium, l. 6, n. 110.

3^o *Per transpositionem*, modo verba transposita eundem retineant sensum, mutatio est duntaxat accidentalis. Hinc si diceretur, *Te baptizo ego*, etc., valeret Baptismus: valeret etiam si Filius ante Patrem, aut Spiritus sanctus ante Patrem et Filium nominaretur, etiamsi baptizans crederet Filium esse principium; quia error internus ministri valori sacramenti non nocet, siquidem fides ad validitatem sacramenti non requiritur.

4^o *Per additionem*. Talis esse potest additio ut sensum essentialiter corrumpat, v. g., *Baptizo te in nomine Patris majoris, Filii minoris*, etc., vel: *Baptizo te in nominibus Patris*, etc., et tunc nullus esset Baptismus. Secus autem, si additio sensum formæ consuetæ essentialiter non mutat, ut in sequentibus formulis: *Baptizo te in nomine Patris omnipotentis, et Filii unigeniti, et Spiritus sancti vivificantis*; vel: *Baptizo te in nomine Patris qui te creavit, in nomine Filii qui te redemit, in nomine Spiritus sancti qui te sanctificavit*. Non vero sufficeret dicere, *in nomine sanctissimæ Trinitatis*; vel, *in nomine trium Personarum divinarum*, etc.

5^o *Per suppressionem*. Quædam verba omitti possunt sine adulteratione sensus, scilicet pronomen *ego* et vox *amen*; tunc mutatio est solum accidentalis: probabilius omissio particule *et*, ante vocem *Filii*, esset tantum accidentalis; sed hæc particula præmitti debet tertiæ personæ, alioquin sensus immutaretur. Dubium est an omissio præpositionis *in* ut essentialis habenda sit; non sibi consentiunt doctores: Baptismus ergo ea omissa collatus, sub conditione iterandus esset. Quælibet alia omissio, juxta omnes, essentialis foret.

Nulla autem mutatio voluntarie fieri potest sine peccato mortali aut saltem veniali, prout in præcedenti Tractatu, p. 433, diximus.

CAPUT QUARTUM.

DE MINISTRO BAPTISMI.

Duplex distinguitur minister Baptismi, unus scilicet solemnitatis, qui baptismum cum cæremoniis in Ecclesia consuetis administrat; et alter necessitatis, qui, propter necessitatem, hoc sacramentum sine cæremoniis usitatis confert. Minister solemnitatis iterum duplex, videlicet ordinarius qui ex officio baptizat, et extraordinarius qui ex commissione tantum baptizare potest. Dicemus 1^o de ministro ordinario, 2^o de ministro extraordinario, et 3^o de ministro necessitatis.

ARTICULUS PRIMUS.

DE MINISTRO BAPTISMI ORDINARIO.

Nullum moveri potest dubium circa episcopos; eis enim præcipue data est potestas docendi et baptizandi.

PROPOSITIO.

Non solum episcopi, sed omnes sacerdotes jure divino sunt ministri ordinarii baptismi, et jure ecclesiastico soli episcopi, parochi, et ab eis delegati.

Prob. prima pars 1^o ex verbis Christi, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos*, etc., quæ ad discipulos sicut ad Apostolos, proinde ad presbyteros sicut ad episcopos pertinere constans totius Ecclesiæ praxis testatur; 2^o ex Decreto ad Armenos, in quo Eugenius IV dicit: « Minis- ter hujus sacramenti (Baptismi) est sacerdos, cui ex officio competit baptizare; » 3^o ex Catechismo Conc. Trid. idem habente; 4^o ex usu perpetuo Ecclesiæ, sive Orientalis sive Occidentalis. Ergo.

Simplex igitur sacerdos, etiam presente episcopo, solemniter baptizare potest, sicut Missam celebrat, Eucharistiam administrat, etc.

Probatur secunda pars, scilicet solum episcopum, parochum et ab eis delegatum esse jure ecclesiastico ministros ordinarios Baptismi: sic enim 1° statuit Rituale Romanum: « Legitimus quidem Baptismi minister est » parochus, vel alius sacerdos a paroco vel ab Ordinario loci delegatus; » 2° ordo postulat ut qui curam gregis habet, solus novas oves in eum admittere debeat; 3° talis est praxis in universa Ecclesia. Ergo.

Hinc 1° episcopi potuerunt olim sibi reservare solemnitate Baptismi in vigiliis Paschæ et Pentecostes, et statuere quod his diebus nullus presbyter baptizare posset nisi ex commissione. 2° Episcopus extra diocesim vel extraneos in sua diocesi licite baptizare non potest, nec parochus extra parochiam vel alienos in sua parochia. 3° Parentes qui, absque licentiâ sui parochi vel Ordinarii, prolem alieno sacerdote baptizandam præsentant, contra disciplinam ecclesiasticam graviter peccant. 4° *A fortiori* sacerdos non ordinarius nec delegatus, baptizans extra necessitatem, absque licentiâ, etiam sine solemnitate, graviter peccaret. *Sic communiter theologi.* 5° Si mulier in extraneo loco pariat, v. g., iter faciendo, proles ab Ordinario loci, sive episcopo, sive paroco, sive delegato, baptizari debet, quia sacramenta a pastore domicili facti suscipienda sunt. Si tamen mulier pareret in loco a domicilio suo non longe distante, ut duobus vel tribus leucis, proprius ejus parochus, sicut et ipsa, exigere posset ut proles in parochia sua baptizaretur, nisi grave adesset incommodum. *Ita S. Ligorius et plures alii.*

ARTICULUS SECUNDUS.

DE MINISTRO BAPTISMI EXTRAORDINARIO.

Episcopi et quilibet sacerdotes qui jurisdictionem ordinariam vel delegatam non habent, jure ecclesiastico

ministri ordinarii non sunt Baptismi, sed tantum extraordinarii; nec *a fortiori* diaconi aliive inferiores clerici qui curam animarum habere non possunt.

Omnes fatentur subdiaconos et alios inferiores clericos non esse jure divino ministros etiam extraordinarios Baptismi solemnibus. Quæstio est igitur an diaconi sint jure divino, seu vi ordinationis suæ, ministri extraordinarii Baptismi, ita ut ex commissione illum licite solemniter administrare possint.

PROPOSITIO.

Diaconi, vi ordinationis suæ, sunt ministri extraordinarii Baptismi.

Prob. 1° eos, vi ordinationis suæ, esse ministros hujus sacramenti, tum ex Act. Apostol. viii, 12, ubi diaconus Philippus exhibetur baptizasse viros ac mulieres, et v. 38, eunuchum Candacis reginæ; tum ex Pontificali Romano, in quo episcopus, diaconos ordinandos alloquens, ait: « Diaconum enim oportet ministrare ad altare, baptizare et prædicare: » certe hic non agitur de potestate quam omnes habent baptizandi in necessitate sine solemnitatibus; tum ex perpetua traditione et fide universalis Ecclesiæ. Ergo 1°.

Prob. 2° eos, vi ordinationis, esse tantum ministros solemnibus Baptismi extraordinarios; in prima enim parte Decreti, dist. 93, can. 13, de diaconis dicitur: « Absque » episcopo vel presbytero baptizare non audeant, nisi » prædictis ordinibus fortasse longius constitutis, necessitas extrema compellat: » quæ quidem regula ex epistola nona S. Gelasii papæ deprompta est: idem statuitur in tertia parte Decreti, dist. 4, de Consecrat., can. 19. Ergo 2°.

His præmissis, quædam ad præcæm attinentia nunc statuenda sunt.

1° Commissio baptizandi solemniter diacono conferri non potest, nisi in vera necessitate, ut ex verbis juris ca-

nonici citatis colligitur : *ita generaliter sentiunt theologi.* Graviter igitur peccaret diaconus qui, sine delegatione episcopi vel parochi, solemniter baptizaret; peccaret etiam episcopus vel parochus diaconum ad solemnem Baptismum absque necessitate delegando. Non requiritur autem necessitas extrema, sed rationabilis sufficit, puta infirmitas parochi, multitudo baptizandorum, illa munia sacerdotalia quæ sine gravi incommodo differri non possunt, ut prædicatio promissa, administratio moribundi, etc. Nulla vero requiritur causa ut sacerdos non irregularis, nec ulla censura innodatus, delegari possit : ratio discriminis est quia, vi ordinationis, sacerdos est minister Baptismi ordinarius, diaconus vero minister extraordinarius.

2º Juxta disciplinam generalem, parochus delegare posset diaconum, data ratione sufficienti, ad Baptismum solemniter administrandum : ita enuntiant vel supponunt omnes theologi. Verum, ex usu nunc recepto, hæc delegatio reservatur episcopo, saltem in diocesi nostra et in aliis nos circumstantibus.

3º Attamen si urgeret necessitas, et recursus ad episcopum moraliter impossibilis esset, parochus diaconum licite committeret.

4º Si, absente parochi, mors immineret infanti, diaconus illic præsens possetne illum solemniter baptizare absque ulla delegatione? Affirmant *Suarez, Billuart* et alii plures, dicentes diaconum plus habere potestatis circa Baptismum quam inferiores clericos, qui tamen in eo casu privatim baptizare possent. Negat vero *S. Liguorius* cum aliis multis, l. 6, n. 116, quia diaconus non est minister solemnis Baptismi, nisi mediante legitima commissione. Ab hac opinione in praxi recedere non liceret.

5º Diaconus solemniter baptizans, extra necessitatem, sine delegatione episcopi vel parochi, irregularitatem contrahit; quia, vi ordinationis, non est minister ordinarius hujus sacramenti, sed tantum habet unde delegari possit.

A fortiori, subdiaconi alique inferiores clerici solemniter baptizantes fiunt irregulares, propter usurpationem Ordinis non suscepti, ut expressis verbis constat ex Decretal. l. 5, tit. 28, de clerico ordinato, cap. 1.

ARTICULUS TERTIUS.

DE MINISTRO BAPTISMI NECESSITATIS

Constat apud omnes Baptismum in extrema necessitate sine cæremoniis in Ecclesia solitis conferri posse : non minus certum est neque laicum neque ullum clericum extra necessitatem privatim baptizare posse, nisi legitima obtenta fuerit dispensatio, quia sacramentum a cæremoniis in honorem ejus institutis separari non debet, nisi causa gravis id suadeat.

Calvinus et Theodorus *de Beze* contenderunt Baptismum, etiam in necessitate, a solis pastoribus conferri posse saltem licite. Idem error nonnullis recentioribus Græcis tribuitur ab *Arendio*, l. 1, de Bapt., cap. 11. Contra quos sit

PROPOSITIO.

In necessitate quilibet, sive vir, sive mulier, sive catholicus, sive hæreticus, sive Christianus, sive infidelis, baptizare potest.

Prob. 1º ex Decreto Eugenii IV ad Armenos, in quo propositio nostra definitur his verbis : « In causa autem » necessitatis, non solum sacerdos vel diaconus, sed » etiam laicus et mulier, imò etiam paganus et hæreticus, baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesie, et facere intendat quod facit Ecclesia. »

2º *Ex SS. Patribus.* Tertull. de Bapt., cap. 17, postquam asseruit episcopum esse ministrum Baptismi, dehinc presbyteros et diaconos, non tamen sine episcopi auctoritate, addit : *Baptismus ab omnibus exerceri potest.* S. Hieron., Dial. adv. Lucif. : « Si necessitas cogit, sci- » mus etiam licere laicis baptizare. »

3^o *Ex jure canonico*, Decret. 3 part., distinct. 4, can. 23 et 24, in quibus approbatur Baptisma a pagano collatum.

4^o *Ex fide et praxi Ecclesie tum Latine, tum Græcæ*. Ergo.

Hinc 1^o curare debent parochi, quantum moraliter possunt, ut fideles, præsertim conjugati, et maxime chirurgi ac obstetrices, rectum baptizandi modum sciant, et in vera necessitate adhibere non negligant. Eis simul inhibeant ne extra necessitatem baptizent: Baptismus tamen absque necessitate sic collatus validus esset; ut patet; sed contra reverentiam sacramento debitam graviter peccaretur.

2^o In necessitate autem aliquis inter personas occurrentes servandus est ordo, ut omnes sentiunt theologi et monet Rituale Romanum sequentibus verbis: « Si adsit » sacerdos, diacono præferatur, diaconus subdiacono, » clericus laico, et vir feminae, nisi pudoris gratia deceat » feminam potius quam virum baptizare infantem non » omnino editum, vel nisi melius femina sciret formam » et modum baptizandi. »

Propter eandem rationem, fidelis præferendus esset infideli, et catholicus hæretico, schismatico, apostatæ, etc.

Pater et mater propriam prolem baptizare non debent, nisi in necessitate, et deficiente alia persona ad baptizandum idonea, prout dicimus in Supplemento ad Tractatum de Matrimonio.

CAPUT QUINTUM.

DE BAPTISMI EFFECTIBUS.

Pelagiani, peccati originalis existentiam negantes, regenerationem hominis per Baptismum negare debuerunt. Lutherani et Calvinistæ, principiis suis circa justi-

tiam imputativam inhærentes, docent peccata per Baptismum non tolli, sed justitia Christi per fidem apprehensa cooperiri, ac proinde non imputari. Juxta verò catholicorum doctrinam, Baptismus tres simul ex opere operato producit effectus, nimirum 1^o peccatorum remissionem per gratiæ sanctificantis infusionem, 2^o pœnæ peccatis in altera vita debitæ deletionem, et 3^o characteris impressionem, vi cujus sacramentum iterari non potest.

PROPOSITIO PRIMA.

Baptismus omnia peccata ante ipsum commissa per gratiæ sanctificantis infusionem remittit.

Hæc propositio est de fide, et probatur Scriptura sacra ac traditione.

1^o *Est de fide*: patet 1^o ex dictis in Tractatu de Sacramentis in genere; 2^o ex Decreto ad Armenos, in quo hæc habentur: « Hujus sacramenti (Baptismi) effectus est remissio omnis culpæ originalis et actualis; » 3^o ex conc. Trid., sess. 5, can. 5: « Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit non tolli totum id quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi aut non imputari; » anathema sit. » Ergo 1^o.

2^o *Prob. Scriptura*. 1 Cor. vi, 11: *Hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri*. Tit. iii, 5: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut justificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ*. Alios non minus claros omittimus textus: numquid regeneratio spiritualis, gratiæ sanctificantis infusio et omnis peccati emundatio clarius exprimi poterant? Ergo 2^o.

3^o *Prob. traditione*. Patres enim, et in primis S. Aug.

3^o *Ex jure canonico*, Decret. 3 part., distinct. 4, can. 23 et 24, in quibus approbatur Baptisma a pagano collatum.

4^o *Ex fide et praxi Ecclesie tum Latine, tum Græcæ*. Ergo.

Hinc 1^o curare debent parochi, quantum moraliter possunt, ut fideles, præsertim conjugati, et maxime chirurgi ac obstetrices, rectum baptizandi modum sciant, et in vera necessitate adhibere non negligant. Eis simul inhibeant ne extra necessitatem baptizent: Baptismus tamen absque necessitate sic collatus validus esset; ut patet; sed contra reverentiam sacramento debitam graviter peccaretur.

2^o In necessitate autem aliquis inter personas occurrentes servandus est ordo, ut omnes sentiunt theologi et monet Rituale Romanum sequentibus verbis: « Si adsit » sacerdos, diacono præferatur, diaconus subdiacono, » clericus laico, et vir feminae, nisi pudoris gratia deceat » feminam potius quam virum baptizare infantem non » omnino editum, vel nisi melius femina sciret formam » et modum baptizandi. »

Propter eandem rationem, fidelis præferendus esset infideli, et catholicus hæretico, schismatico, apostatæ, etc.

Pater et mater propriam prolem baptizare non debent, nisi in necessitate, et deficiente alia persona ad baptizandum idonea, prout dicimus in Supplemento ad Tractatum de Matrimonio.

CAPUT QUINTUM.

DE BAPTISMI EFFECTIBUS.

Pelagiani, peccati originalis existentiam negantes, regenerationem hominis per Baptismum negare debuerunt. Lutherani et Calvinistæ, principiis suis circa justi-

tiam imputativam inhærentes, docent peccata per Baptismum non tolli, sed justitia Christi per fidem apprehensa cooperiri, ac proinde non imputari. Juxta verò catholicorum doctrinam, Baptismus tres simul ex opere operato producit effectus, nimirum 1^o peccatorum remissionem per gratiæ sanctificantis infusionem, 2^o pœnæ peccatis in altera vita debitæ deletionem, et 3^o characteris impressionem, vi cujus sacramentum iterari non potest.

PROPOSITIO PRIMA.

Baptismus omnia peccata ante ipsum commissa per gratiæ sanctificantis infusionem remittit.

Hæc propositio est de fide, et probatur Scriptura sacra ac traditione.

1^o *Est de fide*: patet 1^o ex dictis in Tractatu de Sacramentis in genere; 2^o ex Decreto ad Armenos, in quo hæc habentur: « Hujus sacramenti (Baptismi) effectus est remissio omnis culpæ originalis et actualis; » 3^o ex conc. Trid., sess. 5, can. 5: « Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit non tolli totum id quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi aut non imputari; » anathema sit. » Ergo 1^o.

2^o *Prob. Scriptura*. 1 Cor. vi, 11: *Hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri*. Tit. iii, 5: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut justificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ*. Alios non minus claros omittimus textus: numquid regeneratio spiritualis, gratiæ sanctificantis infusio et omnis peccati emundatio clarius exprimi poterant? Ergo 2^o.

3^o *Prob. traditione*. Patres enim, et in primis S. Aug.

in innumeris locis, dicunt Baptismum omnia peccata abluere, delere, tollere : sic in omnibus ecclesiis Græcis et Latinis docetur ac creditur : ergo 3^o, etc. Ergo.

Inde colligendum est per Baptismum conferri, simul cum gratia sanctificante, virtutes quæ eam necessario comitantur, ut fidem habitualementem, spem, charitatem, gratiam sacramentalem, jus ad alia sacramenta, etc. Per hoc sacramentum homines fiunt membra Christi, filii Dei, hæredes regni cælestis, etc.

ALERE FLAMMAM
VERITATIS PROPOSITIO SECUNDA.

Omnis pœna peccatis ante Baptismum commissis coram Deo pro altera vita debita simul cum peccatis tollitur.

1^o *Propositio ista est de fide* : sic enim traditur in Decreto ad Armenos : « Hujus sacramenti effectus est remissio omnis culpæ... omnis quoque pœnæ quæ pro ipsa culpa debetur : propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda est satisfactio ; sed morientes antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum cælorum et Dei visionem perveniunt. » Et conc. Trid., sess. 5. can. 5. addit : « In renatis nihil odit Deus, quia nihil est damnationis iis qui vere consepulti sunt cum Christo per Baptisma in mortem... ita ut nihil prorsus eos ab ingressu cæli remoretur. » Ergo 1^o.

2^o *Prob. ex sanctis Patribus.* S. Aug. de peccatorum Meritis et Remissione, l. 1, cap. 28, n. 46 : « Si continuo consequatur ab hac vita emigratio, non erit omnino quod obnoxium hominem teneat, solutis omnibus quæ tenebant. » S. Hier., Epist. 82 : « Post indulgentiam (Baptismi), judicis non est metuenda severitas. » Ergo.

3^o *Prob. ratione.* Nulla unquam imposita est satisfactio adultis pro peccatis ante Baptismum commissis, et plures olim reprehensi sunt a Patribus, quia Baptismum suscipere differebant usque ad mortis periculum, ut statim ingrederentur cælum : ergo omnibus persuasum

semper fuit nullam post Baptismum remanere pœnam in altera vita luendam. Ergo.

Notandum 1^o pœnas tamen in primis temporibus ac peccatorum confessionem impositas fuisse catechumenis, ut, inter alios, testatur Tertull. de Bapt., cap. 20, dicens : « Ingressuros Baptismum orationibus crebris, jejuniis et genucationibus, et pervigiliis orare oportet » et cum confessione omnium retro delictorum. » Hæc autem præscripta erant tanquam præparationes et indicia sinceræ conversionis, nihil vero simile post Baptismum imponebatur ad expiationem peccatorum antea commissorum.

Notandum 2^o pœnas peccati in præsentī vita luendas, ut concupiscentiam, miseriam et mortem, per Baptismum non auferri, et quidem sapienter, juxta S. Aug., de peccat. Meritis et Remiss., cap. 2, n. 50, quia homines properarent ad Christum, non ex amore et ob vitam futuram, sed *propter removendam mortis molestiam.*

PROPOSITIO TERTIA.

Per Baptismum character indelebilis imprimitur in anima.

1^o Hæc propositio est de fide, *ut ostendimus in præcedenti Tractatu*, p. 429.

2^o *Prob. traditione.* S. Cyrillus Hierosol. in Præfatione ad Catech., n. 16 et 17 : « Baptisma est captivitatis liberatio, peccatorum remissio, mors peccati, animæ regeneratio... signaculum sanctum et indelebile. » S. Aug., Epist. contra Parm., cap. 13, n. 29, characterem Baptismi cum characterē imperatoris in milite comparat, et ait : « An forte minus hærent sacramenta christiana quam corporalis hæc nota, cum videamus nec apostatas carere Baptismate, quibus utique per pœnitentiam redeuntibus non restituitur, et ideo amitti non posse judicatur? » Multis aliis testimoniis invictè probari potest semper creditum fuisse Baptismum imprimere in anima characterem indelebilem, et semel

valide administratum, nunquam iterari posse. Ergo.

Unde Ecclesia, propter honorem huic sacramento debitum, statuit, 1 part. Decret., dist. 50, can. 55, omnes rebaptizantes fieri irregulares, et nunquam permittendum ut ad clericatus gradum promoveantur.

Post ea quæ diximus de effectibus Baptismi, opportunum videtur quædam subungere de effectibus circumcisionis et Baptismi Joannis.

Queritur 1º quis fuerit effectus circumcisionis.

R. Plurimi Patres et scholastici arbitrati sunt eam in remedium peccati originalis institutam fuisse. Verum alii communius et probabilius docent eam fuisse duntaxat signum externum fœderis inter Deum et ipsius populum, idque multis astruere conantur rationibus, quarum præcipuæ sunt :

1º Gen. xvii, 10 et 11 : *Hoc est pactum meum quod observabitis inter me et vos, et semen tuum post te : circumcidetur ex vobis omne masculinum, et circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit in signum fœderis inter me et vos. Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne masculinum....* Unde sic : Nulla fit mentio remissionis peccati originalis : attamen incredibile est in ipsamet circumcisionis institutione præcipuum ejus effectum taceri.

2º B. Paulus, Rom. iii, 1, quærit : *Quid ergo amplius Judæo est? aut quæ utilitas circumcisionis?* Respondet : *Multum per omnem modum. Primum quidem quia credita sunt illis eloquia Dei.* De remissione peccati originalis nihil omnino dicit.

3º Ante circumcisionis institutionem aliud existere debebat remedium contra peccatum originale, siquidem docetur illud semper potuisse remitti : remedium istud perseverare debuit pro feminis, quibus circumcisio non applicabatur, et pro infantibus masculis ante octavum diem decedentibus. Admitti igitur non potest exceptio pro masculis circumcisioni subjectis, nisi exprimatur in Scriptura vel in traditione : atqui talis circumcisionis effectus clare non exprimitur neque in Scriptura, neque in traditione. *Non in Scriptura*, cum nullus exhibeatur

textus qui aliud quam præceptum positivum significet. *Non in traditione*, siquidem Patres et doctores valde sunt divisi, ut videre est apud auctores de hac quæstione fusius disserentes, ut *Drouin, Bilhuart, Cont. Tournely*, et apud Estium in Epist. ad Rom. iv, 11. Ergo.

Queritur 2º quis fuerit effectus Baptismi Joannis.

R. Lutherani et Calvinistæ dicunt illum ejusdem efficacitæ fuisse ac Baptismum Christi; quia, juxta ipsos, uterque per fidem tantum operatur. Sed de fide est ingentem inter utrumque exstitisse differentiam. « Si quis » dixerit, » inquit conc. Trid., sess. 7, de Bapt., can. 1, » Baptismum Joannis habuisse eandem vim cum Baptismo Christi; anathema sit. » Idem patet ex pluribus textibus Scripturæ et Patrum testimoniis, in quibus clare ostenditur Baptismum Joannis fuisse ad penitentiam et ex opere operantis effectum produxisse, Baptismum vero Christi gratiam et dona Spiritus sancti ex opere operato dare. Ergo.

CAPUT SEXTUM.

DE SUBJECTO BAPTISMI.

Certum est solum hominem viatorem Baptismum suscipere posse, quocumque sensu intelligatur textus difficilis B. Pauli, I Cor. xv, 29 : *Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt?* Sed homines viatores sunt parvuli vel adulti : de his et illis separatim dicemus.

ARTICULUS PRIMUS.

DE BAPTISMO PARVULORUM.

In diversis circumstantiis ex quibus variæ nascuntur quæstiones, spectari possunt infantes : itaque agemus

valide administratum, nunquam iterari posse. Ergo.

Unde Ecclesia, propter honorem huic sacramento debitum, statuit, 1 part. Decret., dist. 50, can. 55, omnes rebaptizantes fieri irregulares, et nunquam permittendum ut ad clericatus gradum promoveantur.

Post ea quæ diximus de effectibus Baptismi, opportunum videtur quædam subungere de effectibus circumcisionis et Baptismi Joannis.

Queritur 1º quis fuerit effectus circumcisionis.

R. Plurimi Patres et scholastici arbitrati sunt eam in remedium peccati originalis institutam fuisse. Verum alii communius et probabilius docent eam fuisse duntaxat signum externum fœderis inter Deum et ipsius populum, idque multis astruere conantur rationibus, quarum præcipuæ sunt :

1º Gen. xvii, 10 et 11 : *Hoc est pactum meum quod observabitis inter me et vos, et semen tuum post te : circumcidetur ex vobis omne masculinum, et circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit in signum fœderis inter me et vos. Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne masculinum....* Unde sic : Nulla fit mentio remissionis peccati originalis : attamen incredibile est in ipsamet circumcisionis institutione præcipuum ejus effectum taceri.

2º B. Paulus, Rom. iii, 1, quærit : *Quid ergo amplius Judæo est? aut quæ utilitas circumcisionis?* Respondet : *Multum per omnem modum. Primum quidem quia credita sunt illis eloquia Dei.* De remissione peccati originalis nihil omnino dicit.

3º Ante circumcisionis institutionem aliud existere debebat remedium contra peccatum originale, siquidem docetur illud semper potuisse remitti : remedium istud perseverare debuit pro feminis, quibus circumcisio non applicabatur, et pro infantibus masculis ante octavum diem decedentibus. Admitti igitur non potest exceptio pro masculis circumcisioni subjectis, nisi exprimatur in Scriptura vel in traditione : atqui talis circumcisionis effectus clare non exprimitur neque in Scriptura, neque in traditione. *Non in Scriptura*, cum nullus exhibeatur

textus qui aliud quam præceptum positivum significet. *Non in traditione*, siquidem Patres et doctores valde sunt divisi, ut videre est apud auctores de hac quæstione fusius disserentes, ut *Drouin, Bilhuart, Cont. Tournely*, et apud Estium in Epist. ad Rom. iv, 11. Ergo.

Queritur 2º quis fuerit effectus Baptismi Joannis.

R. Lutherani et Calvinistæ dicunt illum ejusdem efficacitæ fuisse ac Baptismum Christi; quia, juxta ipsos, uterque per fidem tantum operatur. Sed de fide est ingentem inter utrumque exstitisse differentiam. « Si quis » dixerit, » inquit conc. Trid., sess. 7, de Bapt., can. 1, » Baptismum Joannis habuisse eandem vim cum Baptismo Christi; anathema sit. » Idem patet ex pluribus textibus Scripturæ et Patrum testimoniis, in quibus clare ostenditur Baptismum Joannis fuisse ad penitentiam et ex opere operantis effectum produxisse, Baptismum vero Christi gratiam et dona Spiritus sancti ex opere operato dare. Ergo.

CAPUT SEXTUM.

DE SUBJECTO BAPTISMI.

Certum est solum hominem viatorem Baptismum suscipere posse, quocumque sensu intelligatur textus difficilis B. Pauli, I Cor. xv, 29 : *Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt?* Sed homines viatores sunt parvuli vel adulti : de his et illis separatim dicemus.

ARTICULUS PRIMUS.

DE BAPTISMO PARVULORUM.

In diversis circumstantiis ex quibus variæ nascuntur quæstiones, spectari possunt infantes : itaque agemus

1° de baptizandis parvulis in genere; 2° de tempore ad quod Baptismus eorum differri possit; 3° de Baptismo parvulorum invitis parentibus; 4° de Baptismo fetus abortivi; 5° de Baptismo fetus nondum nati; 6° de operatione cæsarea; 7° de Baptismo monstrorum, et 8° de infantibus expositis et aliis domi baptizatis.

§ 1. — De baptizandis parvulis in genere.

In duodecimo sæculo, Petrus de Bruis, cujus discipuli dicti sunt *Petrobrussiani*, et *Henriciani*, a quodam ex eis nomine Henrico, docebant Baptisma infantibus fidei et doctrinæ christianæ incapacibus collatum, esse nullum. In decimo sexto sæculo, Nicolaus *Stork*, primus Lutheri discipulus, principio magistri circa justificationem ex sola fide proveniente inherens, docuit Baptisma infantium esse nullum, ac consequenter, post adeptum rationis usum, iterandum: unde sectatores ejus dicti sunt *Ana-baptistæ*.

Quidam veteres, inter quos Tertullianus, lib. de Bapt., cap. 18, et S. Gregorius Nazianzenus, fatentes parvulos valide baptizari posse, nolebant tamen eos baptizari, extra periculum mortis, ante aduorum ætatem, tum ne periculo exponerentur sponsors, tum ut ipsi melius intelligerent obligationes Baptismo annexas. Erasmus, ulterius progrediens, contendebat parvulos semel adultos interrogandos esse an promissiones nomine suo factas ratas habere vellent, et, si eas confirmare recusarent, proprio arbitrio dimittendos esse nec ad vitam christianam compellendos. Contra eos nobis probandum est 1° parvulos valide baptizari posse, 2° expedire, eos baptizari.

PROPOSITIO PRIMA.

Parvuli valide baptizari possunt.

Prob. Propositio est de fide, et probatur traditione ac ratione.

1° *Est de fide*, ut pote definita in conc. Trid., sess. 7, de Bapt., can. 13: « Si quis dixerit parvulos, eo quod

» actum credendi non habent, suscepto Baptismo, inter
 » fideles computandos non esse, ac propterea, cum ad
 » annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos, aut
 » præstare omitti eorum Baptisma, quam eos, non actu
 » proprio credentes, baptizari in sola fide Ecclesiæ; ana-
 » thema sit. » Ergo 1°.

2° *Prob. traditione.* In memoriam revocanda sunt testimonia S. Cypr. et S. Aug. superius citata, p. 486, quibus addi potest sequens Origenis, in Epist. ad Rom., cap. vi: « Ecclesia ab Apostolis traditionem suscepit » etiam parvulis dare Baptisma. » Unde in Ecclesiis Latinis, Græcis aliisque Orientalibus semper existit mos baptizandi parvulos. Ergo 2°.

3° *Prob. ratione.* Constat enim, ex propositione nostra superius, p. 485, probata, Baptismum necessarium esse necessitate mediæ ad salutem: aliunde certum est Deum velle salutem ipsorum infantium ante usum rationis decedentium: ergo 3°, etc. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Ex verbis Christi, *Docete omnes gentes, baptizantes eos; qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*, fides præmittenda est Baptismo: atqui parvuli sunt incapaces fidei; ergo et Baptismi.

Dist. maj. Fides præmittenda Baptismo, pro adultis, *conc.*; pro infantibus, *nego maj.* Certum est quidem adultos baptizari non posse nisi credant: sed cum, ex una parte, Baptismus sit ad salutem omnino necessarius, et cum, aliunde, Deus, nedum excludat parvulos a salute, dixerit e contra: *Sinite parvulos, et nolite eos prohibere ad me venire; talium est enim regnum cælorum*, Matth. xix, 14, concludendum est Baptismum ipsis valide administrari posse: ergo. Unde, ut notat S. Aug., qui aliena peccavit voluntate, aliena justificatur fide, videlicet fide Ecclesiæ; id est fide qua Ecclesia scit parvulos in Baptismate justificari. *Credidit in altero, quia peccavit in altero.* Serm. 294, cap. 11, n. 12.

Fides autem virtute Baptismi infunditur in parvulos. Parvuli christiane educati, a fide habituali ad fidem actualem insensibiliter transeunt, sicut a principiis ingentis rationis ad actus rationales. Vide quæ diximus in Tractatu *de vera Ecclesia*, agendo de formatione actus fidei.

Obj. 2°. Repugnat graves obligationes Baptismo annexas alicui inscio imponi. Ergo.

R. Nego ant. Nam 1° filii tenentur servare multos contractus a patribus suis pro ipsis initos; 2° subjiciuntur legibus patriæ in qua inscii nascuntur; 3° infantes apud Judæos graves contrahebant obligationes circumcisioni annexas; cur repugnaret eos similiter apud nos contrahere obligationes per Baptismum impositas? 4° Omnes adulti qui volunt salvari, Baptismum suscipere tenentur: ergo nullus in infantia baptizatus conqueri potest injuriam sibi illatam fuisse, sed promissiones a sponsoribus pro ipso factas tenere obligatur, ut expresse definitur conc. Trid., sess. 7, de Bapt., can. 14.

Obj. 3°. Nullibi legitur in Scriptura infantes baptizatos esse, sed tantum adultos. Ergo.

R. 1°. Forte negari posset antecedens: in Actibus quippe Apostolorum legitur Paulum baptizasse 1° Lydiam purpurariam cum domo sua, Act. xvi, 15; 2° custodem carceris et domum ejus, Act. xvi, 33; 3° Stephanæ domum, I Cor. i, 16: quando autem tota domus baptizatur, valde probabile est etiam parvulos baptizatos esse. Ergo.

R. 2°. *Nego conseq.*, siquidem multa à Christo dicta vel instituta, ad nos per solam traditionem transmissa sunt, v. g., laicos ipsasque mulieres baptismum semper valide et quandoque licite administrare posse. Ergo.

PROPOSITIO SECUNDA.

Non solum valide, sed multum convenienter baptizantur parvuli.

Prob. 1° ex praxi Ecclesiæ, quæ parvulos semper baptizavit et baptizari voluit; 2° ex sanctis Patribus, qui, ut

S. Cypr. et S. Aug. superius citati, parvulos recens natos baptizandos esse docuerunt; 3° ex ratione, quia parvuli salvari non possunt nisi baptizentur: unde Tertull., S. Greg. Naz. et alii veteres differendum esse Baptismum contententes, volebant tamen baptizari parvulos in periculo mortis constitutos: at, nisi omnes baptizentur, multi peribunt defectu Baptismi, ii scilicet qui quicumque de causa subito morientur; 4° quamdiu non baptizantur, remanent in peccato, et immundo spiritui obnoxii sunt: atqui valde expedit ut ab hujusmodi servitute quamprimum liberentur, Christo inserantur et filii Dei constituentur. Ergo.

§ II. — De tempore quo parvuli baptizari debeant.

Ludovicus XIV, edicto anni 1698, præscripserat ut infantes intra viginti et quatuor horas post suam natiuitatem baptizarentur: hæc præscriptio ab episcopis fuit adoptata, et in Ritualibus adhuc reperitur inscripta. Nullam autem nunc habet vim in foro civili. Valde expedit ut infantes intra breve tempus, post suam natiuitatem, baptizentur, ne salus eorum periclitetur; non tamen damnandi essent parentes qui, patrinum aut matrinam expectantes, per duos aut tres dies differrent presentationem infantis ad Baptismum, ex consensu parochi, modo cautissime in eum invigilarent. In statutis synodalibus nostris anni 1851 prohibetur ne Baptismus ultra tres dies, sine licentia nostra, differatur: tit. III, cap. 2.

Solliciti debent esse parochi, ut parvuli in sua parochia nati ipsomet die natiuitatis vel saltem crastino baptizentur, et de hoc sæpe monere tenentur parochianos, privatim aut publice, prout opus erit.

Estimant theologi differre per longum tempus baptizare parvulum, etiam periclitari non apparentem, peccatum esse mortale: quid autem intelligendum sit per longum tempus, non sibi consentiunt; alii requirunt saltem unum mensem, alii quindecim aut viginti dies; alii, e contra, dicunt unum aut alterum diem absque causa sufficere; alii, ut *Tournely*, putant dilationem

extendi non posse ultra quinque aut sex dies : verum communius docent dilationem decem vel undecim dierum grave constituere peccatum. Bened. XIV, Inst. 98, n. 3 et seq.; S. Ligorius, l. 6, n. 118.

In diocesisibus autem in quibus speciali statuto præscribitur Baptismum intra viginti et quatuor horas conferri, non videtur a mortali excusari posse parochum aut vicarium qui, sine rationabili causa, parvulum ultra hoc tempus baptizandum remittit.

Si per longius tempus expectandum foret, petenda esset licentia conferendi Baptismum privatim et cæremônias differendi.

§ III. — De Baptismo parvulorum invitis eorum parentibus.

De validitate ejus non agitur : sive enim licite, sive illicite parvulis, invitis parentibus, conferatur, validus est, *ut patet* : tota igitur quæstio est an et quando licite conferri possit. Plurima certa sunt, videlicet :

1º Si parentes fuerint baptizati, sive catholici, sive hæretici sint, sive schismatici, sive apostatæ, proles eorum, ipsis invitis, licite baptizari possunt; hujusmodi enim parentes, ratione Baptismi, et eorum proles, ratione nativitatis, ad Ecclesiam pertinent : ergo Ecclesia potest, absque injuria, proles istas baptizare et parentibus auferre, aliisve christiane educandos committere. Ita Suarez, Layman, Natalis Alexander, Tournely, Drouin, Billuart, S. Ligorius, etc. Verum, ut observat Dens, sæpe filii parentibus baptizatis sine maximis incommodis auferri non possunt; tunc eos baptizare non expedit. Aliunde, cum plerique hæretici et schismatici infantes suos baptizent, salus eorum non evidenter periclitatur.

2º Filii infidelium usum rationis habentes et Baptismum postulantes, invitis parentibus, tacite baptizari possunt, quia in iis quæ sunt juris divini, naturalis vel positivi, incipiunt esse suæ potestatis : sic S. Th., 3 part., q. 68, art. 10, et cum illo generaliter theologi. Filii etiam minores, invitis parentibus sic baptizati, membra fiunt Ecclesiæ, quæ eos potest et debet, si possit, ab infideli-

bus, ob periculum perversionis, segregare. Ita multi, et præsertim Bened. XIV, in longa Instructione data, die 28 feb. 1747, archiep. Tarsan. vices gerenti, n. 29.

3º Filii infidelium, non solum in extremo, ut quidam volunt, sed probabilius in gravi mortis periculo, invitis et etiam reluctantibus parentibus, baptizari possunt ac debent, propter salutis necessitatem : hoc constat ex communi sensu doctorum, ex citata Instructione Bened. XIV, n. 7, et ex praxi missionariorum apud infideles degentium.

4º Filii infidelium extra curam parentum licite vel illicite positi, vel ab eis projecti aut derelicti, nec in potestatem eorum reversuri, baptizari debent; similiter et perpetuo amentes, licet in potestate parentum infidelium mansuri, quia nullum est periculum perversionis. Sic adhuc Bened. XIV, ibid. n. 9, et communiter auctores.

5º Licite baptizantur parvuli infidelium in bello capti, quia tunc lege belli ad parentes non pertinent. Sic iterum Bened. XIV, n. 7.

6º Similiter filii infidelium qui sunt mancipia Christianorum, invitis parentibus baptizari possunt, quia non ad parentes, sed ad dominos pertinent.

7º Item, si ex parentibus unus consentiat, altero reluctantante, aut si, mortuo patre, avus consentiat, matre renuente, proles baptizari potest : sic communiter theologi et Bened. XIV, ibid., n. 15 et 17.

Nunc igitur quæstio est an baptizare liceat filios infidelium non periclitantes et in potestate parentum remansuros.

PROPOSITIO.

Filios infidelium, extra casus supra expositos, invitis parentibus baptizare non licet.

Prob. 1º ex decreto Congregationis Sancti Officii, diei 3 martii 1763, id prohibentis; 2º ex Bened. XIV, Inst. citata, n. 23; 3º ex S. Thoma et consensu omnium doctorum; 4º ex ratione; vel enim infantes infidelium bap-

tizati parentibus relinquerentur, vel non : si prius, evidenti periculo perversionis et profanationis sacramenti exponerentur; si posterius, jus parentum violaretur. Ergo. 5^o Consuetudo Ecclesiæ optima est regula de doctrina ejus judicandi; atqui « non habet hoc Ecclesiæ contra » suetudo quod filii infidelium invitis parentibus baptizentur, » inquit S. Th., 3 part., q. 68, art. 10 : ergo.

Dices 1^o : Plurimi infantes ante usum rationis morientur, et si baptizati fuerint, salvabuntur : ergo licet eos invitis parentibus baptizare.

R. Nego conseq. ob duplicem rationem : 1^o quia, licet plurimi morituri sint, de nullo in particulari mors certa est vel præsumenda : de unoquoque igitur in particulari affirmari potest quod sacramentum evidenti periculo exponeretur; 2^o quia Christum noluisse ex consuetudine Ecclesiæ merito colligitur. Ergo.

Dices 2^o : Filius juste subtraheretur parentibus eum jugulare volentibus : ergo a fortiori eisdem subtrahi potest ne æternaliter pereat.

R. Nego conseq. et paritatem. Ratio disparitatis a voluntate Christi desumitur : efficere quidem potuisset Christus ut filii infidelium juste subtraherentur parentibus, quia, ut supremus Dominus, jura hominum transferre aut limitare potest. Scimus autem, ex doctrina et praxi Ecclesiæ, eum voluisse ut filii infidelium parentibus non subtraherentur causa Baptismi, ne forte, reluctans parentibus, inde orirentur graves perturbationes in ipsius religionis detrimentum; hoc nobis sufficere debet.

§ IV. — De Baptismo fetuum abortivorum.

Apud omnes constat fetum humanum ante partum naturalem anima rationali donari : unde Innocentius XI sequentem damnavit propositionem, n. 35, anno 1679 : « Videtur probabile omnem fetum, quamdiu in utero » est, carere anima rationali, et tunc primum incipere » eandem habere cum paritur. »

Quo præcise tempore fetus auimetur, non sibi con-

sentiunt auctores : multi volunt animam non infundi nisi in corpus bene organis instructum ; non requirunt tamen ut sit adauctum, roboratum et ad nativitatem idoneum. Unde, post Aristotelem, dicunt animam creari in maribus circa diem quadragesimum conceptionis, et in feminis circa diem octogesimum, quia in ea tantum ætate omnia incipiunt existere organa. Non videtur quo fundamento tanta instituatur differentia inter animationem masculi et animationem feminæ ; experientia enim constat gemellos diversi sexus bene formatos eodem partu nasci.

Cangiamila, auctor operis eruditi cujus titulus *Embryologia sacra*, 1 vol. in-f^o, multis exemplis probat fetus humanos longe ante quadragesimum diem animari, quod nunc fere omnes admittunt : quoniam vero nulla dari potest ratio cur animaretur die septimo, potius quam die tertio vel secundo, ut plures volunt, valde probabile est illum animari in ipso conceptionis initio. Vide opus *Cangiamila*, vel ejus compendium auctore *Dinouari*, aut dissertationem theologicam de baptizandis abortivis, apud *Dens*, ad calcem Tractatus de *Baptismo*.

Hinc colligitur 1^o fetum quantumvis parvum, si formam habeat humanam et vivat, baptizandum esse absolute; 2^o si vestigia humanitatis aut vitæ sint dubia, baptizandum esse sub conditione : *Si tu es homo et vivis*; 3^o aqua tepefacta utendum esse, si habeatur, ne fetus occidatur et etiam ante finitum baptisma moriatur; 4^o productionem mulieris informem baptizandam esse sub conditione, quoties non constat eam non esse humanam, aut non esse animatam, et si, aperto involucro, inveniatur fetus certo humanus, baptizandus est sub conditione : *Si tu non es baptizatus*; 5^o data opportunitate, monendam esse mulierem conjugatam, vel gravidam, intra confessionem, ut, si forte abortum experiat, curet fetum gratia Baptismi non privandum.

§ V. — De Baptismo fetus nondum nati.

Ubi infans aliquam partem corporis emittit in lucem,

et periculum mortis currere videtur, baptizandus est in ea parte, ut supra vidimus, p. 499.

Si ita maneat clausus in utero matris, ut aqua tangi nequeat, illicite tentaretur Baptismus, cum validus esse nequeat.

Verum, ex hypothese quod aqua, manu vel instrumento, ad infantem in utero matris inclusum vel ad secundinas eum involventes introduci possit, valetne Baptismus sic administratus? Duplex est sententia.

Communiter antiqui et recentiores non pauci negaverunt, his præsertim innixi rationibus: 1° Per Baptismum renascimur, ex verbis Christi: *Nisi quis renatus fuerit*, etc., et infans nondum natus renasci non potest: ergo. 2° Hanc sententiam ex professo defendit S. Th., 3 part., q. 68, art. 11, citans S. Aug. 3° Sic se habet Rituale Romanum, tit. de Baptizandis parvulis: « Nemo in utero » matris clausus baptizari debet. » Ergo.

Alii vero multi recentiores oppositam tenendam esse sententiam contendunt: 1° quia infans animatus, licet in utero matris adhuc inclusus, recte dici potest natus, per oppositionem ad nihilum, sicut angelus dixit de Christo in utero B. Virginis Mariæ concepto: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est*, Matth. 1, 20; 2° infans in utero matris sufficienter natus est ut peccatum originale contrahat: ergo et ut remedium contra illud peccatum ei applicetur; 3° Rituale supposebat aquam ad infantem in sinu materno reclusum pervenire non posse: igitur auctoritas ejus nobis non adversatur; 4° ex doctorum conflictatione nascitur saltem dubium: at in dubio pars tutior est eligenda: ergo. Unde sapientissimus Benedictus XIV, de Synodo diceces., l. 7, cap. 5, n. 6, docet obstetrices hujusmodi infantem baptizare debere sub conditione, et si infans foras prodeat, iterum sub conditione baptizandum esse. Parochi igitur obstetrices et chirurgos, pro sua prudentia, monere debent de hoc munere ab ipsis, data occasione, implendo.

§ VI. — De operatione cæsarea.

Hæc operatio vocatur cæsarea, vel a Julio Cæsare qui, ut refertur, per incisionem ex utero matris suæ in lucem editus est, vel a verbo *cædere*: fieri potest in muliere viva cujus partus judicatur impossibilis, vel in muliere mortua quæ est gravida. Pro utroque casu remittimus ad compendium Embryologiæ sacræ gallice scriptum, quod existit in calce Opusculi nostri diaconis et presbyteris destinati.

§ VII. — De Baptismo monstrorum.

Productio mulieris, quantumvis monstruosa, generatim baptizanda est vel absolute, si formam habeat humanam, v. g. caput et pectus; vel conditionate, si indicia humanitatis sint tantum dubia, et tunc adhibetur forma: *Si tu es capax, ego te baptizo*, etc. Si nulla appareant vestigia humana, caute examinandum est an sub monstruosa hac forma fetus humanus non lateat, et quamdiu aliquod remanet dubium, Baptismus conferendus est sub conditione: *Si tu es homo*, etc.

Si constaret, quod incredibile est, productionem venire ex commercio mulieris cum bruto masculini sexus, baptizanda non esset, quia ex semine Adam non descenderet; secus, si ex congressu viri cum bestia generata fuisset. Sic *Bonacina*, plures alios citans, *Tournely*, S. Ligorius, etc.

Dubium esse potest an monstrum formam humanam certo habens, sit unus homo, vel plures homines: si unum sit caput et pectus, licet quatuor brachia et quatuor crura existant distincta, unicum est individuum completum, et ideo unicus conferendus est Baptismus more consueto: si vero duo sint capita et duo pectora, duos habentia tantum pedes sibi communes, duo judicantur esse individua, seorsim baptizanda, nisi periculum mortis immineat; tunc « poterit minister, » inquit Rituale Rom. « singulorum capitibus aquam infundens, omnes simul » baptizare, dicendo: *Ego vos*, etc. »

Si duo essent capita et unicum pectus, duplex confereendus esset Baptismus, unus super unum caput absolute, et alter super aliud caput, dicendo : *Si tu es alius homo*. Item si unicum esset caput et duo pectora, primo baptizandum foret caput cum intentione sacramentum conferendi individuo cuius est caput; deinde, infundendo aquam super utrumque pectus, cum intentione baptizandi individuum non baptizatum, in hypothesi quod adsit, dicendum esset : *Si alius es homo capax, ego te*, etc.

§ VIII. — De infantibus expositis et aliis domi baptizatis.

Constat, ex dictis, Baptismum sub conditione iterandum esse quoties dubitatur an valide fuerit collatus. Unde vel infans expositus habet schedulam eum baptizatum esse attestantem, vel non; si huiusmodi schedulam non habeat, baptizandus est, *ut patet*: si autem talem habeat schedulam, considerandum est an scriptura sit alicujus sacerdotis bene noti, vel non: in priori casu, Baptismus habendus est ut certus; in posteriori vero, iterandus est sub conditione. *Hæc decisio sequitur ex dictis, et probatione non indiget.*

Quando infans domi baptizatus in ecclesia præsentatur ad Baptismum, quærendum est quomodo fuerit baptizatus. Si, omnibus sedulo perpensis, aliquod remaneat dubium circa validitatem Baptismi ejus, iterum baptizandus est sub conditione.

Temere vero iterari non debet Baptismus certo collatus etiam a laico vel a muliere, ob solum apprehensum prioris Baptismi vitium, nullaque præmissa veritatis indagazione: *ita fere omnes*; et Benedict. XIV æstimat sic agentes irregularitatem contra rebaptizantes statutam incurrere, idque multis rationibus et auctoritatibus probat, Inst. 84, et de Synodo diœces. l. 7. n. 3, citans decisionem Congregationis concilii Trid., diei 27 martii 1683. Similiter Catech. concil. Trid., loquens de iis qui temere rebaptizant, ait, ubi de effectibus Baptismi: « Quod quidem sine sacrilegio facere non possunt, et eam maculam suscipiunt quam divinarum rerum

» scriptores irregularitatem vocant. » Ergo Baptismum sub conditione iterare non licet, nisi, veritate explorata, de valore ejus rationabile dubium existat.

Sed petere solent theologi an Baptismus ab obstetricibus aut laicis datus haberi debeat ut dubius et generatim iterandus sit. Affirmat Sylvius, t. iv, citans Pastorale Mechliniense, synodum Ipreensem, etc. Cæteri vero negant, contenduntque veritatem exquirendam esse.

Plures theologi et synodi diœcesanæ statuunt plenam fidem non adhibendam esse solius obstetricis vel chirurgi testimonio, nisi comprobetur assertione aliorum qui Baptismo præsentés fuerint.

In Synodo nostra diœcesana anni 1851 habetur: « Pa- » rochi non omittant docere fideles ac pueros quos cate- » chizant, necessitatem et modum baptizandi infantem » periclitantem, ut, casu adveniente, omnes sciant bap- » tizare et sine cunctatione baptizent coram duobus tes- » tibus, si fieri potest, qui de modo quo Baptismus fuerit » collatus, testimonium reddent. » Tit. III, cap. 2.

Parochi igitur monere debent obstetrices et chirurgos 1º ut extra necessitatem non baptizent; 2º ut in necessitate baptizantes, advocent testes, si possibile sit, qui factum inspiciant; 3º ut, si infans supervivat, testes eum comitentur ad ecclesiam, et a sacerdote baptizaturus separatim interrogati, simpliciter referant quid viderint.

Generatim baptizandi sunt sub conditione infantes domi baptizati: 1º si testes sibi non concordent, quando adsunt; 2º si deponere nolint; 3º si persona quæ baptizavit venire recuset, aut si in declaratione sua hæsitet. Si, e contra, sit proba, religiosa, sana, de modo rite baptizandi bene instructa, et lucide testificetur se infantem quem præsentat modo præscripto baptizasse coram testibus qui absunt, nec statim accersiri possunt, licet postea interrogari valeant, tunc, cum nulla est ratio de valore hujus Baptismi dubitandi, supplendæ sunt cæremoniæ, et deinde, interrogatis testibus, si rationabile exsurgeret dubium, Baptismus iterum sub conditione conferretur absque cæremoniis.

Attendenda tamen est doctrina Benedicti XIV, de Synod. diocæs. l. 7, c. 6, n. 4, ubi expresse hæc leguntur: « Verum quamquam ex plurium attestatione major » profecto hauriatur rei gestæ certitudo, attamen sacri » canones sufficienter probatam habent collationem Baptismatis per unum testem, præcipue si is testificetur » de facto proprio, hoc est, si affirmet illud a se fuisse » legitime administratum, nec quidquam in contrarium » concurrat quod illius testimonio fidem detrahat; uti diserte decernitur in can. 110 et 112 de Consecrat., dist. 4, » et cap. *Nuper*, de Testibus, ubi interpretes omnes. »

ARTICULUS SECUNDUS.

DE BAPTISMO ADULTORUM.

Non est dubium quin adulti subditi sint Baptismo et ad illum, recte dispositi, admitti debeant, cum illos directe respiciant verba Christi *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos*.

Certum est neminem invitum baptizandum esse, nec valide baptizari posse: id sequitur ex dictis in Tractatu de Sacramentis in genere, p. 468, et expresse declarat Innocentius III, in Decretal. l. 3, tit. 42, cap. 3, dicens: « Ille vero qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem nec characterem suscipit sacramenti (Baptismi). » Secus, si quis ex metu ad suscipiendum Baptismum sese determinaret: veram enim haberet intentionem sacramentum suscipiendi. Unde qui ex jussu et minis Baptismum petierunt, valide baptizati sunt quamvis hæc via sit injusta, odiosa, a ratione et religione reprobata.

Solæ igitur quæ hic moveri possunt difficultates spectant 1º dispositiones in adultis requisitas ad Baptismum, 2º catechumenatum, et 3º hæreticos ad Ecclesiam catholicam redeuntes: de quibus brevissime acturi sumus.

§ I. — De dispositionibus requisitis in adultis ad Baptismum.

Ad validitatem Baptismi et characteris impressionem solus requiritur suscipientis consensus: verum, ut jus-

tificatio vi sacramenti suscipiatur, fides et contritio necessariae sunt illi.

1º *Fides*. Id quippe patet 1º ex verbis Christi, Marc. XVI, 16: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit*; 2º ex facto eunuchi qui Baptismum petiit a Philippo, Act. VIII, 36, dicens: *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet*; 3º ex verbis B. Pauli, Hebr. XI, 6: *Sine fide impossibile est placere Deo*. Qualis autem hæc esse debeat fides ut sufficiat, dicitur in Tractatu de Fide.

2º *Contritio*. Probatur enim in Tractatu de Pœnitentia contritionem in genere necessariam esse jure divino et naturali ad justificationem: cum autem justificatio per Baptismum, sicut per Pœnitentiam, obtineri debeat, sequitur eandem requiri contritionem, videlicet saltem contritionem imperfectam cum aliquo Dei amore, sive spei, sive benevolentiae. Unde B. Petrus, Act. II, 38, ad Judæos petentes quid facere deberent: *Pœnitentiam agite, inquit, et baptizetur unusquisque vestrum*.

Sicut ergo peccatores præparandi et probandi sunt antequam absolvantur, sic et adulti priusquam baptizentur: non tamen præcepto confessionis astringuntur, quamvis conscientiam suam utilissime aperirent, ut tutius dirigi et convenientius præparari possent.

Queritur an amentes et furiosi baptizari possint.

R. Perpetuo amentes habendi sunt ut parvuli et iisdem regulis subiciuntur quoad Baptismum. Qui vero rationis usum habuerunt, et postea in amentiam vel in phrenesim lapsi sunt, vel, dum ratione utebantur, desiderium suscipiendi Baptismum manifestaverunt, vel non: in priori casu baptizandi sunt, quia præsumitur desiderium Baptismi in eis perseverare, aut saltem contrarium non constat, et hoc sufficit ut sacramentum periculo nullitatis non exponatur: in posteriori casu baptizari non possunt, defectu intentionis omnino requisitæ.

§ II. — De catechumenatu.

Catechumeni, sic dicti a verbo græco, *κατηχίζω*, idem

significante ac viva voce prima elementa docere, ii intelligebantur homines qui a catechistis erudiebantur, et ad Baptismum præparabantur. Triplicis gradus olim distinguebantur, ut communius docent auctores et præsertim P. Martène, de antiquis Ecclesiæ Ritibus, t. 1, scilicet, audientes, electi et competentes.

Audientes ii dicebantur qui, Baptismum suscipere desiderantes, admittebantur ad catechismum ut elementa fidei discerent: ipsis permittebatur audire verbum Dei in ecclesia et cæremoniis Missæ usque ad Offertorium assistere; tunc dicente diacono: *Catechumeni, discedite*, egrediebantur: et ideo pars ista Missæ vocata est Missa Catechumenorum.

Electi vocabantur illi qui, absoluto catechumenatus tempore, per scrutinia reperti erant digni ut ad gratiam Baptismi admitterentur: hæc scrutinia incipere solebant secunda Quadragesimæ hebdomada, et præcipuum habebatur Romæ feria quarta Majoris hebdomadæ.

Competentes ii erant qui sufficienter docti, probati et capaces reperti, petebant et rogabant ut sacramentum regenerationis sibi conferretur. Solemniter baptizari solebant in vigilia Paschæ aut Pentecostes.

Alii *audientes*, *genustectentes* et *competentes* numerant, alii solum *audientes* et *competentes*, ut videre est apud Drouin, Ferraris, Billuart, Fleury, etc.

Tempus catechumenatus varium fuit et a prudentia episcoporum pendebat: primum statim conferebatur Baptismus iis qui sufficienter instructi erant et credebant, ut constat exemplo Cornelii, eunuchi reginæ Candacis, trium et quinque millium una et altera die ab Apostolis baptizatorum: postea diversa statuta sunt tempora, v. g., octo vel sex menses, et communius quadraginta dies.

Ritus autem instituendi catechumenos apud veteres situs erat præsertim in signo crucis, impositione manuum cum oratione, exorcismis, insufflatione in faciem, tactibus sputi in nares et aures, olei sancti unctione in pectore et scapulis, etc. Nunc cæremonia catechumenatus fit immediate ante Baptismum.

Qui munus apostolicum apud infideles impleturi sunt regulis pro his regionibus præscriptis stare debebunt, et cavere ne nimia facilitate indignos vel incapaces admittant ad Baptismum.

§ III. — De hæreticis ad Ecclesiam redeuntibus.

De fide est Baptismum ab hæreticis collatum non ideo esse nullum: non licet ergo iterare hoc sacramentum, præcise quia ab hæreticis fuit administratum. Unde sacra Congregatio concilii interrogata, *an et in quibus casibus hæretici debeant sub conditione rebaptizari, si ad fidem catholicam convertantur*, respondit, die 27 martii 1682, non esse rebaptizandos, nisi dubium adsit probabile invaliditatis Baptismi.

Itaque qui authenticis documentis ostendunt se baptizatos fuisse apud hæreticos vel schismaticos essentialem baptizandi ritum retinentes, v. g., apud Græcos, aut in secta vulgo dicta *la petite Eglise*, non iterum baptizandi sunt. Si, e contra, veniant e secta in qua aliquid essentielle quandoque omittitur, requirendus est modus quo Baptismus fuerit administratus: si, exquisitioe facta, dubium adhuc remaneat, aut si exquisitio propter aliquod impedimentum sit impossibilis, iterandus est sub conditione Baptismus.

Juxta Sylvium, *Tournely*, Bened. XIV, de Synodo diocæ., l. 7, cap. 6, n. 7 et 8; S. Ligorium, l. 6, n. 137; *Dens*, etc., Baptismus ab Anglis, Lutheranis et Calvinisticis collatus, ut dubius merito habetur, nisi de ritu adhibito certo constet, ac consequenter sub conditione iterandus est, quia, cum illi hæretici Baptismi necessitatem pro filiis fidelium non admittant, minus sollicitè curant omnia essentialia observari, v. g., aquam rosaceam honoris causa adhibent, unius infundit aquam et alter pronuntiat verba, vestes et non carnem tingunt, etc.

Cum autem posterior Baptismus certus esse non possit, dubium est an remittat peccata post priorem Baptismum commissa: ea igitur hæreticus ad gremium Ecclesiæ re-

diens confiteri tenetur et ab eis absolvi debet, sive ante, sive post iterationem Baptismi.

CAPUT SEPTIMUM.

DE CÆREMONIIS BAPTISMI.

Ad cæremonias Baptismi referuntur patrinus, matrina et nomina baptizandis imponenda. Dicemus igitur 1^o de patrinis et matrinis, 2^o de nominibus imponendis, 3^o de cæremoniis proprie dictis, et 4^o de Baptismi registro.

ARTICULUS PRIMUS.

DE PATRINIS ET MATRINIS IN BAPTISMO.

Patrini dicti sunt, apud veteres *susceptores, sponsores, fide jussores, levantes*, etc. Eorum antiquitas, necessitas, qualitas, obligationes et numerus breviter expendi debent.

1^o *Antiquitas*. Mos adhibendi patrinos est antiquissimus in Ecclesia; illius enim mentionem faciunt Tertullianus de Baptismo, cap. 18, S. Aug. variis in locis, etc., et semper fuit in usu. Rationem hujus institutionis, quæ a Christo vel ab Apostolis facta est, explicat S. Th., 3 part., q. 67, art. 7: « Spiritus regeneratio, quæ fit » per Baptismum, *inquit*, assimilatur quodam modo generationi carnali..... in generatione autem carnali parvulus nuper natus indiget nutrice et pædagogo; unde » et in spiritali generatione Baptismi requiritur aliquis qui fungatur vice nutricis et pædagogi, informando et instruendo eum quasi novitium in fide. »

2^o *Necessitas*. In Baptismo privato non adhibetur patrinus, nec matrina; in solemnibus autem necesse est adhibere patrinum et matrinam, ex usu, vel unum, sive virum, sive mulierem, ut aiunt conc. Trid., sess. 24, cap. 2 de Reform. Matrim., et Rituale Rom. Solemniter baptizare sine patrinis et matrina, aut saltem sine uno, peccatum esset mortale. Ita S. Ligorius, l. 6, n. 169, et

plures apud ipsum, qui etiam volunt gravis peccati reum esse parochum qui ad Baptismum admittit patrinum non designatum, quia ex conc. Trid. parentum est eum designare.

Monet *Dens*, t. v, potius baptizandum esse *solemniter sine patrinis, quam cum hæretico, quia ex duobus malis minus est eligendum*. Hanc teneri posse regulam docemus non solum ubi agitur de hæretico, sed de alio certe excludendo, ut apostata, scandaloso, etc.

Concil. Rhedonense anni 1849 sic statuit, decreto XIII: « Patrinus et matrina simul, ut mos est receptus apud nos, adhibeantur, ita tamen ut, in casibus difficilioribus, parochis alterutrum tantum admittere liceat. Si accidat ut unus tantum adhibeatur, jam ad sacram communionem accesserit, etc. »

3^o Ad officium patrini vel matrinæ admitti non debent 1^o pater et mater baptizandi, 2^o infideles, 3^o hæretici, 4^o publice excommunicati vel interdicti, 5^o apostata a fide, a religione vel ab Ordine sacro, 6^o publice criminosi, si infamia eorum nulla tergiversatione celari possit, ut concubinarij secum viventes et liberos suos agnoscetes, conjuges civiliter tantum uniti, etc. Cavendum est ne, ob solum rumorem scandali vel impietatis, aliquis repellatur, quia exigere posset ut allegatio juridice probaretur, et inde multa incommoda. 7^o Ritualia inter excludendos reponunt eos qui rudimenta fidei ignorant, qui ad sacram synaxim non accedunt, saltem in Paschate, etc. Recentiores episcopi statuerunt eos admitti posse qui aliqua saltem fidei catholicæ exhibent signa, v. g., identidem Missæ sacrificio assistunt, etiamsi Symbolum fidei recitare non possent aut nollent. Sane parochi hortari debent parentes, quantum prudentia sinit, ut digniores exhibeant personas; verum, in necessitate, minus malum eligendum est. Vid. conc. Rhed. citatum.

Excludendi sunt insuper 1^o insani et infantes rationis usum non habentes; 2^o impuberes, ex Rituali Romano: attamen si unus sit pubes, sufficit, ex consuetudine, alterum usum rationis habere; 3^o religiosi et sanctimo-

diens confiteri tenetur et ab eis absolvi debet, sive ante, sive post iterationem Baptismi.

CAPUT SEPTIMUM.

DE CEREMONIIS BAPTISMI.

Ad ceremonias Baptismi referuntur patrinus, matrina et nomina baptizandis imponenda. Dicemus igitur 1° de patrinis et matrinis, 2° de nominibus imponendis, 3° de ceremoniis proprie dictis, et 4° de Baptismi registro.

ARTICULUS PRIMUS.

DE PATRINIS ET MATRINIS IN BAPTISMO.

Patrini dicti sunt, apud veteres *susceptores, sponsores, fide jussores, levantes*, etc. Eorum antiquitas, necessitas, qualitas, obligationes et numerus breviter expendi debent.

1° *Antiquitas*. Mos adhibendi patrinos est antiquissimus in Ecclesia; illius enim mentionem faciunt Tertullianus de Baptismo, cap. 18, S. Aug. variis in locis, etc., et semper fuit in usu. Rationem hujus institutionis, quæ a Christo vel ab Apostolis facta est, explicat S. Th., 3 part., q. 67, art. 7: « Spirituality regeneratio, quæ fit » per Baptismum, *inquit*, assimilatur quodam modo generationi carnali..... in generatione autem carnali parvulus nuper natus indiget nutrice et pædagogo; unde » et in spiritali generatione Baptismi requiritur aliquis qui fungatur vice nutricis et pædagogi, informando et instruendo eum quasi novitium in fide. »

2° *Necessitas*. In Baptismo privato non adhibetur patrinus, nec matrina; in solemnibus autem necesse est adhibere patrinum et matrinam, ex usu, vel unum, sive virum, sive mulierem, ut aiunt conc. Trid., sess. 24, cap. 2 de Reform. Matrim., et Rituale Rom. Solemniter baptizare sine patrinis et matrina, aut saltem sine uno, peccatum esset mortale. Ita S. Ligorius, l. 6, n. 169, et

plures apud ipsum, qui etiam volunt gravis peccati reum esse parochum qui ad Baptismum admittit patrinum non designatum, quia ex conc. Trid. parentum est eum designare.

Monet *Dens*, t. v, potius baptizandum esse *solemniter sine patrinis, quam cum hæretico, quia ex duobus malis minus est eligendum*. Hanc teneri posse regulam docemus non solum ubi agitur de hæretico, sed de alio certe excludendo, ut apostata, scandaloso, etc.

Concil. Rhedonense anni 1849 sic statuit, decreto XIII: « Patrinus et matrina simul, ut mos est receptus apud nos, adhibeantur, ita tamen ut, in casibus difficilioribus, parochis alterutrum tantum admittere liceat. Si accidat ut unus tantum adhibeatur, jam ad sacram communionem accesserit, etc. »

3° Ad officium patrini vel matrinæ admitti non debent 1° pater et mater baptizandi, 2° infideles, 3° hæretici, 4° publice excommunicati vel interdicti, 5° apostata a fide, a religione vel ab Ordine sacro, 6° publice criminosi, si infamia eorum nulla tergiversatione celari possit, ut concubinarij secum viventes et liberos suos agnoscetes, conjuges civiliter tantum uniti, etc. Cavendum est ne, ob solum rumorem scandali vel impietatis, aliquis repellatur, quia exigere posset ut allegatio juridice probaretur, et inde multa incommoda. 7° Ritualia inter excludendos reponunt eos qui rudimenta fidei ignorant, qui ad sacram synaxim non accedunt, saltem in Paschate, etc. Recentiores episcopi statuerunt eos admitti posse qui aliqua saltem fidei catholicæ exhibent signa, v. g., identidem Missæ sacrificio assistunt, etiamsi Symbolum fidei recitare non possent aut nollent. Sane parochi hortari debent parentes, quantum prudentia sinit, ut digniores exhibeant personas; verum, in necessitate, minus malum eligendum est. Vid. conc. Rhed. citatum.

Excludendi sunt insuper 1° insani et infantes rationis usum non habentes; 2° impuberes, ex Rituali Romano: attamen si unus sit pubes, sufficit, ex consuetudine, alterum usum rationis habere; 3° religiosi et sanctimo-

niales, Decret. 3 part. de Consecrat., dist. 4, can. 103 : eo canone clerici sæculares non excluduntur, quamvis eadem fere pro ipsis ac pro religiosis esse videatur exclusionis ratio. Unde non raro videmus sacerdotes munere patrini fungentes et infantem simul baptizantes. Duo conjuges patrinus et matrina ejusdem infantis non sui esse possunt. S. Ligorius, l. 5, n. 157.

4º Patrini et matrinæ gravem contrahunt obligationem curandi ut baptizatus in fide et vita christiana recte instruat et educetur; ad hoc enim tenentur, non tantum ex charitate et pietate, inquit Dens, sed etiam ex justitia et quasi contractu fidejussionis, defectu tamen parentum, et quantum moraliter possunt. Contrahunt præterea cognationem spiritualem, non inter se, sed cum baptizato et parentibus ejus: de ea in Tractatu de Matrimonio et in Supplemento dicendi est locus.

5º Numerus. Conc. Trid., capite citato, « statuit ut » unus tantum, sive vir sive mulier, juxta sacrorum » canonum instituta, vel ad summum unus et una baptizatum de Baptismo suscipiant. » Graviter igitur peccaret sacerdos baptizans, qui plures quam duos admitteret: omnes tamen cognationem spiritualem induerent. Est sententia communis.

Officium patrini aut matrinæ per procuratorem exerceri potest, et tunc non procurator, sed solus principalis cujus vices gerit, obligationem et cognationem spiritualem contrahit, modo ante Baptismum positive consenserit, et procuratorem designaverit aut licentiam eum designandi alicui dederit: sola ratihabitio facti non sufficeret.

Qui officio patrini et matrinæ in supplendis cæremoniis funguntur, cognationem spiritualem non contrahunt, quia sacramentum non confertur; non tamen omittendi sunt, alioquin cæremoniarum unitas non servaretur. Probabilius ad officium instruendi baptizatum tenentur, siquidem pro illo respondent, et sponsores se constituunt.

In fine Baptismi monendi sunt patrini et matrinæ,

1º de obligatione qua detinentur invigilandi in baptizati educationem, 2º de cognatione spirituali quam contraherunt, et 3º de præcepto ne infans, ob periculum suffocationis, cum matre, nutrice vel alia persona in eodem lecto decumbendus collocetur. Non tamen culpæ, saltem gravis, accusanda est mulier quæ infantem implacabilem quandoque, cum omni sollicitudine cujus est capax, in lectum suum reponit. Ita Tournely, S. Ligorius et communiter theologi.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE NOMINIBUS BAPTIZANDO IMPONENDIS.

Nulla existit lex ecclesiastica præscribens nomen sancti vel sanctæ imponi in Baptismo; est pius usus a quo juvat non recedere. De hoc S. Pius V et Paulus V monent, nihil vero præcipiunt. Sic enim se habet Rituale Pauli V: « Et quoniam iis qui baptizantur, tanquam » Dei filiis in Christo regenerandis et in ejus militiam » ascribendis, nomen imponitur, curet (sacerdos) ne ob » scena, fabulosa, aut ridicula, vel inanium deorum, » vel impiorum, ethnicorum hominum nomina imponantur; sed potius, quatenus fieri potest, sanctorum » quorum exemplis fideles ad pie vivendum excitentur » et patrociniis protegantur. »

Torqueri igitur non debent sacerdotes quia sibi proponuntur nomina ignota, et nesciunt an sanctorum sint, vel non: suadeant patrinis et matrinis ut nomina sanctorum certe notorum, et unicum, quantum fieri potest, imponant; et tamen alia, nihil indecens aut incongruens significantia, non respuant obstinate.

Convenientius imponuntur nomina sanctorum Novi Testamenti; sed nomina personarum notabilium Veteris Testamenti, ut Abraham, Isaac, Jacob, David, Tobie, Susannæ, etc., sine scrupulis admitti possunt.

Similiter, quamvis magis decere videatur ut nomina sanctorum imponantur masculis, et nomina sanctarum

feminis, non raro tamen nomina sanctorum dantur maribus, et frequentius nomina sanctorum feminis.

Ut anxietates et errores circa nomina sanctorum et sanctorum eorumque terminationem latinam vitentur, utile est habere editionem Ritualis, ad cujus calcem existit catalogus in utraque lingua, gallica et latina, vel Martyrologium Romanum in linguam nostram versum, 1 v. in-4^o vel in-f^o.

ARTICULUS TERTIUS.

ALERE FLAMMAM
VERITATIS DE CEREMONIIS BAPTISMI.

Omnes illæ cæremoniæ in Rituali describuntur, et unusquisque eas ediscere et in omni Baptismo solemniter sequi tenetur sub peccato mortali aut saltem veniali, juxta ea quæ in Tractatu *de Sacramentis in genere* diximus, p. 477 et 478.

Aliæ Baptismum præcedunt, aliæ eum comitantur, et aliæ subsequuntur.

Præcedentes eæ sunt quæ ante introitum fontis baptismalis fiunt: sunt 1^o solemniter aquæ baptismalis benedictio, quæ fit in pervigiis Paschæ et Pentecostes, eo quod ordinariè Baptismus solemniter his tantum diebus conferebatur; 2^o impositio nominis; 3^o signum crucis in fronte et in pectore, ut discat baptizatus nunquam de fide erubescendum esse; 4^o exorcismus eum trina insufflatione in faciem baptizandi, ad expellendum dæmonem; 5^o impositio manus super caput baptizandi, ad significandum eum dæmoni arreptum tanquam victimam viventem, soli Deo consecrandum esse; 6^o intromissio salis benedicti in os illius, ut exprimat eum juxta sapientiæ regulas loqui debere; 7^o linifio salivæ in aures ejusdem, ut pateant cœlesti doctrinæ, et in nares, ut baptizatus odorem vitæ æternæ percipiat.

Deinde baptizandus in ecclesiam introducit et ad fontes baptismales, patrino et matrino Symbolum fidei recitantibus, ducitur.

Cæremoniæ quæ Baptismum comitantur, sunt: 1^o abrenuntiationes Satanæ, operibus et pompis ejus; 2^o linifio olei catechumenorum in pectore et inter scapulas, ad sancte cogitandum et jugum Christi fortiter portandum; 3^o interrogatio et confessio fidei; baptizandus enim interrogatur circa fidem, et per fidejussores suos respondet, *Credo*, etc.; 4^o petitio Baptismi; sacerdos quippe dicit: *Vis baptizari?* et sponsores nomine baptizandi respondent: *Volo*. Tunc sacramentum confertur.

Cæremoniæ quæ sequuntur Baptismum, sunt: 1^o unctio sancti chrismatis in vertice baptizati, ut intelligat se jam Christo capiti tanquam membrum esse conjunctum. Notandum semper utendum esse oleo et chrismate anno currenti, feria quinta in Cæna Domini, ab episcopo benedictis, et qui veteribus uteretur, seclusa necessitate, graviter peccaret. 2^o Impositio linteoli, loco antiquæ vestis albæ, ad exprimendam mentis innocentiam. 3^o Traditio cerei accensi, quo denotatur charitas in anima tunc existens.

His ritibus olim addebantur 1^o osculum pacis, ad significandam optimam inter baptizatum et cæteros fideles fraternitatem; 2^o lactis et mellis delibatio, cujus meminit Tertull., lib. de Corona, cap. 3: ea designabatur nova in Christo infantia, quam sic exhibet B. Petrus, I Epist. ii, 2: *Sicut modo geniti infantes, rationabile, sine dolo, lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem.*

Quædam speciales præscribuntur cæremoniæ pro Baptismo adulterorum: sedulo ediscendæ et observandæ sunt. *Queritur* 1^o an cæremoniæ supplendæ sint iis, sive parvulis, sive adultis, qui privatim baptizati sunt.

R. Communiter docetur cæremonias sub gravi aut ad minus sub levi peccato supplendas esse infantibus catholicorum, ex licentia episcopi, vel ex necessitate, aut alia ex causa, privatim baptizatis: ita S. Th., S. Liguorius, etc.

« Quod tamen non est moris in hæreticis conversis, inquit *Layman*, cap. 8, n. 10, ne plebs putet nos eorum » Baptismum improbare. » Unde supplemus cæremonias

infantibus apud hæreticos recte baptizatis, si parentes postulent, et adultis si desiderent. Consulendus est episcopus pro adultis, non pro infantibus, qui alterius non sunt conditionis quam infantes ab aliis personis baptizati.

Si Baptismus solemniter administratus nulliter fuerit collatus, aut si, cæremoniis solemniter suppletis, deprehendatur Baptismus fuisse nullum, communius dicunt theologi sacramentum sine cæremoniis iterandum esse; ratio eorum est, quod in sacramentis characterem imprimentibus non sit « aliquid iterandum, sed caute sup- » plendum id quod incaute fuerit prætermissum; » Decretal. lib. 1, tit. 16, cap. 1. Alii vero multi docent cæremonias cum sacramento iterandas esse, nisi aliqua ratio scandalali aut infamiæ baptizantis aut baptizati aliud suadeat, quia cæremoniæ pro honore sacramenti institutæ sunt: ergo, extra necessitatem, sacramentum ab illis separari non debet, et aliunde principale trahit accessorium. Posterior hæc sententia ut tutior sequenda est in praxi.

Quæritur 2º utrum in Baptismo verum emittatur votum vivendi secundum leges christianas.

R. Non emittitur votum proprie dictum, sed latum, et mero proposito recte vivendi æquivalens: unde qui vota et promissiones Baptismi renovant, nihil aliud faciunt quam voluntatem juxta legem christianam vivendi iterare. Sed hæc obligatio ex ipsamet Baptismi susceptione oritur, ac proinde baptizatos in infantia solemniter vel sine cæremoniis tenet obstrictos, sicut baptizatos in adulta ætate.

Peccata igitur baptizatorum graviora sunt, cæteris paribus, et specialem habent malitiam, ratione ipsius sacramenti: hæc tamen circumstantia non declaranda est, quia sufficienter intelligitur.

ARTICULUS QUARTUS.

DE REGISTRO BAPTISMALI.

Rituale Romanum aliaque Ritualia præcipiunt ut nomina baptizati, ejus parentum ac susceptorum, in libro parochiali, vulgo dicto *registre*, diligenter inscribantur, antequam assistentes discedant, ut qui scribere norunt chirographum apponant. Hæc inscriptio necessaria est 1º ut perpetuo constet Baptismus rite fuisse collatum; 2º ut cognatio spiritualis certo detegi possit. Graviter igitur culpandus est parochus qui ex incuria acta Baptismi et Matrimonii exarare omittit, et exemplar completum ad archiva episcopalia singulis annis transmittere negligit.

Caute procedere debet, in conficiendis hujusmodi actis, quando baptizandi sibi exhibentur filii naturales, vel adulterini, vel ex matrimonio civiliter tantum contracto nati: in primo casu, dicat *ex patre incognito*, nisi vir aliquis præsens coram testibus agnoscat se parvuli esse patrem et nomen suum in registro subscribat, si possit; nec matrem nominet, nisi publice noscatur, vel duo saltem testes affirmant eam talem agnoscere infantem ut suum.

In secundo casu, is solus agnoscendus est pater qui mulieris est maritus, juxta vetus axioma in legibus nostris quoad substantiam insertum: *Ille est pater quem nuptiæ demonstrant*.

In tertio casu, dici non potest baptizatum ex legitimo matrimonio N. et N. natum esse; nec tamen prudenter diceretur eum ex matrimonio illegitimo ortum esse: dicendum est ergo eum natum esse ex N. et N. civiliter conjugatis.

TRACTATUS DE CONFIRMATIONE.

Illud sacramentum variis donatur nominibus, tum in Scriptura sacra, tum apud sanctos Patres; dicitur enim *manuum impositio, chrisma, chrismatis unctio, chrisma salutis, chrisma sanctum, signaculum spirituale, signaculum Dominicum, signaculum vite aeternae, perfectio*, et tandem usitato nomine apud Latinos *Confirmatio*, et apud Græcos *Chrisma*. Definitur: *Sacramentum novæ Legis, quo baptizatis datur plenitudo Spiritus sancti, ad firmiter credendum et ad fidem intrepide confitendam.*

Hunc dividemus Tractatum in octo capita. Primum erit de existentia illius sacramenti; secundum, de ejus materia; tertium, de ejus forma; quartum, de ejus ministro; quintum, de ejus effectibus; sextum, de ejus necessitate; septimum, de ejus subjecto et subjecti dispositionibus, et octavum, de ejus cæremoniis.

CAPUT PRIMUM.

DE EXISTENTIA SACRAMENTI CONFIRMATIONIS.

Quidam arbitrati sunt Novatianos, et serius Valdenses, Wiclefistas ac Hussitas Confirmationis existentiam negasse; sed id non constat. Certum est autem Lutheranos, Calvinistas omnesque alias Protestantium sectas, non vero Anglicanos, hoc blasphemando rejecisse sacramentum.

PROPOSITIO.

Confirmatio est sacramentum novæ Legis.

Prob. Illa certissime tenenda est propositio quæ est de fide, probatur Scriptura sacra, Patrum testimoniis et præscriptione: atqui talis est propositio nostra.

1° *Est de fide*, ut patet ex Deere to Eugenii IV ad Armenos, et ex conc. Trid., sess. 7, can. 1, ac specialiter de Confirmat., can. 1: « Si quis dixerit Confirmationem » baptizatorum otiosam cæremoniam esse, et non potius » verum et proprium sacramentum, aut olim nihil aliud » fuisse quam catechesim quamdam, qua adolescentiæ » proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia expone- » bant; anathema sit. » Ergo 1°.

2° *Prob. Scriptura sacra.* Act. Apost. viii, 17: *Tunc imponbant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum*; et xix, 5 et 6: *His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Jesu, et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, et loquebantur linguis et prophetabant.* Certe illa verba de sola Confirmatione intelligi possunt et sic de facto semper intellecta sunt: unde Confirmatio est proprie dictum sacramentum, si in illis verbis reperiantur conditiones ad constituendum sacramentum novæ Legis requisitæ: atqui in illis verbis reperuntur, etc., videlicet 1° signum sensibile, manuum impositio; 2° productio gratiæ, siquidem Spiritus sanctus non datur nisi per gratiæ sanctificantis effusionem; 3° institutio Christi, cum ille solus gratiam sanctificantem ritui externo annectere potuerit: ergo 2°.

3° *Ex SS. Patribus.* Tertull., lib. de Resurrectione carnis, cap. 8, sic ait: « Caro abluitur, ut anima emacule- » tur; ungitur, ut anima consecratur; caro signatur, ut » et anima Spiritu illuminetur; caro corpore et san- » guine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur. » Tria sacramenta, quæ simul conferebantur, Baptismus, Confirmatio et Eucharistia, evidenter hic exprimuntur.

S. Cypr., Epist. 37, agens de iis qui a Philippo diacono baptizati fuerant, ait: « Quia legitimum et ecclesias- » ticum Baptismum consecuti fuerant, baptizari eos » non oportebat, sed tantummodo quod deerat, id a Pe- » tro et Joanne factum est, ut, oratione pro eis habita, et » manu imposita, invocaretur et infunderetur super eos » Spiritus sanctus. »

S. Aug., contra litteras Petiliani Donatistæ, l. 2, c. 14:

« Et in hoc unguento sacramentum Chrismatis vultis
» interpretari, quod quidem in genere visibilium signa-
» culorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus. »
Quid clarius desiderari potest?

His testimoniis innumera alia, non minus clara, su-
peraddi possent. Ergo 3°.

4° *Præscriptione.* Ante Lutheranos et Calvinistas, om-
nes Ecclesiæ Occidentales Confirmationem inter sacra-
menta novæ Legis annumerabant, et ipsi negare nequeunt:
omnes Ecclesiæ Orientales, licet a se invicem divisæ,
idem tunc habebant et nunc habent sacramentum : unde
vel illa institutio ab ipso descendit Christo, vel decursu
temporum fuit introducta : at posterius omnino repu-
gnat, ob multas rationes; 1° quia ecclesiæ et sectæ a se
divisæ hanc communem non retinuerunt fidem, nisi
omnes persuasum semper habuissent eam a Christo
venire; 2° quia pastores in repellendis novitatibus pro-
fanis semper vigilantes fuerunt, ut perpetuis historiæ
ecclesiasticæ monumentis constat; 3° talis innovatio fieri
non potuisset quin multæ reclamaciones existissent :
atqui huiusmodi reclamacionum nullum exhibetur ves-
tigium, sed, e contra, unanimi secclesiarum, doctorum,
summerum Pontificum, conciliorum et Patrum, inveni-
tur consensio. Dicendum est ergo cum divo Aug. : « Quod
» universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed
» semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica
» traditum rectissime creditur. » Ergo 4°, etc.; aliun-
de, etc. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Per manuum impositionem, de qua fit mentio
in Actibus Apostolorum, conferebantur gratiæ gratis
datæ, ut patet his verbis : *Et loquebantur linguis et pro-
phetabant*; ergo male concluditur ritum hic descriptum
verum esse sacramentum.

R. Dist. ant. Conferebantur gratiæ gratis datæ, simul
et gratiæ gratum facientes, *conc.*; secus, *nego ant.* Et-
enim sæpe cum Spiritu sancto impertiebantur gratiæ

gratis datæ, ut donum linguarum, donum prophetiæ, etc.,
quod necessarium erat in his primis temporibus ad pro-
pagationem et confirmationem fidei. Verum simul con-
ferebantur gratiæ gratum facientes; nam 1° *Accipiebant
Spiritus sanctum; venit Spiritus sanctus super eos* : atqui
hæc verba simpliciter non dicerentur de iis qui, ut Balaam,
donum prophetiæ tantum haberent, vel aliud donum
pure externum. 2° Eundem accipiebant Spiritum sanc-
tum qui datus fuerat Apostolis, juxta hæc B. Petri verba,
Act. xi, 15 : *Cum autem cepissem loqui, cecidit Spiritus
sanctus super eos, sicut et in nos in initio* : porro Apostoli
non tantum dona externa seu gratias gratis datas ac-
ceperant, sed Spiritum quo in alios viros mutati fuerunt,
ut Christum intrepide coram principibus et in tormentis
confiterentur, ac proinde gratiam sanctificantem : ergo.
Si autem dona externa nunc cum sancti Spiritus effu-
sione non conferantur, nihil inferri potest : nam, ut
ait S. Aug., Tract. 6 in Epist. beati Joan., cap. iv, t. iii,
2 part., col. 868, hæc « signa erant temporis opportuna.
» Numquid modo quibus imponitur manus ut accipiant
» Spiritum sanctum, hoc spectatur ut linguis loquan-
» tur? aut quando imposuimus manum istis infantibus,
» attendit unusquisque vestrum utrum linguis loqueren-
» tur, et cum videret eos linguis non loqui, ita perverso
» corde aliquis vestrum fuit ut diceret : Non receperunt
» isti Spiritum sanctum, nam si accepissent, linguis lo-
» querentur quemadmodum tunc factum est? »

Obj. 2°. Multi Patres Apostolis propinquiores, ut
S. Ignatius, S. Justinus, Athenagoras, Theophilus, Ta-
tianus, S. Irenæus, etc., de Confirmatione nihil dicunt :
ergo Confirmatio tunc non existerat.

R. 1°. *Negari posset antecedens*, 1° quia theologi osten-
dunt saltem quosdam de Patribus in exemplum citatis
sacramenti Confirmationis meminisse, ut videre est apud
Witasse continuatorem, *Drouin*, etc. 2° Quia multa opera
citorum Patrum perierunt, alia ad nos mutilata perve-
nerunt : temere ergo asseritur eos nihil de Confirmatione
dixisse.

R. 2º. Nego consequens, 1º quia dictorum Patrum silentium testimonia aliorum positiva et constantem Ecclesie praxim labefactare non potest; *2º* quia nonnulli veteres Patres de Baptismo et Eucharistia nihil dixerunt, et tamen Protestantes hæc duo sacramenta admittunt. Ergo.

Inst. Patres qui de Confirmatione loquuntur, eam communius jungunt Baptismo: ergo arbitrati sunt eam Baptismi esse appendicem.

R. Nego conseq. Nam *1º* simul jungunt, saltem frequenter, Eucharistiam: attamen nolunt adversarii Eucharistiam esse Baptismi appendicem: ergo nec dicere possunt, etc. Tria igitur hæc sacramenta simul a nonnullis Patribus nominantur, quia olim simul conferri solebant, et quia Confirmatio perficiebat vitam spiritualem per Baptismum collatam quam Eucharistia augebat. *2º* Confirmatio non in ipso Baptismo, tanquam pars ejus, confertur, sed tantum post Baptismum, et non semper nec statim. *3º* Sacerdos est minister ordinarius Baptismi, non vero Confirmationis. Ergo.

Obj. 3º. Theologi catholici varias movent quaestiones circa materiam, formam, ministrum, effectus et necessitatem Confirmationis, et sibi non consentiunt: ergo non constat esse sacramentum proprie dictum.

R. Nego conseq. Nam *1º* omnes admittunt eam esse sacramentum: et sibi non dissentiant nisi in explicanda ejus natura, in assignandis ejus ministro, necessitate, effectibus, etc.; at dissensiones in explicanda rei natura, in assignandis ejus causis et effectibus, existentiam ejus nullatenus labefactant, *ut patet*: ergo. *2º* Ipsi Protestantes in varias abeunt sententias circa materiam, formam, ministrum, necessitatem et effectus Baptismi et Eucharistiae, et tamen hæc duo admittunt sacramenta. Ergo.

Queritur quo tempore sacramentum Confirmationis fuerit institutum.

R. Constat, ex dictis in Tractatu de Sacramentis in genere, illud a Christo fuisse institutum; sed quo tempore, incertum est. Quidam dicunt institutum fuisse cum Christus manus imposuit parvulis sibi oblatis, ut apud Matth.

XIX, 13 et seq. narratur; alii in ultima cœna, et alii probabilius in intervallo inter resurrectionem et ascensionem, dum Christus cum Apostolis conversatus est, loquens de regno Dei, Act. 1, 3. Illud autem non instituit exhibendo, inquit S. Th., 3 part., q. 27, art. 1, ad 1, *sed promittendo*, siquidem plenitudo Spiritus sancti non nisi post ascensionem Christi in Apostolos descendit.

CAPUT SECUNDUM.

DE MATERIA CONFIRMATIONIS.

Triplex est potissimum Catholicorum sententia circa materiam hujus sacramenti; alii enim eam constituunt in sola manuum impositione, quæ fit ab episcopo versus confirmandos, antequam ad unctionem sacri chrismatis accedat, et dicunt chrismatis unctionem antiquissimum quidem esse ritum ab Ecclesia præscriptum, sed ad essentiam sacramenti non pertinentem. Fundantur verbis Scripturæ et testimoniis Patrum de sola manuum impositione loquentium. Ita, inter alios, P. *Sirmond, Sainte-Beuve et Lherminier.*

Alii, e contra, volunt materiam hujus sacramenti in sola sacri chrismatis unctione collocandam esse; nituntur Euchologiis ac praxi Græcorum aliorumque Orientalium qui solam commemorant chrismationem. Plures ex iis arbitrantur chrismatis unctionem manuum impositioni auctoritate Ecclesiæ substitutam fuisse.

Aliqui credunt materiam hujus sacramenti consistere tum in manuum impositione, tum in chrismatione, ita ut unaquæque materia sit plena, sicut panis et vinum in Eucharistia, et non majorem utraque quam una producat effectum. In eo systemate, Ecclesia potest, ex circumstantiis, unam aut alteram aut utramque præscribere adhiberi materiam, quemadmodum communionem sub una tantum vel sub utraque permittit specie.

Alii vero communius docent totam Confirmationis

materiam sitam esse in unctione sacri chrismatis et manus impositione quæ unctionem comitatur. Sic Bellarminus, Suarez, Sylvius, Layman, Gonet, Maldonat, P. Antoine, S. Ligorius, etc.

PROPOSITIO.

Materia Confirmationis consistit in impositione manuum et chrismatis unctione.

Prob. 1^o impositionem manuum necessariam esse; in textibus enim a nobis superius citatis, sive ex Actibus Apostolorum, sive ex Tertul. et S. Cypr., hæc impositio exhibetur ut medium quo Spiritus sanctus in animam effunditur. Idem constat ex continua traditione, ex Pontificali Romano et ex perpetua Ecclesiæ praxi. Ergo 1^o.

Prob. 2^o chrismatis unctionem non minus essentialem esse; eam enim ut talem exhibent 1^o Patres, ut videre est in textibus Tertul., S. Cypr. et S. Aug.; 2^o Pontificalia Latinorum et Euchologia Græcorum; 3^o concil. Florent., in Decreto ad Armenos, sequentibus verbis: « Cujus (Confirmationis) materia est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, et balsamo, quod nitorem significat bonæ famæ, per episcopum benedicto; » 4^o conc. Trid., sess. 7, de Confirm., can. 2: « Si quis dixerit injuriosos esse Spiritui sancto eos qui sacro Confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt; anathema sit. » Ergo 2^o.

Dices 1^o: In Decreto ad Armenos assignatur chrismatio ut materia Confirmationis, et non fit mentio impositionis manuum; imo dicitur: « Loco autem illius manus impositionis (quæ in Actibus Apostolorum refertur), datur in Ecclesia Confirmatio. » Ergo.

R. Nego conseq. Nam 1^o manus impositio non excluditur; imo in chrismatione necessario includitur, ut mox ostensuri sumus; 2^o per verba *loco autem*, etc., concilium id unum significare intendit, scilicet, ritum qui tempore Apostolorum manus impositio simpliciter dicebatur, nunc in Ecclesia Confirmationem appellari. Ergo.

Dices 2^o: Græci manum non imponunt, et tamen sacramentum Confirmationis habent. Ergo.

R. Nego ant. Equidem Euchologia Græcorum aliorumque Orientalium, licet Confirmationem inter sacramenta novæ Legis reponant, nullam exprimunt manus impositionem a chrismatione distinctam, testibus *Goar*, *Arcudio* et *Renaudot*; sed non sequitur Græcos impositionem absolute necessariam non habere; inunctio enim chrismatis in fronte pollice facta, aliquam manus impositionem necessario supponit; at plerique theologi contendunt hanc impositionem sufficere, et ideo Græcos aliam seorsim faciendam non præscribere, quia hæc quæ in chrismatione necessario includitur, est sufficiens. Ergo.

Dices 3^o: Apostoli chrismate non uti sunt in Confirmatione, sed sola manus vel manuum impositione: ergo chrisma non est materia essentialis.

R. Nego ant. Nam, ex traditione antiquissima, ex praxi et consensu omnium Ecclesiarum, chrisma est pars essentialis sacramenti Confirmationis: at solus Christus materiam et formam sacramentorum instituit: ergo chrisma semper necessarium fuit, ac proinde Apostoli eo in administranda Confirmatione uti sunt, quamvis S. Lucas, in Actibus Apost., de sola manuum impositione loquatur; per has enim voces totum sacramentum exprimebatur, sicut apud Græcos totum per chrisma nunc exprimi solet: ergo.

Quædam notanda sunt circa manuum impositionem, chrisma et unctionem.

NOTANDA CIRCA MANUUM IMPOSITIONEM.

1^o Duplex distinguitur manuum impositio: prior est utriusque manus, initio cæremoniæ, cum oratione in Pontificali præscripta, ad postulanda Spiritus sancti dona. Probabile est eam non esse materiam essentialem: 1^o quia Græci et alii Orientales eam non habent; 2^o quia in Decreto ad Armenos ne quidem indicatur, quamvis Eugenius IV sanam doctrinam circa partes essentielles sacramentorum tradere intendat; quia Benedictus XIV,

Inst. 6, n. 15, solum chrisma pro materia Confirmationis assignat: idem fusius dicit in Tractatu de Syn. diœc., l. 13, cap. 19, n. 16 et 17. In Const. *Ex quo primum*, diei 1 martii anni 1756, § 52, sic habet: « Extra controversiam est in Ecclesia Latina Confirmationis sacramentum » conferri adhibito sacro chrismate, seu oleo olivarum » balsamo commixto et ab episcopo benedicto, ductoque » signo crucis per sacramenti ministrum in fronte suscipientis, dum idem minister formæ verba pronuntiat. »

Nunc igitur habendum est ut certum solam impositionem quæ sacri chrismatis unctionem comitatur esse de sacramenti essentia. S. Lig., l. 6, n. 164. Unde, si quis impositioni generali non adstisset, non ideo iterandum esset sacramentum. Nihil tamen ex præscriptis omittendum est.

2º Sufficit unam tantum imponere manum; nam 1º in Act. Apost. viii, 18, dicitur: *Cum vidisset enim Simon quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus*; 2º S. Cyr. superius citatus ait: *Oratione pro eo habita et manu imposita*; 3º eodem modo alii loquuntur Patres, et sic docent theologi, asserentes parvi referre an dextra vel sinistra imponatur, quamvis uti dextra magis deceat, et nunquam instrumento, ut dicemus infra.

NOTANDA CIRCA SANCTUM CHRISMA.

1º Chrisma est oleum ab episcopo feria quinta in Cena Domini solemniter benedictum, in quod balsamum commisceatur. Apud Græcos triginta quinque species aromatum, in exigua vini copia coctæ et fere per totum Quadragesimæ tempus preparatæ, adjunguntur. (*Goar*, pag. 637.)

2º Oleo semper usa est Ecclesia, dum Confirmationis sacramentum conficiebatur: quo tempore autem balsamum permiscere incæperit, non liquet: certum est illud usitatum fuisse in sexto sæculo, nam in Gregorii Magni Sacramentario legitur: « Preparantur ampullæ duæ cum » oleo, quarum melior defertur pontifici, ut, accepto » balsamo et commixto cum oleo, manu sua impleat eam. »

Hæc verba supponere videntur usum balsami jam fuisse antiquissimum. Multi contendunt illud semper fuisse in usu, sicut oleum, idque probant 1º voce *chrisma* semper usitata ubi de Confirmatione agitur: per chrisma autem non simplex intelligitur oleum, sed aliqua mixtura, quæ quandoque dicitur sanctum unguentum; 2º perpetua Ecclesiæ praxi; 3º ex verbis Eugenii IV, in Decreto ad Armenos, declarantis materiam Confirmationis esse oleum cum balsamo. Ita S. Th., *Isambert*, *Gonet*, *Billuart*, etc. Multi tamen alii negant, præcipue quia priorum sæculorum Patres de oleo loquuntur, silent vero de balsamo. Ita *Estius*, *Juénin*, *Witasse*, *Tournely*, *Drouin*, etc. Benedictus XIV quætionem relinquit dubiam, nec nos eam definire intendimus.

3º Hinc controversitur an balsamum, saltem ex gravi præcepto ecclesiastico requisitum juxta omnes, ad validitatem sacramenti sit necessarium: affirmant qui sententiam S. Thomæ defendunt, cæteri vero negant.

Bened. XIV, Const. *Ex quo*, diei 1 martii 1756, testatur pontifices Romanos non semel indulsisse, pro regionibus in quibus vera balsami species non reperitur, « ut » ad conficiendam chrisma liceret uti certo quodam fragmenti succo seu liquore, qui communiter pro vero » balsamo accipitur. »

Multæ sunt balsami species; sed arbusta ex quibus vera balsami species educitur in Judæa præsertim existunt, ut ibid. supponit doctissimus Pontifex. Adhibendum est igitur balsamum vulgo appellatum Judæum, seu verum; et si haberi non posset, ad summum Pontificem recurrendum esset pro obtinenda dispensatione necessaria.

Quæ balsami quantitas cum oleo permisceri debeat, nullibi determinatum invenimus; sufficientem esse oportet ut recte dicatur existere commixturam et quoddam unguentum: sequenda est ecclesiarum consuetudo.

4º Oleum ad validitatem sacramenti procul dubio necessarium est, et oleum olivarum, quia sic intelligitur oleum simpliciter dictum, et sic semper intellectum est.

5º Quidam dicunt benedictionem chrismatis ex solo

præcepto ecclesiastico necessariam esse; alii ex præcepto divino, sicut commixtio aquæ cum vino ad Missæ sacrificium præcipitur, non autem ex necessitate sacramenti; adeo ut valeret Confirmatio cum chrismate non benedicto administrata, quemadmodum valet Baptismus in aqua non benedicta collatus. Ita *Drouin*, theologus Lugd., etc. Cæteri vero communissime benedictionem ad essentiam sacramenti necessariam esse docent, præcipue innixi perpetua Ecclesiæ praxi; ubique enim videmus chrismate benedicto usum esse, et nunquam chrismate non benedicto: unde *Eugenius IV* dicit materiam hujus sacramenti esse chrisma benedictum. Parvi refert autem quod aqua profana ad Baptismum sufficiat, et panis communis ad Eucharistiam; cum enim sacramenta a sola Christi voluntate pendeant, nulla in eis adhibenda est ratio a pari.

6º Certum est benedictionem chrismatis inter functiones episcopales annumerandam esse: id constat ex conciliis Carthag. II, anno 390 celebrato, can. 3; Carth. III, an. 397, can. 36, in quo hæc sunt verba: « Ut presbyter » inconsulto episcopo, virgines non consecret, chrisma » vero nunquam conficiat. » Multa alia citantur monumenta, et constans est usus, tum apud Græcos aliosque Orientales, tum apud Latinos.

7º Plurimi non ignobiles theologi, ut *Cajetanus*, *Valentia*, *Suarez*, *Bonacina*, etc., tenent episcopum esse quidem ministrum chrismatis ordinarium, sed presbyterum illud ex commissione episcopi, vel saltem Pontificis maximi, valide conficere, sicut Confirmationis sacramentum valide administrat, et quædam hujus concessionis exempla citantur. Verum probabilius videtur benedictionem episcopi jure divino ita necessariam esse, ut ne quidem ex summi Pontificis dispensatione potestas eam faciendi simplici sacerdoti conferri possit. Hæc sententia fulcitur 1º verbis *Eugenii IV*, *cujus materia est chrisma, ex oleo et balsamo per episcopum benedicto*; 2º testimoniis Patrum et conciliorum benedictionem episcopi requirentium; 3º constanti omnium ecclesiarum

praxi; 4º usu Romanorum pontificum, qui, ut infra dicemus, facultatem Confirmationem administrandi simplicibus presbyteris pluries concesserunt, sed ea conditione ut chrismate ab episcopo benedicto uterentur. Vide *Benedict. XIV*, de Synodo diœces., l. 7, cap. 8.

8º In Jure canonico, *Decret. 3 part.*, dist. 3, can. 18, et dist. 4, can. 122, statuitur chrisma singulis annis renovari et vetus cremari debere; sed omnes fatentur hoc præceptum esse duntaxat ecclesiasticum, et ab illo *Benedictus XIV* dispensavit per *Constit. Cum ad inscriptam*, diei 9 januarii 1740, qua guardiano conventus Fratrum Minorum de Observantia in Hierosolymis, cui deputata est a S. Sede custodia sancti Sepulchri, facultatem Confirmationis sacramentum administrandi concedit, *oleo et chrismate etiam antiquis, si nova haberi non possint...*

9º Similiter circumstantia feriæ quintæ in Cena Domini ad chrismatis consecrationem, est tantum præcepti ecclesiastici, et conc. *Tolet. I*, anno 400 celebratum, dicit, can. 20: « Episcopo sane certum est quod omni tempore » licet chrisma conficere. »

NOTANDA CIRCA CHRISMATIS UNCTIONEM.

1º De essentia est sacramenti unctionem fieri in fronte: id constat 1º ex perpetua Ecclesiæ praxi; 2º ex Sacramentario S. Gregorii Magni; 3º ex *Decretal.*, l. 2, tit. 15, cap. unico de sacra unctione, in quo *Innocentius III* ait: « Per frontis chrimationem, manus impositio designatur, quæ alio nomine dicitur Confirmatio; » 4º ex Decreto ad Armenos, declarante confirmandum inungi in fronte ubi verecundia est sedes; 5º ex consensu omnium theologorum.

2º Velut probabilius multi docent unctionem per modum crucis de necessitate sacramenti fieri debere, alioquin verba formæ mox referenda non verificarentur, et ita fert constans Ecclesiæ praxis. Sic S. Th., *Billuart*, *Drouin*, S. *Ligorius* et communiter alii.

3º Græci unctionem in fronte non omittunt, sed alias simul faciunt: « Baptizatum sancto unguento ungit, »

inquit Rubrica, apud P. Goar, p. 356, « crucis signum » faciens in fronte, et in oculis, et in naribus, et in utraque aure, et in pedibus. » Certum est solam unctionem frontis essentialem esse, cæteras vero tantum ceremoniales: apud Latinos semper omisæ sunt, apud ipsos Græcos variantur.

4^o Certum videtur ad valorem sacramenti requiri ut unctio ab episcopo immediate fiat, non vero mediante aliquo instrumento; quia, ex dictis, certum est manus impositionem quæ unctionem comitatur, essentialem esse: nulla autem proprie dicta manus impositio existeret, si unctio per aliquod instrumentum fieret. Ergo. Bened. XIV, de Synodo diœces, l. 13, cap. 19, n. 15.

5^o Ea chrismatis necessaria est et sufficit quantitas, ut ex illo crux in fronte reipsa signetur: attendere igitur debet episcopus ne chrisma in pollice deficiat, quod facile contingere posset. S. Ligorius, l. 5, n. 166.

CAPUT TERTIUM.

DE FORMA SACRAMENTI CONFIRMATIONIS.

Omnes fatentur formam sacramenti Confirmationis in aliquibus verbis ab episcopo prolatis consistere; sed quæ sint illa verba, non sibi consentiunt. Qui volebant primam utriusque manus impositionem solam esse materiam essentialem, contendebant orationem huic impositioni correspondentem totalem esse formam; qui, e contra, arbitrantur solam chrismationem esse materiam proprie dictam hujus sacramenti, dicunt verba chrismationi respondentia formam essentialem constituere: verba autem ista, apud Latinos, sunt: *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*; et apud Græcos: *Signaculum doni Spiritus sancti* (Goar, p. 356), subintelligitur, secundum linguæ græcæ morem, *ecce, vel tibi datur*.

Qui tenebant primam manuum impositionem et chris-

mationem simul junctas totalem sacramenti Confirmationis materiam constituere, eo ipso utramque orationem pariter necessariam esse pronuntiabant.

Quia vero manus impositionem quæ simul cum unctione fit necessario, solam essentialem esse nunc ut certum habetur, sequitur sola verba *Signo te signo crucis, etc.*, essentialia esse; nec requiritur ut hanc assertionem congestis argumentis fulciamus.

Petitur 1^o quæ verba omitti vel mutari possint absque sacramenti dispendio.

R. cum S. Ligorio et communi doctorum sententia, sequentes mutationes reputandas esse essentielles: si omittatur, 1^o vox *signo* vel *confirmo*, 2^o sanctissimæ Trinitatis expressio, 3^o verbum *te*, 4^o verba *signo crucis, vel chrismate salutis*. Serius vero, si diceretur *corroboro pro confirmo, vel sanctificationis loco salutis*.

Petitur 2^o an forma apud Græcos usitata sit valida.

Respondet Arcudius, et generaliter theologi cum illo, *affirmative*; alioquin dicendum foret Græcos sacramentum Confirmationis nunc non habere, quod expresse vetat Bened. XIV, in Constitutione *Ex quo primum*, diei 1 martii anni 1756, § 50 (Bull., t. IV). Et enim nunquam Latini conquesti sunt eos formam essentialem hujus sacramenti corripisse, eosque sæpe vident sua forma utentes etiam Romæ.

Unde concludendum est Christum formam Confirmationis explicite quoad ipsa verba non determinasse, sed potestatem Ecclesiæ concessisse eam sic quoad verba determinandi. *Dens, t. v.*

Sanctissima Trinitas apud Græcos immediate ante unctionem invocatur.

Quamvis plurima puncta circa materiam et formam Confirmationis inter theologos controversantur et manent dubia, extra omne dubium est hoc sacramentum, rite administratum, certam materiam certamque formam habere.

CAPUT QUARTUM.

DE MINISTRO SACRAMENTI CONFIRMATIONIS.

Duplex hujus sacramenti distinguitur minister: ordinarius scilicet, qui in sua ordinatione completam accepit potestatem hoc sacramentum valide ministrandi, scilicet episcopus; et extraordinarius, qui nempe, præter ordinationem, aliqua indiget commissione a summo Pontifice sibi data; tales sunt sacerdotes.

ARTICULUS PRIMUS.

DE MINISTRO CONFIRMATIONIS ORDINARIO.

Photius, pseudopatriarcha Constantinopolitanus in nono sæculo, et schismatis Græcorum auctor, docuit potestatem confirmandi, sicut baptizandi et consecrandi, presbyteris et episcopis communem esse: hanc doctrinam hodierni sequuntur Græci, teste Arcudio, lib. 2, cap. 10, et presbyteri, ipsomet presente episcopo, confirmant, sicut baptizant et prædicant.

Valdenses, Wiclefistæ et Hussitæ eundem tenuerunt errorem, ut patet ex articulo Wiclefi 28, in conc. Const., sess. 8, damnato, et sic se habente: « Confirmatio, » juvenum clericorum ordinatio, locorum consecratio, » reservatur papæ et episcopis, propter cupiditatem » lucri temporalis et honoris. »

PROPOSITIO.

Solus episcopus est minister ordinarius sacramenti Confirmationis.

Prob. Propositio est de fide, probatur Scriptura sacra, testimoniis Patrum, auctoritate Romanorum pontificum et perpetua Ecclesiæ praxi.

1° *Est de fide*, ut pote definita in concilio Florent., decreto unionis, et in concilio Tridentino, sess. 7, de Con-

firm., can. 3: « Si quis dixerit sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem; anathema sit. Ergo 1° »

2° *Prob. Scriptura sacra.* In Actibus enim Apostolorum, cap. viii, legitur Petrum et Joannem apostolos, ac proinde caractere episcopali insignitos, Samaritanos missos esse ut manus a Philippo baptizatis imponerent, atque Spiritum sanctum traderent. Similiter, ibid. xix, 6, videmus B. Paulum manus ad conferendum Spiritum sanctum imponere; nullibi vero scribitur simplices presbyteros hoc fecisse. Ergo 2°.

3° *Testimoniis sanctorum Patrum.* S. Cypr., Epist. 73, sic ait: « Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in » Ecclesia baptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur, et » per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, et signaculo Dominico » consummentur. »

S. Hieron., Dialogo ad Lucif., 2 part., ait: « Non ab » nuo hanc esse ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos » qui longe in minoribus urbibus per presbyteros et diaconos baptizati sunt, episcopus ad invocationem sancti » Spiritus manum impositurus excurrat. » Alia multa citari possent. Ergo 3°.

4° *Auctoritate Romanorum pontificum*, nempe S. Innocentii I, S. Gregorii Magni, Gelasii, Melchiodæ, Eusebii, etc., ut videre est in Decreto, 1 part., dist. 93, can. 1 et 2, et 3 part., dist. 5, can. 1, 2, 3, etc., nec non in Tractatu de Synodo dicec. s., l. 7, cap. 7, n. 2. Ergo 4°.

5° *Ex perpetua totius Ecclesiæ praxi.* Mos ille apud Latinos non est dubius; ubique et omni tempore, apud Patres et auctores ecclesiasticos et in cunctis Pontificalibus reperitur: probatur Arcudio et Drouin, ex S. Joanne Chrysost. aliisque testimoniis, episcopum, apud Græcos, a primævis temporibus habitum fuisse ut ordinarium ministrum confirmationis; sic etiam Allatius, lib. 3, de Eccl. Occid. et Orient. perp. consensus. Ergo 5°, etc.; aliunde, etc. Ergo.

Dices 1°: Narratur, Act. ix, 17, Ananiam manus im-

posuisse Paulo : attamen Ananias non erat episcopus.

R. Dist. ant. Ananias manus imposuit Paulo ad restituendum ei visum, ut patet ex textu, *conc.* ; ad eum confirmandum, *nego ant.* Nondum enim Paulus erat baptizatus : quocumque igitur sensu illa manuum impositio accipiatur, de Confirmationis sacramento intelligi non potest.

Ad min. Quidam putant Ananiam fuisse episcopum Damascenum ; sed nulla est ratio de hoc facto disserendi.

Dices 2° : S. Hieron., loco citato, subjungit : « Et multis in locis id facilitatum reperimus, ad honorem potius sacerdotii quam ad legem necessitatis. » Ergo episcopus non est, saltem ex institutione divina, minister ordinarius, etc.

R. Nego conseq. Nam 1° S. Doctor non arbitratur consuetudinem quam commemorat esse humanam, sed divinam, cum ibidem dicat : « Disce hanc observationem ex ea auctoritate descendere, quod post ascensum Domini Spiritus sanctus in Apostolos descendit. » 2° Non dicit episcopus multis in locis manus baptizatis imponere, sed multis in locis ad eos qui longe in minoribus urbibus baptizati erant excurrere ; quod sententiæ nostræ neutiquam adversatur. 3° Posteriora verba, *ad honorem potius sacerdotii quam ad legem necessitatis*, eo intelligenda sunt sensu, scilicet potestatem administrandi Confirmationem dignitati episcopali ad honorem ei conciliandum reservatam esse, quia hoc sacramentum non est ad salutem necessarium sicut Baptismus. Ergo.

Dices 3° cum Photio : Simples sacerdotes baptizare et consecrare possunt, etiam præsentem episcopo : ergo et confirmare, quia qui potest plus potest et minus.

R. Nego conseq. In iis enim quæ a libera Dei voluntate pendunt, argumenta *a pari* vel etiam *a fortiori* non valent. Ergo.

NOTANDA.

1° Quilibet episcopus, etsi jurisdictione episcopali careat, valide confirmare potest ; quia validitas hujus sacra-

menti a solo caractere pendet, servatis cæteris servandis. At jurisdictio ordinaria vel delegata necessaria est ad licite confirmandum. Unde :

2° Episcopus in aliena diœcesi, sine Ordinarii licentia, confirmans, mortaliter peccat et suspensionem in capite à sess. 6 conc. Trid. de Reform. latam incurrit, ut sacra Congregatio ejusdem concilii interpres definiit die 15 aprilis 1575, et docent theologi ac canonistæ. Nec magis archiepiscopus hoc sacramentum in diœcesi suffraganei sui, sine speciali delegatione, administrare posset.

3° Qui alienos diœcesanos, sine proprii episcopi licentia, in sua diœcesi confirmaret, mortaliter etiam peccaret, juxta communissimam theologorum sententiam. Plures, apud *Ferraris* et S. Ligorium, dicunt eum suspensionem incurrere ; communior tamen est sententia negans. Imo multi contendunt licentiam Ordinarii præsumi posse, si nempe ex adjunctis prævideatur talem actum illi gratum fore. Hinc qui ad conferendam primam tonsuram subdito non suo legitime delegatur, Confirmationem ei administrare potest.

4° Ordinarie episcopi alienos diœcesanos ad Confirmationem non admittunt sine expressa Ordinarii eorum licentia : valide tamen ii confirmarentur qui, sine tali licentia, se cum aliis confirmandis præsentarent, nisi episcopus confirmans formalem haberet intentionem extraneos licentia proprii episcopi destitutos non confirmandi : in hoc casu nullum esse sacramentum sacra Cong. Conc. definiit, anno 1682, defectu scilicet intentionis requisitæ.

5° Sede vacante, ad viciniorem episcopum, id est, cujus cathedralis proximior est cathedrali vacanti, pertinet in ea diœcesi Confirmationem administrare et aras seu altaria portatilia consecrare : sic fuit decisio sacre Cong. Episc. diei 10 januarii 1603, et altera decisio S. Cong. Concil. diei 14 nov. 1637, apud *Ferraris*, v° *Confirm.*, art. 2, n. 16 et 17. Hæc tamen vicinior episcopus agere non potest nisi rogante vicario capitulari.

6° Probabilius est Confirmationem sine gravi culpa conferri posse in loco decenti extra ecclesiam ; peccaret

tamen venialiter episcopus, nisi aliqua rationabilis causa, ut nimia confirmandorum multitudo, eum excuset. Ita S. Ligorius, l. 6, n. 174, et plures apud ipsum.

Confirmandæ sunt moniales per fenestellam communionis, inquit *Ferraris*, art. 3, n. 24, citans decisionem S. Cong. Episc. diei 6 julii 1601: unde propterea non datur licentia egressus vel ingressus.

7° Omnes unanimiter docent episcopum non legitime impeditum graviter peccare, si longo tempore non confirmet, et præcipua saltem diœcesis suæ loca eo fine visitare negligat, quia subditos ingenti bono privat.

8° Quidam dicunt episcopum teneri, et quidem sub gravi, moribundo petenti Confirmationem administrare: alii continent eum ad id sub nullo peccato teneri, quia excusat incommoditas et communis praxis. Difficile tamen concipitur eum saltem venialiter non peccare, nisi rationabili causa excusetur.

9° In 3 part. Decreti, dist. 5, can. 7, statuitur *ut episcopi non nisi jejuni, per impositionem manuum Spiritum sanctum tradant*. Verum, ex communi sententia, hæc verba de consilio, non vero de præcepto intelligenda sunt, et passim Confirmatio, quando rationabilis adest causa, post prandium confertur.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE MINISTRO CONFIRMATIONIS EXTRAORDINARIO.

Gravis olim exstitit controversia inter catholicos doctores, an simplex sacerdos ex sanctæ Sedis delegatione Confirmationem valide ac licite administrare posset. Negaverunt multi, inter quos Hugo a S. Victore, S. Bonaventura, Durandus, Estius, *Sainte-Beuve*, *Duhamel*, *Lherminier*, etc. Contra quos sit

PROPOSITIO.

Simplex sacerdos, ex speciali summi Pontificis delegatione, sacramentum Confirmationis valide et licite administrare potest.

Prob. concilio Florentino, auctoritate summorum Pontificum et agendi ratione nunc recepta.

1° *Conc. Florent.*, nempe Decreto ad Armenos, in quo sequentia leguntur verba: « Legitur tamen aliquando, » per Apostolicæ Sedis dispensationem, ex rationabili et » urgente admodum causa, simplicem sacerdotem christomate per episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis sacramentum. » Huic testimonio assentire videtur *conc. Trid.*, definiendo episcopum illius sacramenti ministrum esse *ordinarium*: supponit ergo existere posse ministrum extraordinarium, simplicem videlicet sacerdotem, quamvis controversiam inter doctores agitatam terminare non intenderit. Ergo 1°.

2° *Auctoritate summorum Pontificum*, nempe S. Gregorii Magni, qui presbyteris Calaritanis concessit, « ubi » episcopi desunt, ut presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant (Epist. 26, t. II); » Nicolai IV, Joannis XXII, Urbani V, Eugenii IV jam relati, Leonis X, Adriani VI, Sixti V, Benedicti XIII, Clementis XI, Benedicti XIV, qui omnes facultatem supradictam simplicibus presbyteris concesserunt. Vide Const. 10 et Const. 87, § 14, Benedicti XIV in Bullario ejus, t. 1, et in primis, de Synod. diœces., l. 7, cap. 7, n. 5 et 6 Ergo 2°.

3° *Agendi ratione nunc recepta*, non solum apud Græcos ubi simplices presbyteri Confirmationem statim post Baptismum conferre solent, sed in Ecclesia Romana; quotidie enim facultas confirmandi simplicibus committitur presbyteris missionariis, ad regiones longinquas proficiscentibus, vel ibi ministerium Apostolicum jam exercentibus. Ergo. « Quare non videtur, » inquit *Bened. XIV*, de Synodo diœces. l. 7, cap. 7, n. 7, « hodie » fas esse potestatem de qua olim disceptabatur, summo » Pontifici abjudicare. » Unde a proponendis et solvendis adversariorum objectionibus abstinendum judicamus.

NOTANDA.

1° Fundamentum hujus potestatis est sacerdotium: unde diaconus ad confirmandum delegari non posset.

2° Attamen solus character sacerdotalis ad valide con-

firmandum non sufficit, sed essentialis est delegatio, ut expresse docet Benedict. XIV, de Synodo diocæs., l. 7, cap. 8, n. 7.

3° Declarat ibid. illustris Pontifex « irritam nunc fore Confirmationem a simplici presbytero Latino, ex sola episcopi delegatione, collatam, quia Sedes Apostolica id juris sibi unice reservavit. »

4° « Longe ante Photianum schisma, fuisse Græcorum moribus receptum ut simplices sacerdotes baptizatos infantes statim sacro chrismate inungerent, demonstrant Morinus, etc. » Sunt verba Bened. XIV, ibid., cap. 9, n. 1. Mos sic confirmandi apud eos semper viguit, et nefas est dicere nullum esse sacramentum ita administratum; Patres enim Latini, in conc. Florent., ratam habuerunt Confirmationem Græcorum, licet a simplici sacerdote administratam.

5° Hæc autem Confirmatio « non potest aliunde vires sortiri, » inquit idem Bened. XIV, cap. 9, n. 2, « quam a delegatione, sive expresse, sive tacite, eidem sacerdoti facta a Romano pontifice. » Consuetudo autem apud Græcos usitata, a pontifice Romano censetur approbata, donec ei resistat.

6° In quibusdam locis pontifices Romani ei consuetudini variis in temporibus resisterunt: v. g., Innocentius IV eam in regno Cypri abstulit, et Clemens VIII sacerdotibus Italo-Græcis severe interdixit ne baptizatos chrismate consignare præsumerent, cujus decreta confirmavit Benedict. XIV, Const. *Etsi pastoralis*, § 3 (Bull. t. 1).

7° Confirmatio igitur, a sacerdote non legitime delegato collata, reputanda est nulla et iterari debet absolute vel conditionate, prout nullitas ejus videtur certa vel dubia. Hinc non mirum si Nicolaus I jusserit ut hoc sacramentum apud Bulgaros, a presbyteris Græcis administratum, iteraretur; illi namque presbyteri a Photio, pseudopatriarcha Constantinopolitano, missi, legitime non fuerant delegati.

CAPUT QUINTUM.

DE CONFIRMATIONIS EFFECTIBUS.

Triplex distinguitur Confirmationis effectus, scilicet gratia sanctificans, plenitudo Spiritus sancti et character indelebilis.

1° *Gratia sanctificans.* Hanc assertionem sufficienter probavimus demonstrando Confirmationem esse novæ Legis sacramentum proprie dictum. Hæc autem gratia est primario augmentum gratiæ sanctificantis dans jus ad suscipiendas gratias pecciales in circumstantiis ubi ad fidem fortiter confitendam sunt necessariae. Secundario et per accidens gratia hujus sacramenti potest esse prima, juxta S. Th. Suarez aliosque theologos, ut in Tractatu de Sacramentis in genere diximus.

2° *Plenitudo Spiritus sancti.* Patet enim 1° ex Pontificali, in quo septem dona Spiritus sancti in capite xi Isaiæ, v. 2 et 3, expressa, super confirmandos ab episcopo invocantur; 2° ex innumeris Patrum et conciliorum testimoniis, in quibus dicitur Spiritum sanctum per Confirmationem ad fidem fortiter profitendam dari: porro Spiritus sanctus sic datus idem est quem Christus Apostolis promiserat, dicens: *Accipietis virtutem superventis Spiritus sancti in vos, et eritis mihi teste in Jerusalem, et in omni Judæa, et Samaria, et usque ad ultimum terræ, Act. 1, 8.* Ergo.

Dono autem Spiritus sancti sunt habitus supernaturales quibus homo perficitur ad prompte obediendum Spiritui sancto. S. Th., t. 2, quæst. 68, art. 2; vel, juxta *Huberi*, ad accipiendas extraordinarias Spiritus sancti motiones ad propriam salutem. *Huberi*, de Gratia hab., § 3.

Sic autem hæc dona adeo excellentia breviter exponuntur in Theol. Pictav., alio tamen modo ab aliis.

Donum sapientiæ est illud quo homo etiam altissima mysteria contemplatur. Donum intellectus est donum

penetrandi res obscuras, maxime in Scripturis. Donum scientiæ est illud quo homo cognoscit temporalia ad salutem conducenda et modum illis bene utendi. Donum consilii illud est quo homo cognoscit quid in particulari hic et nunc sit agendum: donum illud idem est cum una ex quatuor virtutibus cardinalibus, nempe cum prudentia. Nos addemus illud excellentius esse dicta virtute et ad potiora conducere. Donum pietatis est illud quo homo movetur ad religionem erga Deum, et ad misericordiam erga proximum. Donum fortitudinis est illud quo homo constanter operum difficultati resistit: donum illud est quid idem cum una ex virtutibus cardinalibus, nempe cum fortitudine. Iterum tamen illud excellentius dicemus, et in hoc ab ea virtute distinctum. Donum timoris est illud quo homo res illicitas abhorret, et Deum timet timore filiali et reverentiali qui ex amore nascitur.

B. Paulus, ad Galatas scribens, cap. v, numerat duodecim fructus Spiritus sancti, qui sunt ipsimet actus seu effectus virtutum et donorum. Sic et docet S. Th. de octo beatitudinibus, apud Matth., cap. v, a Christo laudatis.

Cum autem hæc omnia et alia pariter scitu dignissima amplius evolvere nobis non liceat, vide S. Th., 1^o 2, quæst. 68, et 2^o 2 quæst. 8, præsertim art. 6; *Habert*, de Gratia habit., § 3; P. *Amelotte*, *Théol.*, p. 370, 616.

Quare autem dicatur sacramentum confirmationis perficere gratiam in baptismo acceptam, et quo sensu, fuse exponit *Witasse*, de Confirm., ubi de effectibus ejus.

Sæpe olim cum Spiritu sancto simul conferebantur dona sensibilia, v. g., donum linguarum, donum interpretationis sermonum, etc., quæ tamen præsentiam ejus non semper comitabantur. Nunc igitur, si sacramentum rite suscipiatur, non minor Spiritus sancti abundantia conferitur, quamvis sensibilibus signis exterius non manifestetur.

Neque dicant Protestantes confirmatos non fortiores in profitenda fide videri quam non confirmatos: nam 1^o non sensibiliores sunt effectus sacramentorum Baptismi et Eucharistiæ, quæ tamen juxta ipsos gratiam conferunt;

2^o innumeri semper visi sunt Christiani qui pro fide gravissimas fortiter sustinuerunt pugnas; 3^o si quidam nondum confirmati non minus se exhibuerunt fortes, sequitur Deum aliter quam per suum sacramentum dona Spiritus sancti aliquando conferre; 4^o si multi, post susceptam Confirmationem, fidem erubescant, id unum concludi potest, aut eos debitas non adhibuisse dispositiones ad fructum sacramenti percipiendum, aut gratiæ susceptæ non fideliter cooperatos fuisse.

3^o *Character indelebilis*. Ostendimus enim in Tractatu de Sacramentis, de fide esse tria sacramenta, videlicet Baptismum, Confirmationem et Ordinem, hujusmodi imprimere characterem. Ergo, etc. Plurimi theologi hæc B. Pauli verba, II Cor. 1, 22, *Qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris*, de characterem per Confirmationem impresso intelligunt.

Quidquid sit de sensu hujus textus, certum est Confirmationem imprimere in animam characterem, vi cujus sacramentum istud valide administratum iterari non potest: sic universalis et perpetua docuit traditio.

CAPUT SEXTUM.

DE CONFIRMATIONIS NECESSITATE.

1^o Certum est Confirmationem necessariam non esse ad salutem necessitate medii: nam 1^o Christus dixit, Marc. xvi, 16: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*; 2^o Ecclesia Romana pueros ratione destitutos confirmari non præcipit et reipsa ordinarie non confirmantur: attamen constat eos ante usum rationis decedentes salvari; 3^o unanimis sententia tenet hoc sacramentum necessitate medii necessarium non esse. Ergo.

2^o Omnes fatentur aliquem sub gravi teneri posse per accidens sacramentum Confirmationis suscipere, ratione periculi cui exponitur, v. g., fidem negandi tempore persecutionis, vel ratione scandali vitandi.

3^o Similiter apud omnes constat eum mortaliter pec-

caturum qui hoc sacramentum ex contemptu non suscipere, propter irreverentiam erga rem sacram gravis momenti: « Judicaretur autem contemptus, » inquit Scotus apud *Ferraris*, art. 3. n. 2, « si, omnimode opportunitate oblata, non susciperetur. »

4^o Quæstio inter theologos movetur, an existat præceptum fideles directe obligans ad suscipiendum illud sacramentum. Multi negant, inter quos S. Th., *Suarez*, *Ferraris*, *Billuart*, etc. Alii vero nunc multo communius affirmant directum existere hujusmodi præceptum, tum divinum, tum ecclesiasticum, hi-que nituntur rationibus: 1^o *Scriptura sacra*: Apostoli mis runt Petrum et Joannem qui baptizatos a Philippo statim confirmarent; S. Paulus curavit ut quidam discipuli baptizati Spiritum sanctum per impositionem manuum, id est, per Confirmationem, susciperent, ut in Act. viii et xix narratur: at non præsumitur eos tam fuisse sollicitos, si persuasum habuissent nullum a Christo existere præceptum sacramentum istud suscipiendi. 2^o *Jure canonico*, videlicet 3 part. Decreti, dist. 5, can. 1: « Omnes fideles, » per manus impositionem episcoporum Spiritum sanctum » post Baptismum accipere debent, ut plene christiani » inveniuntur. » 3^o *Auctoritate Catechism. conc. Trid.* de Confirm., § 6: « Quanquam vero necessarium non est » (hoc sacramentum), a nemine tamen prætermitti debet: quod enim omnibus communiter ad sanctificationem Deus proposuit, ab omnibus etiam summo studio expetendum est. » 4^o *Auctoritate Bened. XIV*, qui in *Const. Etsi pastoralis*, § 3, n. 4, agens de iis qui a simplici sacerdote Italo-Græco nulliter confirmati erant, ait: « Monendi sunt ab Ordinariis locorum eos gravis peccati reatu teneri, si, cum possunt ad Confirmationem accedere, renuunt ac negligunt. » 5^o *Ratione*; incredibile est enim Christum tantum instituisse remedium imbecillitati nostræ oppositum, et non jussisse ut ad illud, data opportunitate, recurreremus. Præterea, qui in lucta tentationum robore se munire negligit, grave detrimentum sibi infert et periculo naufragandi in fide se exponit. Ergo.

Præceptum autem istud est divinum, cum ab ipsa institutione sacramenti procedat; et simul ecclesiasticum, ut patet ex textu juris citato, et ex variis conciliis qua citari potuissent.

Hinc 1^o qui ex sola negligentia, et a fortiori qui ex rubore sacramentum istud, data occasione, suscipere omittit, a gravi peccato excusari non potest, nisi sufficienter non fuisset eruditus.

Hinc 2^o graviter peccant parentes, tutores, heri alique similes qui subditos nondum confirmatos ad susceptionem hujus sacramenti non præparant, aut tempus ad præparationem necessarium concedere nolunt. *Bened. XIV*, l. 6, n. 10.

Hinc 3^o pari ratione mortaliter peccant etiam parochi qui debita sollicitudine non curant ut parochiani opportunitatem suscipiendi Confirmationem habeant, vel ad eam cum fructu suscipiendam illos non sufficienter præparant.

CAPUT SEPTIMUM.

DE SUBJECTO CONFIRMATIONIS ET DISPOSITIONIBUS IN EO REQUISITIS.

ARTICULUS PRIMUS.

DE SUBJECTO CONFIRMATIONIS.

1^o Certum est hominem nondum Baptismate regeneratum Confirmationis sacramentum valide suscipere non posse: 1^o quia Baptismus est janua aliorum sacramentorum; 2^o quia Confirmatio ad augendam et roborandam vitam spirituales instituta est; vita autem spiritualis augeri et roborari non potest nisi jam existat; 3^o quia sic ubique semper judicatum est: unde Apostoli non nisi baptizatis manus ad conferendum Spiritum sanctum imponebant. Ergo.

2^o Omnis homo baptizatus sive adultus, sive infans,

sive ratione præditus, sive amens aut furiosus, valide confirmari potest: id constat ex traditione, ex jure canonico, 3 parte Decreti, dist. 5, can. 3. et unanimes Ecclesie consensus. Unde olim, *sicut jam monimus*, Confirmatio statim post Baptismum pueris conferri solebat, et etiam nunc apud Græcos sic confertur.

3^o A multis jam sæculis mos in Ecclesia Latina invaluit ut pueri ante usum rationis ad Confirmationem non admittentur: talis est disciplina nunc vigens, ut colligitur 1^o ex concilio Mediolanensi I, a S. Carolo Borromeo anno 1565 celebrato, in quo statuitur ut, *minori septennio Confirmationis sacramentum nemini præbeatur*; 2^o ex variis aliis provincialibus conciliis idem statuentibus; 3^o ex Catechismo conc. Trid., de Confirm., § 15, hæc habente: « Illud observandum est, omnibus quidem, post Baptismum, Confirmationis sacramentum posse administrari, sed minus tamen expedire hoc fieri antequam rationis usum habuerint. Quare, si duodecimus annus non expectandus videatur, usque ad septennium certo hoc sacramentum differri maxime convenit; » 4^o ex Pontificali Romano, quod præscribit ut nullus « christianæ fidei rudimentis non edoctus ingerat se ad percipiendum hoc sacramentum; » 5^o ex communi praxi ubique recepta, ut pueri ante rationis usum ad Confirmationem non admittantur. Porro ex his omnibus simul collectis inferitur dari obligationem, et quidem gravem, sic observandi: ergo.

4^o Attamen communissime tenent theologî, et Bened. XIV expresse docet, de Synodo diœces., l. 7, cap. 10, n. 5, « sancte ac licite, etiam juxta præsentem disciplinam, sacro chrismate inungi pueros ante septennium, cum aut prævidetur futura diuturna absentia episcopi, aut iidem versantur in discrimine vitæ, aut alia urget necessitas, seu justa causa. » Ratio quam affert S. Th., 3 parte, q. 73, art. 8, ad 4, pro pueris moribundis, est, « ut confirmati decedentes, majorem gloriam consequantur, sicut et hic majorem obtineant gratiam. »

5^o Conc. Rhodonense anni 1849, decret. xvii, sic statuit:

« Ut uberiores, ex suscepta Confirmatione, fructus percipiant fideles, sancimus nullum ad hoc sacramentum admittendum esse, quin ad primam communionem accesserit; nisi tamen aliud gravis ratio, iudice episcopo, suadeat. »

6^o Confirmatio administranda est perpetuo amentibus et surdis-motis etiam a nativitate, quia expectari non potest ut melius disponantur, nec tamen gratia hujus sacramenti et gloria ei correspondente privandi sunt.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE DISPOSITIONIBUS IN CONFIRMANDO REQUISITIS.

1^o Requiritur in confirmando character baptismalis ad validitatem sacramenti, et insuper intentio illud suscipiendi, ut patet ex dictis in *Tract. de Sacramentis et de Baptismo*.

2^o Requiritur status gratiæ, cum sacramentum illud sit vivorum, et non mortuorum. Unde qui conscius est peccati mortalis, ad sacramentum Pœnitentiæ recurrere, vel perfecte dolere tenetur. Mos generalis est ut nullus confirmetur, nisi schedam confessarii sui chirographo subsignatam exhibeat, in qua solum nomen religiosum inscribitur.

3^o Qui peccato lethali maculatus confirmaretur, characterem susciperet, sed gratia sacramentalis suspensa maneret, donec ob eam retinens submoveretur, prout in *Tractatu de Sacramentis* diximus.

4^o Requiritur ut confirmandi usum rationis habentes, doctrinæ christianæ rudimentis sufficienter imbuantur, præsertim in iis quæ necessaria sunt necessitate mediæ, et quæ spectant ad sacramenta Pœnitentiæ, Confirmationis et Eucharistiæ. Maxime igitur convenit ut parochi parochianos suos Confirmationem suscepturos per sex hebdomades aut duos menses sollicitè præparent, eos frequenter erudiendo, in confessione audiendo, et totis viribus satagendo ut solemnitas Confirmationis sit in parochia renovationis spiritualis epocha.

5^o Antiquis canonibus, et præsertim canone 6, dist. 5, 3 parte Decreti, statuitur *ut jejuni ad Confirmationem veniant*, et Pontificale ait : « Confirmandi deberent esse » jejuni. » Sed « propter pericula imminencia sustinetur ut hoc sacramentum etiam a non jejunis detur vel » accipiatur, » inquit S. Th., 3 part., q. 72, art. 12, ad 2. Juxta praxim Ecclesiæ nunc communiter receptam, Confirmatio a non jejunis passim suscipi potest; at convenientius et menti Ecclesiæ conformius est ut jejunium, secluso rationabili impedimento, servetur.

6^o Consulendum est ut die Confirmationis sacra communio, si fieri potest, recipiatur; est enim conveniens præparatio ad dona Spiritus sancti suscipienda.

7^o Confirmandi modeste et decenter, juxta conditionem suam, ornari debent, propter reverentiam sacramento debitam.

CAPUT OCTAVUM.

DE CÆREMONIIS CONFIRMATIONIS.

- 1^o Primo amba imponuntur manus cunctis confirmandis genæ flectentibus : *de hac impositione supra diximus.*
 2^o Antiqua Ecclesiæ praxis, cujus fit mentio in Sacramento S. Greg., veteres canones, Pontificale Romanum et generaliter theologi, præscribunt ut in Confirmatione, sicut in Baptismo, adhibeatur patrinus aut matrina juxta sexum.

S. Ligorius, l. 6, n. 185, multique theologi cum illo, contendunt obligationem adhibendi patrinum aut matrinam esse sub gravi. Verum hæc consuetudo fere ubique obsolevit in Gallia : licet ergo habere patrinum aut matrinam, sed nulla est obligatio. Vide tamen S. Lig., loco citato, ubi plura ad rem inveniuntur.

Patrinus autem et matrina debent esse confirmati, et eandem cognationem spirituales contrahunt ac in Baptismo, scilicet, cum confirmato et parentibus ejus : prop-

tere conc. Trid., sess. 24, cap. 2. de Reform. Matrim., ait : « Ea quoque cognatio quæ ex Confirmatione » contrahitur, confirmantem et confirmatum, illiusque » patrem et matrem, ac tenentem non egrediatur : omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis » impedimentis omnino sublatis. »

3^o « Confirmandi episcopo offerant schedulam, ut dicunt, Confirmationis, qua scilicet constet tum de » licentia proprii parochi, tum de debita ad illud sacramentum suscipiendum præparatione. » *Concil. Rhel. 1849, decret. xvii.* In ea inscribatur nomen sub quo unusquisque confirmandus est. Nomen istud debet esse alicujus sancti, vel sanctæ : ordinarie est nomen Baptismi, sed aliud eligi potest.

4^o Episcopus maxillam confirmati leviter percutit, « ut » meminerit, » inquit Catechis. conc. Trid., « se tanquam » fortem athletam paratum esse oportere ad omnia adversa invicto animo pro Christi nomine frærenda. »

5^o « Pax ei datur, ut intelligat se gratiæ cœlestis plenitudinem et pacem quæ exsuperat omnem sensum » consecutum esse. » Ibidem.

6^o Juxta Pontificalis præscriptum, frons confirmati obliganda est fascia linea in forma crucis nodata, uno, tribus vel septem diebus gestanda, pro consuetudine, vel donec chrisma desiccetur aut extergatur. Sed hodie hæc cæremonia non est in usu : frons confirmati statim post unctionem globulis lanuginis vel lini abstergitur; in fine cæremoniæ globuli comburuntur et cineres in piscinam projiciuntur.

7^o Ultima pontificis benedictio, quam omnes suscipere debent, cum Pontificale dicat : « Nullus confirmatus discedat, nisi benedictione accepta, quam pontifex post » omnium confirmationem dabit; » non tamen essentialis est, ut omnes fatentur; et ideo, si omissa fuisset, non iteraretur.

8^o Dum vigeat consuetudo adhibendi patrinum vel matrinam in omni confirmatione, necessarium erat ut nomina accurate inscriberentur propter impedimenta ex

cognitione spiritali provenientia. Nunc inscriptio non est ejusdem necessitatis. Attamen stricte præscribitur, tum in concil. Rhed., tum in Constitutionibus nostris diocesanis, sub his verbis: « Cum non liceat iterare » hoc sacramentum, maxime interest ut in posterum » certo constare possit an quis, de sua confirmatione » dubitans, reipsa confirmatus fuerit. Itaque cunctis » præcipimus parochis specialem habere librum parochialem in quo diligenter inscribentur nomina et nomina confirmatorum, et, quantum fieri potest, nomina eorum parentum, nec non episcopi qui tali die, » in tali loco eos confirmavit. In eo libro pariter inscribentur qui intra limites parochiæ, sive in capellis sive » in domibus confirmati fuerint; item parochiani qui idem sacramentum in aliena ecclesia aut capella suscepserint. » Eamd. in inscriptionem jussit S. Carolus in concilio Mediolanensi l. *Act. Eccl. Mediol. l. 1, p. 7. De Ritibus Confirm. utilissime legetur Catalani, in Pontific. Rom., l. 1.*

In dubio realiter existente de validitate Confirmationis, sacramentum iterandum est sub conditione. At sedulo præcavenda est talis necessitas, ob reverentiam sacramento debitam.

FINIS TRACTATUS DE CONFIRMATIONE.

DIRECCIÓN GENERAL DE

INDEX.

| | Pagin. |
|--|--------|
| TRACTATUS DE FIDE. | |
| CAPUT I. De natura fidei..... | 2 |
| PROPOSITIO I. Fides christiana, in Scripturis commendata et ad salutem necessaria, non est fiducia in divinas promissiones, ad sensum Calvinistarum..... | 3 |
| PROP. II. Datur fides informis, seu sine charitate perfecta..... | 4 |
| CAP. II. De objecto fidei..... | 5 |
| ARTICULUS I. An propositio explicite revelari debeat ut ad fidem pertineat..... | 6 |
| PROP. I. Conclusiones ex duabus præmissis revelatis legitime deductæ pertinent ad fidem..... | ib. |
| PROP. II. Conclusiones ex majore universali revelata et minore non revelata legitime deductæ, ad fidem pertinent..... | 7 |
| ART. II. An objectum fidei creverit decursu temporum..... | 9 |
| § I. An objectum fidei ab Adamo usque ad Christum et Apostolos creverit..... | 10 |
| § II. An objectum fidei ab Apostolis usque ad nos creverit..... | 11 |
| ART. III. Quid sentiendum sit de symbolis fidei..... | ib. |
| Quæritur an conveniens fuerit præcipuos fidei articulos sic in symbolis contexere..... | 14 |
| CAP. III. De motivo fidei..... | 15 |
| ART. I. De revelatione divina..... | 15 |
| PROP. Ad fidem vere divinam, seu theologiam, omnis revelatio certo constans sufficit..... | 16 |
| ART. II. De propositione Ecclesiæ..... | 17 |
| ART. III. De motivis credibilitatis..... | 19 |
| ART. IV. De analysi seu resolutione fidei..... | 22 |
| CAP. IV. De regulis fidei..... | 24 |
| ART. I. De Scriptura sacra..... | 25 |
| § I. De librorum Veteris et Novi Testamenti divinitate..... | ib. |
| Punctum I. An libri Veteris et Novi Testamenti fuerint inspirati..... | 26 |
| PROP. I. Libri Veteris et Novi Testamenti vere fuerunt inspirati..... | ib. |
| PROP. II. Divina inspiratio non solum ad præcipuas, seu ad omnes partes Scripturarum ab auctoribus sacris exaratas extendenda est..... | 29 |
| Punct. II. Quomodo Libri sacri fuerint inspirati..... | 32 |
| § II. De canonicitate Librorum sacrorum..... | 34 |
| Punct. I. Qua via Libri divini certo cognosci possint..... | ib. |
| PROP. Auctoritas Ecclesiæ est via tuta et unica qua Libros divinos infalibiliter cognoscamus..... | 35 |
| Punct. II. Quinam libri vera sint canonici..... | 36 |
| § III. De multiplici sensu Scripturæ sacre..... | 40 |
| PROP. I. Plures in eodem textu aliquando reperiuntur sensus laterales..... | 42 |

cognitione spiritali provenientia. Nunc inscriptio non est ejusdem necessitatis. Attamen stricte præscribitur, tum in concil. Rhed., tum in Constitutionibus nostris diocesanis, sub his verbis: « Cum non liceat iterare » hoc sacramentum, maxime interest ut in posterum » certo constare possit an quis, de sua confirmatione » dubitans, reipsa confirmatus fuerit. Itaque cunctis » præcipimus parochis specialem habere librum parochialem in quo diligenter inscribentur nomina et nomina confirmatorum, et, quantum fieri potest, nomina eorum parentum, nec non episcopi qui tali die, » in tali loco eos confirmavit. In eo libro pariter inscribentur qui intra limites parochiæ, sive in capellis sive » in domibus confirmati fuerint; item parochiani qui idem sacramentum in aliena ecclesia aut capella suscepserint. » Eamd. in inscriptionem jussit S. Carolus in concilio Mediolanensi l. *Act. Eccl. Mediol.* l. 1, p. 7. De Ritibus Confirm. utilissime legetur *Catalani*, in Pontific. Rom., l. 1.

In dubio realiter existente de validitate Confirmationis, sacramentum iterandum est sub conditione. At sedulo præcavenda est talis necessitas, ob reverentiam sacramento debitam.

FINIS TRACTATUS DE CONFIRMATIONE.

DIRECCIÓN GENERAL DE

INDEX.

| | Pagin. |
|---|--------|
| TRACTATUS DE FIDE. | |
| CAPUT I. De natura fidei..... | 2 |
| PROPOSITIO I. Fides christiana, in Scripturis commendata et ad salutem necessaria, non est fiducia in divinas promissiones, ad sensum Calvinistarum..... | 3 |
| PROP. II. Datur fides informis, seu sine charitate perfecta..... | 4 |
| CAP. II. De objecto fidei..... | 5 |
| ARTICULUS I. An propositio explicite revelari debeat ut ad fidem pertineat..... | 6 |
| PROP. I. Conclusiones ex duabus præmissis revelatis legitime deductæ pertinent ad fidem..... | ib. |
| PROP. II. Conclusiones ex majore universali revelata et minore non revelata legitime deductæ, ad fidem pertinent..... | 7 |
| ART. II. An objectum fidei creverit decursu temporum..... | 9 |
| § I. An objectum fidei ab Adamo usque ad Christum et Apostolos creverit..... | 10 |
| § II. An objectum fidei ab Apostolis usque ad nos creverit..... | 11 |
| ART. III. Quid sentiendum sit de symbolis fidei..... | ib. |
| Quæritur an conveniens fuerit præcipuos fidei articulos sic in symbolis contexere..... | 14 |
| | ib. |
| CAP. III. De motivo fidei..... | 15 |
| ART. I. De revelatione divina..... | 16 |
| PROP. Ad fidem vere divinam, seu theologiam, omnis revelatio certo constans sufficit..... | 17 |
| ART. II. De propositione Ecclesiæ..... | 19 |
| ART. III. De motivis credibilitatis..... | 22 |
| ART. IV. De anxi seu resolutione fidei..... | 24 |
| CAP. IV. De regulis fidei..... | 25 |
| ART. I. De Scriptura sacra..... | ib. |
| § I. De librorum Veteris et Novi Testamenti divinitate..... | ib. |
| Punctum I. An libri Veteris et Novi Testamenti fuerint inspirati..... | 26 |
| | ib. |
| PROP. I. Libri Veteris et Novi Testamenti vere fuerunt inspirati..... | 29 |
| PROP. II. Divina inspiratio non solum ad præcipuas, seu ad omnes partes Scripturarum ab auctoribus sacris exaratas extendenda est..... | 32 |
| Punct. II. Quomodo Libri sacri fuerint inspirati..... | 34 |
| § II. De canonicitate Librorum sacrorum..... | ib. |
| Punct. I. Qua via Libri divini certo cognosci possint..... | 35 |
| PROP. Auctoritas Ecclesiæ est via tuta et unica qua Libros divinos infalibiliter cognoscamus..... | 36 |
| Punct. II. Quinam libri vera sint canonici..... | 40 |
| § III. De multiplici sensu Scripturæ sacre..... | 40 |
| PROP. I. Plures in eodem textu aliquando reperiuntur sensus laterales..... | 43 |

| | Pagin. |
|--|--------|
| PROP. II. Præter sensum litteralem, in multis Scripturæ locis admittendus est sensus mysticus..... | 44 |
| PROP. III. Scriptura sacra non est per se omnibus clara, sed in multis obscura..... | 45 |
| § IV. De regulis in assignando sensu genuino Scripturarum sacrarum sequendis..... | 47 |
| § V. De variis Scripturæ sacræ editionibus..... | 49 |
| Punct. I. De originibus Scripturæ sacræ textibus..... | 50 |
| Quæritur 1o. a quo facta fuerit Scripturæ sacræ divisio per capita et versiculos..... | 52 |
| Quæritur 2o. an constet nos habere genuinos scriptorum sacrorum textus..... | 53 |
| Punct. II. De versionibus Græcis..... | 54 |
| Punct. III. De versionibus Latinis..... | 56 |
| Punct. IV. De versionibus vernaculis, seu lingua vulgari..... | 59 |
| ART. II. De traditione..... | 62 |
| PROP. I. Divinæ existunt traditiones ab Apostolis acceptæ et transmissæ..... | 64 |
| PROP. II. Divinæ traditiones ab Apostolis acceptæ et transmissæ eandem habent auctoritatem ac veritales in Scriptura contentæ..... | 65 |
| CAP. V. De fidei proprietatibus..... | 69 |
| ART. I. De veritate fidei..... | 70 |
| PROP. Quod est falsum fidei divina credi non potest, etsi bona fide credatur revelatum..... | 70 |
| ART. II. De certitudine fidei..... | 74 |
| ART. III. De obscuritate fidei..... | 74 |
| PROP. Scientia et fides circa idem objectum simul existere possunt..... | 75 |
| ART. IV. De moralitate fidei..... | 77 |
| ART. V. De notis seu censuris theologiceis..... | 80 |
| § I. De doctrina quæ censuris theologiceis subesse potest..... | 80 |
| § II. De notis theologiceis speciatim..... | 82 |
| § III. De auctoritate quæ notis theologiceis ferre potest..... | 84 |
| CAP. VI. De subiecto fidei..... | 85 |
| ART. I. An fides existat in peccatoribus..... | 86 |
| PROP. Fides existere potest in peccatoribus..... | 86 |
| ART. II. An fides existat in hæretico..... | 87 |
| PROP. Fides in hæretico formali remanere non potest..... | 87 |
| ART. III. An fides existat in dæmonibus et damnatis..... | 90 |
| ART. IV. An fides remaneat in beatis in cælo et in animabus in purgatorio relentis..... | 94 |

TRACTATUS DE TRINITATE.

| | |
|---|-----|
| CAP. I. De præcipuis erroribus qui circa mysterium sanctissimæ Trinitatis variis temporibus prodierunt..... | 94 |
| CAP. II. De existentia Trinitatis..... | 97 |
| ART. I. De distinctione personarum in Deo..... | 98 |
| PROP. Tres sunt personæ in Deo realiter distinctæ, Pater, Filius et Spiritus sanctus..... | 99 |
| ART. II. De divinitate uniuscujusque personæ sanctissimæ Trinitatis..... | 105 |

| | Pagin. |
|---|--------|
| PROP. I. Filius est Deus, Patri consubstantialis..... | ib. |
| PROP. II. Spiritus sanctus est Deus, Patri et Filio consubstantialis..... | 111 |
| COROLLARIUM 4. Ergo tres personæ Trinitatis sunt consubstantiales..... | 113 |
| COR. 2. Ergo admittenda est personarum divinarum circuminsectio..... | ib. |
| COR. 3. Ergo tres personæ divinæ perfecte sunt æquales..... | ib. |
| COR. 4. Ergo existit mysterium sanctissimæ Trinitatis..... | ib. |
| Quæritur an mysterium sanctissimæ Trinitatis notum fuerit ante Christum..... | 120 |
| CAP. III. De processibus divinis..... | 122 |
| PROP. I. Spiritus sanctus a Patre et Filio procedit..... | 123 |
| COR. 1. Duae sunt processiones in Deo..... | 125 |
| COR. 2. Spiritus sanctus a Patre et Filio procedit, tanquam ab unico principio..... | ib. |
| PROP. II. Particula <i>Filioque</i> Symbolo Constantinop. merito addita est..... | 126 |
| Quæritur quandonam vox <i>Filioque</i> Symbolo Constantinop. addita fuerit..... | 127 |
| CAP. IV. De divinis relationibus, notionibus et missionibus..... | ib. |
| CAP. V. De modo recte loquendi de sanctissima Trinitate..... | 129 |

TRACTATUS DE INCARNATIONE.

| | |
|--|-----|
| CAP. I. De existentia mysterii Incarnationis..... | 132 |
| ART. I. An Christus fuerit homo..... | 133 |
| PROP. I. Christus verum habuit corpus humanum..... | 134 |
| PROP. II. Christus vere habuit animam humanam..... | 135 |
| PROP. III. Corpus et anima Christi erant unita..... | 136 |
| ART. II. Quam originem habuit Christus ut homo..... | 137 |
| PROP. I. Corpus Christi ex Maria genitum est..... | ib. |
| PROP. II. Beata Maria fuit virgo in conceptu, et corpus Christi virtute Spiritus sancti formatum est..... | 139 |
| PROP. III. Beata Maria fuit virgo in partu..... | ib. |
| PROP. IV. Beata Maria semper manet virgo post partum..... | 141 |
| Quæritur an et quibus mysterium Incarnationis innotuerit ante Christum..... | 142 |
| CAP. II. De natura Incarnationis..... | 144 |
| ART. I. De unitate personæ in Christo..... | ib. |
| PROP. I. Unica est persona in Christo, quæ est persona Verbi divini, humanitatem complens et perficiens..... | 147 |
| PROP. II. Beata Maria vere est mater Dei..... | 155 |
| ART. II. De duplici in Christo natura..... | 157 |
| PROP. Duae sunt in Christo nature distinctæ et integræ, divina scilicet et humana..... | 158 |
| ART. III. De duplici in Christo voluntate..... | 162 |
| PROP. Duplex admittenda est in Christo voluntas et operatio distincta..... | 164 |
| Quæritur an papa Honorius revera damnatus fuerit, in concilio generali sexto, ut hæreticus..... | 167 |
| ART. IV. De communicatione idiomatum..... | 169 |
| PROP. Admittenda est idiomatum communicatio in Christo per b. nomina concreta..... | ib. |

| | |
|---|------------|
| <i>Quæritur</i> an communicatio idiomatum fieri possit in abstracto, dicendo, v. g. <i>Humanitas Christi est immensa, omnipotens, etc.</i> vel. <i>Divinitas in Christo est possibilis, mortalis, etc.</i> ... | 470 |
| Regula servanda in communicatione idiomatum..... | 474 |
| CAP. III. De convenientia Incarnationis..... | 472 |
| CAP. IV. De necessitate Incarnationis..... | 475 |
| PROP. I. Incarnatio non fuit absolute necessaria..... | 476 |
| PROP. II. Incarnatio non fuit necessaria, ex hypothesi quod mundus crearetur..... | <i>ib.</i> |
| PROP. III. In hypothesi lapsus hominis, Incarnatio non fuit necessaria..... | 477 |
| PROP. IV. Ex hypothesi quod Deus hominem lapsum reparare voluerit, Incarnatio non fuit simpliciter necessaria..... | 478 |
| PROP. V. Ex hypothesi quod Deus condignam voluerit satisfactionem pro peccato, Incarnatio fuit simpliciter necessaria..... | 479 |
| CAP. V. De causis Incarnationis..... | 483 |
| ART. I. De causa efficiente Incarnationis..... | <i>ib.</i> |
| ART. II. De causa meritoria Incarnationis..... | 484 |
| PROP. Nemo Incarnationem de condigno mereri potuit..... | <i>ib.</i> |
| ART. III. De causa finali Incarnationis..... | 486 |
| PROP. I. De fide est Filium Dei ad redimendos homines incarnatum fuisse..... | <i>ib.</i> |
| PROP. II. Probabiliter nobis videtur quod Adamo non peccante, Verbum Dei incarnatum non fuisset..... | 487 |
| CAP. VI. De dotibus Christi..... | 488 |
| ART. I. De dotibus Christi quæ spectant ad ipsius animam..... | 489 |
| § I. De scientia Christi..... | <i>ib.</i> |
| PROP. Christus, ut homo, perfectam habuit scientiam, etiam in primo conceptionis sue instanti..... | 490 |
| § II. De sanctitate Christi..... | 493 |
| PROP. I. Christus in primo conceptionis sue instanti habuit 4 ^o gratiam habituales, 2 ^o dona Spiritus sancti, 3 ^o virtutes infusas theologicas et morales, 4 ^o gratias gratis data..... | <i>ib.</i> |
| PROP. II. Christus nunquam peccavit, nec peccare potuit..... | 494 |
| <i>Quæritur</i> 1 ^o an in Christo fuerit fomes peccati, s. u. concupiscentia..... | 496 |
| <i>Quæritur</i> 2 ^o an Christus quod perfectus erat semper elegerit..... | <i>ib.</i> |
| § III. De libertate Christi..... | 497 |
| Punct. I. An Christus reipsa fuerit liber..... | <i>ib.</i> |
| PROP. Christus in plurimis et præsertim in subeunda morte fuit liber a necessitate..... | <i>ib.</i> |
| Punct. II. Quomodo libertas in Christo cum aliis perfectionibus ejus conciliari possit, præsertim cum eius impeccabilitate et scientia..... | 499 |
| ART. II. De dotibus Christi quæ spectant ad ipsius corpus..... | 204 |
| <i>Quæritur</i> 1 ^o an sanguis Christi hypostatice unicus fuerit personæ Verbi..... | 202 |
| <i>Quæritur</i> 2 ^o an sanguis in passione effusus a divinitate fuerit separatus..... | 203 |
| <i>Quæritur</i> 3 ^o an Christus fuerit speciosus..... | <i>ib.</i> |
| De passibilitate corporis Christi..... | 204 |
| PROP. I. Christus communibus naturæ humanæ doloribus et infirmitatibus obnoxius fuit..... | <i>ib.</i> |
| PROP. II. Non necessario, sed voluntarie Christus fuit obnoxius | |

| | |
|---|------------|
| communibus naturæ humanæ doloribus ac infirmitatibus..... | 205 |
| CAP. VII. De titulis Christi..... | 207 |
| ART. I. De Christo, quatenus est Filius Dei..... | <i>ib.</i> |
| PROP. Christus ut homo est Filius Dei naturalis, nec ullo modo dici potest filius Dei adoptivus..... | 208 |
| <i>Quæritur</i> 1 ^o an Christus divi possit servus Dei..... | 209 |
| <i>Quæritur</i> 2 ^o in quo præcipue consistat error P. Berruyer circa Incarnationem..... | <i>ib.</i> |
| ART. II. De Christo quatenus est sacerdos vel pontifex..... | 210 |
| PROP. Christus vere fuit sacerdos, ut homo, in æternum et secundum ordinem Melchisedech..... | <i>ib.</i> |
| ART. III. De Christo quatenus est mediator..... | 214 |
| PROP. Christus perfectus fuit mediator Deum inter et homines..... | 212 |
| ART. IV. De Christo quatenus est caput ecclesiæ et angelorum..... | 213 |
| CAP. VIII. De satisfactione Christi..... | 214 |
| ART. I. De necessitate satisfactionis Christi..... | <i>ib.</i> |
| ART. II. De veritate satisfactionum Christi..... | 215 |
| PROP. Christus pro nobis vere satisfecit, et satisfactiones ejus fuerunt causa sine qua non salutis nostræ..... | <i>ib.</i> |
| ART. III. De perfectione satisfactionum Christi..... | 220 |
| § I. An satisfactio Christi fuerit saltem æquivalens..... | <i>ib.</i> |
| PROP. Satisfactio Christi fuit non solum æquivalens, sed superabundans..... | <i>ib.</i> |
| § II. An satisfactio Christi fuerit ex propriis et aliis indebitis..... | 224 |
| § III. An satisfactio Christi fuerit a ceterum..... | 223 |
| PROP. Christus satisfecit Trinitati, et satisfactio ejus revera fuit ad alterum..... | <i>ib.</i> |
| <i>Quæritur</i> an satisfactio Christi fuerit ad strictos juris apices, seu in stricto rigore justitiæ..... | 226 |
| ART. IV. De merito Christi..... | 227 |
| <i>Quæritur</i> an Christus ab æterno fuerit prædestinatus..... | 229 |
| CAP. IX. De cultu Christo et cruci ejus debito..... | <i>ib.</i> |
| ART. I. De cultu Christi..... | 240 |
| PROP. Humana Christi natura, Verbo divino conjuncta, supremo latræ cultu honoranda est..... | 231 |
| ART. II. De devotione erga sacratissimum Cor Jesu..... | 232 |
| § I. De natura devotionis erga Cor Jesu sacratissimum..... | 233 |
| § II. De similitudine devotionis erga sacratissimum Cor Jesu..... | 236 |
| PROP. Devotio erga sacratissimum Cor Jesu pia est ac legitima..... | 237 |
| ART. III. De cultu crucis Christi..... | 240 |
| PROP. Crux Christi, sive vera, sive sculpta aut depicta, sive aliquo modo figurata, vero digna est cultu..... | 244 |
| CAP. X. De cultu sanctorum eorumque reliquiarum et imaginum..... | 244 |
| ART. I. De cultu sanctorum..... | <i>ib.</i> |
| PROP. I. Sanctos in cælo regnantes honorare licitum est..... | <i>ib.</i> |
| PROP. II. Sanctos in cælo regnantes invocare licitum est..... | 246 |
| PROP. III. Utile est sanctos in cælo regnantes invocare..... | 247 |
| ART. II. De cultu reliquiarum..... | 250 |
| PROP. Reliquias sanctorum in cultu dulci relativo honorare licet..... | <i>ib.</i> |
| ART. III. De cultu imaginum..... | 253 |
| PROP. Cultus sacrarum imaginum est licitus..... | 254 |

TRACTATUS DE GRATIA.

CAPUT PRÆVIUM. De notion: et divisione gratiæ..... 260

PARS HISTORICA.

| | |
|--|-----|
| De variis circa gratiam erroribus..... | 263 |
| quæ errarunt nimis tribuendo naturæ..... | ib. |
| ART. I. De Pelagianis..... | ib. |
| ART. II. De Semipelagianis..... | 266 |
| CAP. II. De iis qui erraverunt nimis gratiæ tribu- ntes..... | 268 |
| ART. I. De Prædestinationis..... | 269 |
| ART. II. De erroribus Wiclefi..... | 270 |
| ART. III. De Lutheranis et Calvinisticis..... | 271 |
| ART. IV. De Bullis. — <i>Historia M. Bulli</i> | 272 |
| Doctrina Bulli..... | 274 |
| De bullis in causa Bulli editis..... | 276 |
| ART. V. De Jansenio..... | 277 |
| Historia compendiosa Jansenii et causæ ejus..... | ib. |
| Summa doctrinæ Jansenii..... | 283 |
| ART. VI. De Quesnelo..... | 285 |

PARS DOGMATICA.

| | |
|--|-----|
| De doctrina Ecclesiæ circa gratiam..... | 287 |
| CAP. I. De variis naturæ humanæ statibus relative ad gratiam..... | ib. |
| ART. I. De statu naturæ puræ..... | 289 |
| PROP. Status naturæ puræ est possibilis..... | ib. |
| ART. II. De statu justitiæ originis..... | 294 |
| PROP. I. Adamus in statu justitiæ et sanctitatis fuit creatus, vel ad eum post creationem effectus: id est, ante suum peccatum certo erat justitia et sanctitate originali prælitus..... | ib. |
| PROP. II. Adamus exitiis præditus est donis in anima et in corpore..... | 295 |
| PROP. III. Primus homo perseverare potuisset in statu justitiæ..... | 297 |
| PROP. IV. Primus homo in justitia originali non perseveravit..... | 299 |
| CAP. II. De natura gratiæ..... | ib. |
| ART. I. De natura gratiæ habitualis..... | 300 |
| PROP. Gratiæ habitualis est quid creatum, permanens, anima realiter inherens..... | ib. |
| Quæritur 1o an gratiæ sanctificans sit habitus proprie dictus..... | ib. |
| — 2o an gratiæ sanctificans et charitas habitualis sint quid unum et idem..... | 301 |
| ART. II. De natura gratiæ actualis..... | ib. |
| PROP. I. Gratiæ actualis non est omnipotens Dei voluntas..... | ib. |
| PROP. II. Gratiæ actualis non est in a mentis actio deliberata..... | 302 |
| PROP. III. Gratiæ actualis non est actio indeliberata in anima existens, nec ab ea producta..... | ib. |
| PROP. IV. Prima gratiæ excitans non est actus mentis indeliberatus et ab ipsa productus..... | 303 |

| | |
|--|-----|
| PROP. V. Omnis gratiæ actualis non in sola mentis illustratione consistit..... | 303 |
| PROP. VI. Omnis gratiæ voluntatis non est essentialiter charitas vel ejus inspiratio..... | 304 |
| CAP. III. De necessitate gratiæ..... | 306 |
| ART. I. De necessitate gratiæ ad verum cognoscendum..... | ib. |
| PROP. I. Homo sine gratiæ aliquas cognoscere potest veritates naturales tum speculativas, tum practicas..... | 307 |
| PROP. II. Homo sine gratiæ nec fidem nec initium fidei habere potest..... | 308 |
| ART. II. De necessitate gratiæ ad bonum agendum..... | 310 |
| § I. An gratiæ sit necessaria ad bonum opus supernaturale..... | ib. |
| PROP. Gratiæ in genere necessaria est ad quodlibet opus supernaturale..... | 311 |
| Quæritur an homo justus indigeat gratiæ actuali ad bonum opus supernaturale..... | 313 |
| § II. An bonum opus morale fieri possit sine charitate..... | ib. |
| PROP. I. Homo sine gratiæ sanctificante, seu sine charitate habituali, bonum opus agere potest..... | 314 |
| PROP. II. Homo sine charitate actuali, sive perfecta, sive imperfecta, aliquid bonum opus facere potest..... | 316 |
| § III. An bonum opus morale fieri possit sine fide..... | ib. |
| PROP. Homo sine fide christiana bonum opus morale agere potest, ac proinde omnia infidelium opera non sunt necessario peccata..... | 317 |
| § IV. An bonum opus morale fieri possit sine gratiæ..... | 323 |
| PROP. Homo sine ulla gratiæ aliquid bonum opus morale facere potest..... | ib. |
| § V. Quodnam bonum opus homo sine gratiæ facere possit..... | 324 |
| PROP. Homo solis naturæ viribus omnia legis naturalis præcepta implere non potest, sed quædam tantum facilliora..... | ib. |
| ART. III. De necessitate gratiæ ad perseverandum..... | 326 |
| § I. An specialis necessaria sit gratiæ ad vitanda peccata venialia..... | ib. |
| PROP. Homo consuetis gratiæ auxiliis adjunctis, omnia peccata venialia per diuturnum tempus vitare non potest..... | 327 |
| § II. An gratiæ actualis necessaria sit ad vitanda peccata mortalia..... | 329 |
| PROP. Homo justus, præter gratiæ sanctificantem, actuali indiget auxilio ad observanda Dei mandata, ac consequenter ad vitanda peccata mortalia..... | ib. |
| § III. De necessitate gratiæ ad perseverantiam finalem..... | 330 |
| PROP. Ad perseverandum active usque in finem, præter gratiæ habituales, specialis requiritur gratiæ..... | 331 |
| CAP. IV. De variis gratiæ speciebus..... | 332 |
| ART. I. De gratiæ sufficienti..... | ib. |
| § I. De existentiæ gratiæ sufficientis..... | 333 |
| PROP. In præsentis rerum statu datur gratiæ sufficiens, etiam relative ad præsentis circumstantias..... | ib. |
| § II. De distributione gratiæ sufficientis..... | 338 |
| Sect. 1. An gratiæ sufficiens concedatur omnibus justis..... | ib. |
| PROP. Gratiæ proxime vel saltem remote sufficiens datur omnibus justis, urgente præcepto..... | ib. |
| Sect. 2. An gratiæ sufficiens detur omnibus peccatoribus etiam obduratis..... | 343 |

| | Pagin. |
|---|------------|
| PROP. Peccatoribus etiam obduratis, urgente præcepto supernaturali, datur vel offertur gratia saltem remote sufficiens..... | 343 |
| Sect. 3. An gratia sufficiens detur infidelibus..... | 347 |
| PROP. Cunctis infidelibus datur vel offertur gratia saltem remote sufficiens..... | <i>ib.</i> |
| Sect. 4. An gratia sufficiens concessa vel præparata fuerit omnibus Judæis in veteri Lege..... | 350 |
| PROP. Cunctis Judæis in veteri Lege concessæ vel oblatæ fuerunt gratia saltem remote sufficientes..... | <i>ib.</i> |
| Sect. 5. An ipsis parvulis dentur gratia sufficientes..... | 352 |
| Sect. 6. An Deus sincere velit homines salvos fieri, et Christus pro omnibus mortuus sit..... | 354 |
| PROP. I. De fide est Deum velle salutem aliorum quam prædestinatorum et Christum pro aliis quam prædestinatis mortuum esse..... | 356 |
| PROP. II. Certum est Deum velle salutem omnium hominum et Christum pro omnibus mortuum esse..... | 358 |
| ART. II. De gratia efficaci..... | 366 |
| § I. An existat gratia efficax..... | <i>ib.</i> |
| PROP. Dantur gratiæ efficaces..... | <i>ib.</i> |
| § II. An libertas humana maneat integra sub influxu gratiæ efficaciæ..... | 367 |
| PROP. Homo sub influxu gratiæ efficaciæ perfecte est liber ab omni necessitate..... | <i>ib.</i> |
| § III. Unde repetenda sit gratia efficacia..... | 372 |
| Sect. 4. Historia compendiosa controversiarum circa concordiam liberi arbitrii et gratiæ efficaciæ..... | <i>ib.</i> |
| Sect. 2. Exponitur systema Molinistarum..... | 373 |
| Sect. 3. Exponitur systema Thomistarum..... | 375 |
| CAP. V. De gratiæ effectibus..... | 377 |
| ART. I. De justificatione..... | <i>ib.</i> |
| § I. De dispositionibus ad acquirendam justificationem requisitis..... | <i>ib.</i> |
| PROP. I. Fides ad justificationem requisita, non est tantum confidentia in promissionibus Christi, sed adhesio cunctis veritatibus a Deo revelatis..... | 378 |
| PROP. II. Sola fides non justificat..... | 380 |
| § II. De natura justificationis, ubi de virtutibus infusis et donis Spiritus sancti..... | 381 |
| PROP. Peccata per justificationem reipsa delentur, et mens per infusionem gratiæ sibi inherens interius renovatur..... | 382 |
| De virtutibus infusis et donis Spiritus sancti..... | 384 |
| § III. De proprietatibus justificationis..... | 385 |
| PROP. I. Nemo, seclusa speciali revelatione, lenetur credere fidei divinæ se esse justificatum..... | 386 |
| PROP. II. Justitia amitti potest..... | 388 |
| PROP. III. Justitia non est æqualis in omnibus..... | 390 |
| ART. II. De merito..... | 391 |
| § I. De existentia meriti..... | <i>ib.</i> |
| PROP. Existit meritum proprie dictum..... | <i>ib.</i> |
| § II. De conditionibus ad merendum requisitis..... | 393 |
| Quæritur an omnia opera supernaturalia sint meritoria..... | 394 |
| § III. De objecto meriti..... | 395 |
| PROP. I. Homo perseverantiam finalem mereri non potest de con- | |

| | Pagin. |
|--|------------|
| digno, sed tantum de congruo..... | 396 |
| PROP. II. Justus vitam æternam de condigno mereri potest..... | 397 |
| CAP. VI. De prædestinatione et reprobatione..... | 398 |
| ART. I. De prædestinatione..... | <i>ib.</i> |
| § I. De existentia prædestinationis in genere..... | 399 |
| § II. De causa seu motivo prædestinationis..... | <i>ib.</i> |
| Sententia quæ tenet prædestinationem fieri ob prævisa merita... Sententia eorum qui dicunt prædestinationem fieri ante prævisa merita, et esse omnino gratuitam..... | 401 |
| Quæritur 1 ^o an numerus prædestinatorum sit certus et invariabilis..... | 402 |
| Quæritur 2 ^o an numerus prædestinatorum sit major vel minor numero reprobatorum..... | 404 |
| Quæritur 3 ^o an quis certo judicare possit se inter prædestinatos numerari..... | <i>ib.</i> |
| Quæritur 4 ^o quid intelligendum sit per librum vitæ..... | 405 |
| ART. II. De reprobatione..... | 406 |
| PROP. Deus neminem, etiam post peccatum originale, ad æterna destinata supplicia, nisi ob prævisa peccata..... | 407 |
| Quæritur an admittenda sit ex parte Dei reprobatio negativa.... | 409 |

TRACTATUS DE SACRAMENTIS IN GENERE.

| | |
|---|------------|
| CAP. I. De sacramentorum existentia..... | 412 |
| PROP. Septem in nova Lege existunt sacramenta proprie dicta, nec plura, nec pauciora..... | 414 |
| Quæritur an conveniens fuerit septem esse sacramenta, nec plura, nec pauciora..... | 418 |
| CAP. II. De sacramentorum effectibus..... | 419 |
| ART. I. An et quomodo sacramenta novæ Legis producant gratiam..... | 420 |
| PROP. Sacramenta novæ Legis gratiam obicem non ponentibus, ex opere operato conferunt..... | <i>ib.</i> |
| COROLLARIUM..... | 425 |
| Quæritur an sacramenta gratiam confineant et producant physice vel moraliter..... | <i>ib.</i> |
| ART. II. Qualem gratiam producant sacramenta..... | 426 |
| ART. III. Quid sit character et an per sacramenta producat..... | 428 |
| Quæritur cur character imprimatur in anima ejus etiam qui indigne suscipit sacramentum, et cur in ea indelebiter maneat dum amittitur gratia..... | 429 |
| CAP. III. De materia et forma sacramentorum..... | 430 |
| ART. I. De unione materiæ et formæ sacramentorum..... | 431 |
| ART. II. De mutatione in materia et forma sacramentorum..... | 432 |
| Quæritur 1 ^o quale sit peccatum mutare materiam aut formam sacramenti..... | 433 |
| Quæritur 2 ^o an peccet mortaliter qui in administratione sacramentorum utitur materia dubia vel tantum probabiliter..... | <i>ib.</i> |
| Quæritur 3 ^o an materiam et formam sacramentorum iterare liceat..... | 434 |
| Quæritur 4 ^o an valide et licite sacramentum conferatur sub conditione..... | 435 |
| CAP. IV. De sacramentorum institutore..... | 436 |
| ART. I. An Christus omnia novæ Legis sacramenta immediate in- | |

| | Pagin. |
|--|------------|
| stituerit..... | 437 |
| PROP. Christus omnia novæ Legis sacramenta immediate instituit..... | <i>ib.</i> |
| <i>Quæritur</i> an Christus sacramenta instituerit ut Deus, vel ut homo..... | 439 |
| ART. II. An Christus materiam et formam sacramentorum determinaverit..... | <i>ib.</i> |
| PROP. Christus specificè determinavit materiam et formam omnium sacramentorum..... | 440 |
| CAP. V. De sacramentorum ministro..... | 441 |
| ART. I. De sanctitate ministri sacramentorum..... | 442 |
| § I. An sanctitas necessaria sit in ministro, ut sacramenta valide conferat..... | <i>ib.</i> |
| PROP. Sanctitas sui status gratiæ non requiritur in ministro ut sacramenta valide conferat..... | <i>ib.</i> |
| § II. An sanctitas necessaria sit in ministro, ut sacramenta licite administret..... | 444 |
| PROP. Qui ex officio sacramentum aliquod administrat, peccat mortaliter, si non sit in statu gratiæ sanctificantis..... | 445 |
| <i>Quæritur</i> 1 ^o an concionator sacer, in peccato mortali existens, peccet mortaliter concionando..... | 447 |
| <i>Quæritur</i> 2 ^o an sacerdos peccati mortalis reus et sacramentum aliquod ministraturus, ad confessionem sacramentalem recurrere debeat..... | 448 |
| § III. An sacramenta a malo ministro petere et recipere liceat..... | 449 |
| § IV. An sit obligatio sacramenta ministrandi..... | 451 |
| <i>Quæritur</i> an liceat aliquid pro administratione sacramentorum exigere..... | 453 |
| ART. II. De fide sacramentorum ministri..... | <i>ib.</i> |
| PROP. Fides ministri non necessaria est ad validitatem Baptismi..... | 455 |
| ART. III. De intentione in ministro sacramentorum requisita..... | 457 |
| § I. An intentio virtualis ad validitatem sacramenti sit necessaria..... | 458 |
| PROP. Intentio virtualis in ministro ad validitatem sacramenti necessaria est..... | <i>ib.</i> |
| § II. Quodnam debeat esse objectum intentionis in ministro sacramenti requisitæ..... | 461 |
| <i>Quæritur</i> 1 ^o an intentio debeat esse determinata et absoluta..... | 463 |
| <i>Quæritur</i> 2 ^o an attentio necessaria sit ad validitatem sacramenti..... | 464 |
| <i>Quæritur</i> 3 ^o an metus ministro sacramenti incussus validitati ejus noceat..... | <i>ib.</i> |
| CAP. VI. De subjecto sacramentorum..... | 465 |
| ART. I. An intentio in suscipiente ad validitatem sacramenti necessaria sit..... | 466 |
| PROP. I. Ad validitatem sacramenti aliqua in suscipiente adulto necessaria est intentio..... | <i>ib.</i> |
| PROP. II. Non semper requiritur intentio actualis aut virtualis, sed quandoque habitualis et interpretativa sufficiunt..... | <i>ib.</i> |
| <i>Quæritur</i> quid sentiendum sit de sacramento simulate suscepto..... | 467 |
| ART. II. Quænam dispositiones ad percipiendum fructum sacramenti requirantur..... | 468 |
| PROP. I. Fides et sanctitas non requiruntur in suscipiente ad validitatem sacramentorum, excepta Pœnitentiâ..... | <i>ib.</i> |
| PROP. II. Ad percipiendum fructum sacramentorum semper re- | |

| | Pagin. |
|---|------------|
| <i>Quæritur</i> fides et pietas, non vero semper sanctitas..... | 469 |
| PROP. III. Remoto obice, gratia sacramentalis confertur..... | <i>ib.</i> |
| ART. III. An sacramenta indignis conferre liceat..... | 470 |
| <i>Quæritur</i> an administrationem sacramenti simulare liceat, v. g., ad famam alicujus fidelis tuendam..... | 472 |
| CAP. VII. De sacramentorum cæremoniis et de sacramentalibus..... | 473 |
| ART. I. De cæremoniis sacramentorum, quæ etiam dicuntur ritus..... | 474 |
| PROP. I. Ritus sacramentales, in genere spectati, boni sunt et utiles..... | <i>ib.</i> |
| PROP. II. Ecclesia legitimam habet potestatem ritus sacramentales instituendi et mutandi..... | 475 |
| PROP. III. Ritus sacramentales in Ecclesia Romana nunc existentes laudabiles sunt et probandi..... | 476 |
| PROP. IV. Ritus pro solemnâ sacramentorum administratione præscripti obligant sub peccato..... | 477 |
| <i>Quæritur</i> 1 ^o an ritus sacramentales sint iidem in tota Ecclesia Latina..... | 478 |
| <i>Quæritur</i> 2 ^o an Ecclesia Romana usum linguæ Latine in sua liturgia convenienter reliquerit..... | 479 |
| ART. II. De sacramentalibus..... | <i>ib.</i> |

TRACTATUS DE BAPTISMO.

| | |
|---|------------|
| Definitio Baptismi..... | 482 |
| CAP. I. De sacramenti Baptismi existentia et necessitate..... | <i>ib.</i> |
| ART. I. De sacramenti Baptismi existentia..... | <i>ib.</i> |
| ART. II. De necessitate Baptismi..... | 484 |
| § I. De necessitate sacramenti Baptismi..... | <i>ib.</i> |
| PROP. Baptismus omnibus necessarius est ad salutem necessitate mediæ in re pro infantibus, extra martyrium, et in re vel in voto pro adultis..... | 485 |
| COROLLARIUM..... | 487 |
| <i>Quæritur</i> quo tempore Baptismus fuerit necessarius ad salutem..... | 489 |
| § II. De modis supplendi Baptismum..... | <i>ib.</i> |
| PROP. I. Contritio perfecta cum voto sacramentum suscipiendi, hominem non baptizatum justificat, ac proinde Baptismus sub hoc respectu supplet..... | 490 |
| PROP. II. Martyrium in adultis supplet Baptismum quoad justificationem..... | 491 |
| <i>Quæritur</i> an martyrium justificationem operetur ex opere operato..... | 492 |
| PROP. III. Infantes nondum baptizati, in odium Christi necati, vere sunt martyres et sancti..... | 493 |
| CAP. II. De materia Baptismi..... | 495 |
| ART. I. De materia remota Baptismi..... | <i>ib.</i> |
| PROP. Aqua naturalis est materia Baptismi remota et necessaria..... | 496 |
| ART. II. De materia Baptismi proxima..... | 498 |
| CAP. III. De forma Baptismi..... | 501 |
| ART. I. De verbis ad validitatem Baptismi essentialibus..... | 502 |
| ART. II. De mutationibus in forma Baptismi quæ validitati sacramenti nocere..... | 502 |

| | |
|---|------------|
| CAP. IV. De ministro Baptismi..... | 505 |
| ART. I. De ministro Baptismi ordinario..... | <i>ib.</i> |
| PROP. Non solum episcopi, sed omnes sacerdotes jure divino sunt ministri ordinarii Baptismi, et jure ecclesiastico soli episcopi, parochi et ab eis delegati..... | <i>ib.</i> |
| ART. II. De ministro Baptismi extraordinario..... | 506 |
| PROP. Diaconi, vi ordinationis suae, sunt ministri extraordinarii Baptismi..... | 507 |
| ART. III. De ministro Baptismi in necessitate..... | 509 |
| PROP. In necessitate quilibet, sive vir, sive mulier, sive catholicus, sive haereticus, sive Christianus, sive infidelis, baptizare potest..... | <i>ib.</i> |
| CAP. V. De Baptismi effectibus..... | 510 |
| PROP. I. Baptismus omnia peccata ante ipsum commissa per gratiam sanctificantis infusionem remittit..... | 511 |
| PROP. II. Omnis poena peccatis ante Baptismum commissis eorum Deo pro altera vita debita simul cum peccatis tollitur..... | 512 |
| PROP. III. Per Baptismum character indelebilis imprimitur in anima..... | 513 |
| Quaeritur 1o quis fuerit effectus circumcisionis..... | 514 |
| Quaeritur 2o quis effectus Baptismi Joannis..... | 515 |
| CAP. VI. De subjecto Baptismi..... | <i>ib.</i> |
| ART. I. De Baptismo parvulorum..... | <i>ib.</i> |
| § I. De baptizandis parvulis in genere..... | 516 |
| PROP. I. Parvuli valide baptizari possunt..... | <i>ib.</i> |
| PROP. II. Non solum valide, sed multum convenienter baptizantur parvuli..... | 518 |
| § II. De tempore quo parvuli baptizari debeant..... | 519 |
| § III. De Baptismo parvulorum in vitis eorum parentibus..... | 520 |
| PROP. Filios infidelium, extra casus supra expositos, in vitis parentibus baptizare non licet..... | 521 |
| § IV. De Baptismo fetuum abortivorum..... | 522 |
| § V. De Baptismo fetus nondum nati..... | 523 |
| § VI. De operatione caesarea..... | 525 |
| § VII. De Baptismo monstrorum..... | <i>ib.</i> |
| § VIII. De infantibus expositis et aliis domi baptizatis..... | 526 |
| ART. II. De Baptismo adultorum..... | 528 |
| § I. De dispositionibus requisitis in adultis ad Baptismum..... | <i>ib.</i> |
| Quaeritur an amentes et furiosi baptizari possint..... | 529 |
| § II. De catechumenatu..... | <i>ib.</i> |
| § III. De haereticis ad Ecclesiam redeuntibus..... | 531 |
| CAP. VII. De caeremoniis Baptismi..... | 532 |
| ART. I. De patris et matris in Baptismo..... | <i>ib.</i> |
| ART. II. De nominibus baptizando imponendis..... | 535 |
| ART. III. De caeremoniis Baptismi..... | 536 |
| Quaeritur 1o an caeremonia supplenda sint his, sive parvulis, sive adultis, qui privatim baptizati sunt..... | 537 |
| Quaeritur 2o utrum in Baptismo verum emittatur votum vendi secundum leges christianas..... | 538 |
| ART. IV. De registro Baptismi..... | 539 |

TRACTATUS DE CONFIRMATIONE.

| | |
|---|------------|
| Definitio Confirmationis..... | 540 |
| CAP. I. De existentia sacramenti Confirmationis..... | <i>ib.</i> |
| PROP. Confirmatio est sacramentum novae Legis..... | <i>ib.</i> |
| Quaeritur quo tempore sacramentum Confirmationis fuerit institutum..... | 544 |
| CAP. II. De materia Confirmationis..... | 545 |
| PROP. Materia Confirmationis consistit in impositione manuum et chrismatis unctione..... | 546 |
| Notanda circa manuum impositionem..... | 547 |
| Notanda circa sanctum Chrisma..... | 548 |
| Notanda circa Chrismatis unctionem..... | 551 |
| CAP. III. De forma sacramenti Confirmationis..... | 552 |
| Petitur 1o quae verba omitti vel mutari possint absque sacramenti dispendio..... | 553 |
| Petitur 2o an forma apud Graecos usitata sit valida..... | <i>ib.</i> |
| CAP. IV. De ministro sacramenti Confirmationis..... | 554 |
| ART. I. De ministro Confirmationis ordinario..... | <i>ib.</i> |
| PROP. Solus episcopus est minister ordinarius sacramenti Confirmationis..... | <i>ib.</i> |
| ART. II. De ministro Confirmationis extraordinario..... | 558 |
| PROP. Simplex sacerdos, ex speciali summi Pontificis delegatione sacramentum Confirmationis valide et licite administrare potest..... | <i>ib.</i> |
| CAP. V. De Confirmationis effectibus..... | 561 |
| CAP. VI. De confirmationis necessitate..... | 563 |
| CAP. VII. De subjecto Confirmationis et dispositionibus in eo requisitis..... | 565 |
| ART. I. De subjecto Confirmationis..... | <i>ib.</i> |
| ART. II. De dispositionibus in confirmando requisitis..... | 567 |
| CAP. VIII. De caeremoniis Confirmationis..... | 568 |

EXPLICIT TOMUS SECUNDUS.

UNIVERSIDAD DE SALAMANCA DE NUEVO LEÓN
DE BIBLIOTECAS

